



1
6
428







PONTI HEVTERI DELFII
PRAEPOSITI ARNHEMENSIS,

DE VETERVM AC SVI SÆCVLI BELGIO, LIBRI DVO.

Quid his tractetur, versa indicabit pagina.

ANTVERPIÆ,
Apud Ioannem Keerbergium.
In Sole Aurëo, Anno. XVI^c.

Cum Gratia & Priuilegio. Sig. de Grimaldi.

EXPLICATVR.

PRimo Libro quale fuerit Belgium tempore Iulij Cæsaris, successorumque eius, ad inclinationem vsque Romani Imperij, collectaque sunt hæc ex eius, quique enim secuti sunt scriptis. Deinde antiquarum Prouinciarum eius nomina, cum nostro temporis collata Regionibus enucleantur, earumq; Limites, quantum è dictis fieri potest authoribus, rectius, copiosiusque, quam ab alijs hactenus est factum, demonstrantur.

Descriptio præcipuorum Belgij fluminum, eorum fontes, decursus, ac Ostia.

Comparatio Monetæ veterum Hebræorum, Græcorum, Latinorum, ac Peregrinorum, cum Anni millesimi quingentesimi, nonagesimi noni pecunia, inter Europæos Christianos maxime vsitata.

Mensura Longitudinum, earumque appellationes, quibus olim Hebræi, Græci, Latini, ac Peregrini, in faciendis itineribus, præcipue sunt vsi, nostris temporibus accommodata.

Etyma variorum Nominum, vtriusque sexus hominum, Germanicæ Originis.

Additus est in calce liber Singularis.

De Libera hominis natiuitate, seu de liberis naturalibus.

Liber primus D. Christophoro Assonlevillio, Hautevillæ ac Bouchoutij Domino, secretiorum Belgarum Principis Conciliorũ Senatori primario: Alter D. Ioanni Dreincwartio, Dormalæ ProComiti, supremi Principis Belgarum Ærarij, Titulo Thesaurarij Prefecto, est dedicatus. Tertius DD. Petro ac Lucæ ab Opmeer Iud. fratribus Germanis & rerum maritimarum consiliarijs bene meritis.

APPROBATIO.

Libri duo, de Veterum ac Anni nonagesimi noni supra millesimum quingentesimum Belgio, Authore Ponto Heutero delfio Preposito Arnhemensi, Digni sunt prelo, nihil fidei Catholicæ contrarium continentes, Actum, 22. May. Anno, 1593.

Ita attestor Martinus Cools
Librorum censor.

AMPISSIMO,
NOBILIQVE VIRO,
D. CHRISTOPHORO ASSONLEVILLIO, HAVTEVILLÆ AC BOVCHOVTII DOMINO, ARCANORVM BELGARVM PRINCIPIS CONCILIORVM PRIMARIO CONSILIARIO.

Epistola dedicatoria.

EMISSIS in hominum manibus Vir Amplissime, Clarissimeque, duobus historiæ Tomis, priorem de rebus Burgundicis inscripsi, quod breuiter Regum, Principumque Burgundię qui Belgis non imperarunt: diffuse vero qui pro parte, aut in vniuersum eis præfuerunt, vitas pertractet. Altero Tomo, Rerum Belgicarum, titulum dedi, quod deficiente Burgundica virili stirpe, Austriaca iustis nuptijs apud Belgas successerit, ac in hunc vsque diem imperarit. Priore Tomo res Burgundicas, ab Ouo, (vt dicitur) primisque librarum monumentis repeto: Altero res Austriacas, eadem ratione tracto, incipiens anno Christi CCCC. finiens, CIↃ.CI.LXV. ita vt vterque Tomus, complectatur tempus. CIↃ.C.LXIIII. annorum, narrantes quid hac tempestate, apud Burgundos, Austriacos, ac Belgas, horumque vicinos Germanos, Italos, Hispanos, ac Francos, pacis bellique tempore, memoria dignum sit actum. Quumq; Belgis meis hoc labore satisfecisse me abunde existimarem, Amici vrgere incipiunt, de Veterum nostrique Sęculi Belgio, aliquid commentarer, qualisque olim eius fuerit, ac hodie sit facies, exteris qui id nunquam vidêre,

ingentia tamen domi, forisque bella gesta mirantur, ob oculos ponerem. Quum varios hæc scripsisse, fugiendi laboris causa dicerem, verum esse fatentur, sed pro parte tantum, nimisque (vt verum est) succincte. Quare tandem persuaderi mihi sinens, ea conditione quod petunt polliceor, ne omnino absolutum opus expectent. Inopia enim veterum Authorum fieri non posse, vt in descriptione Prouinciarũ antiqui Belgij, ordinem necessarium teneas, quod eorum scripta aut periere, aut mutila, mancaque ad nos peruenere, etsi in hunc vsque diem, à doctissimis huius sæculi viris, vt eorum scripta integritati restituerentur, ordoq; verus institueretur, enixe sit laboratum, posterioresque priorum errores castigarint, aut inuentis non pauca addiderint. Proinde cum mihi non raro, idem erit faciendum, morose non feram, si qui post me in hac arena sunt desudaturi, cum errorum libere lectorem admonuerint, aut quæ satis enucleare nequiui certis rationibus, non sciola, temerariaque, assertione docuerint. Veteris Belgij descriptionem, Iulius Cæsar Comment. libro primo, paucis hisce dat verbis: Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem fluminis Rheni partem, spectant septentriones, & orientem solem. Extremos Galliæ fines, Rheni fontes vocat, paululum supra Rauracos nunc Basilienses conspicui. Pertinere eos ad inferiorem fluminis Rheni partem, spectareque septentriones & orientem solem, vult eorũ fines Rheni ostijs, seu Oceano Batauico nunc Hollandico terminari, longitudinem tantũ Belgij hac descriptione demonstrans. Latitudinem enim Galliam Celticam, & Aquitanicam definiens, his verbis proponit: Gallos (vernacula lingua Celtas dictos) ab Aquitanis

Garumna

Garumna flumẽ: A Belgis matrona, & Sequana diuidit. Quicquid igitur inter Rhenum, matronam, & Sequanã est agrorũ, Belgij Latitudo occupat, non vbiq; eadem, ob dictorũ fluminum cursus obliquitatem. Hęc veteris Belgij est facies, quod suo tẽpore Ammianus Marcellinus (qui cum Cæsare Iuliano, diu apud Belgas militauit, quæq; vidit, didicitque, fideliter descripsit, multumq; nos iuuaret, si integer extaret) libro, xv scribit diuisum in Superiorem & Inferiorem, pauloq; post, in Primam & Secundam Germaniã seu Belgicam, singulosq; suos habuisse Pręfectos, ac pręsidiarios in officio continendis populis Legiones. Hæc diuisio Superioris & Inferioris Germaniæ, in præsentẽ vsque diem, obliterata Belgarum voce, perdurat. Superiores enim Belgas, *Ouerlant*, hodie vocant: Inferiores, *Nederlant*, Gallofrancice, *Pays-Bas*. Sonat autem Germano belgis: *ouer*, Superior, ab altera parte. *neder*, Inferior, & Inferius: *Lant*, Regio, Ditio, Prouincia. A Basilęa, vsq; ad Coloniã Agrippinam, Superior Romanis dicebatur Belgica & Germania, quod eam Germani occupassent: ab hac, ad mare Batauicũm, Inferior, vt etiamnũ hodie. Quicquid enim trans Rheũ erat terrarũ, non ab incolis Germania sed à Teutone Teutonia, vt hoc nostro adhuc sæculo, appellabatur. Germanorũ enim nouum nomen, ab ijs erat excogitatũ Teutonibus, qui primi tracto Rheno, pulsis Belgis in eorum sedibus ac agris vi consederant, quibus à Romanis victis subactisque, omnes qui trans Rhenum habitabant, non Teutones, sed Germani, à Romanis, Gallisq; sunt appellati, sua vero lingua, vt etiã hodie Teutones, donec Sueui immensa multitudine Rhenum traijcientes, Germanorumque nomen fastidientes, Alemanno-

norum assumpsissent quod exinde Italis, Hispanis, & Gallofrancis, in præsentem diem vsitatum, ac familiare permansit, eos nec Teutones, nec Germanos, sed Alemannos vocantes, Germanię nomenclatura, tantū Latine loquentibus & scribentibus vsurpata. Posset igitur merito ALBERTVS Austriæ Archidux, cum Elyzabeta Austriaca, Philippi secundi Hispaniarum Monarchæ filia, Inferiorem Germaniam seu Belgicam in dotem accipiens, se Principem aut Regem Inferioris Belgij appellare: Germanice: *Coninck van Nederlant, of Neder-Belgien.* Francogallice: *Roy des Pays-Bas, ou de la Basse-Belgie.* Huius veteris vtriusque Belgicæ (Præmissa generali totius Gallicæ, Regionumque eius deliniatione) vniuersalem, deinde omnium eius Prouinciarum particularē descriptionem, primo hoc libro Lectori pręsento, situm, limitesque quantum fieri potuit, ostendo, nil de meo, sed quæcunque apud veteres scriptores obseruare potui cōmunicans, imprimis vero quæ nobis de Belgis Iulius Cæsar, Cornelius Tacitus, ac Ammianu Marcellinus reliquêre, exactissime pro capru, iudicioque meo examinata, ob oculos ponens. Tibi vero Vir Amplissime, Clarissimeque primum librum dedicare volui. Ea enim à te accepi beneficia, vt ingenue fatear, maiori labore, ac opere, si potuissem respondere me debuisse. Decimussextus agitur annus, quod me in notitiam amicitiamque receperis, beneuolentia, ac fauore prosequi non destiteris, operam, auxiliumque rogatus nunquam negaueris, tanto animi candore, ac sinceritate, vt inter varios à Deo mihi, diuersis locis, ac temporibus viginti sex annorum spatio quo exulo, datos patronos, primum te post Regem, Principemque

ALBER-

ALBERTVM, ducere audeam, nulla alia de causa sic erga me affectus, quam quod liberalium disciplinarum candidatum, vitam in musarum castris, constanter ad canitiem vsque, sudando, algendoq; triuisse, reipsa didicisses. Eundem te ab adolescentia, in presentem vsque diem, monstrasse affectum, multi litterati experti sunt, & indies experiuntur viri. Non igitur mirum si nobilis Assenlevilliorum familia per te splendorem, claritatemq; summã nacta, in omniũ sit ore, ac admiratione. Operam enim extrema, sijnceráque fide, ac diligentia, diuersissimis temporibus, suam cum laude PHILIPPO secundo Hispaniarum Monarchæ, belgisque omnibus, supra quadraginta tres continuos nauasti annos, primũ cum maxime florerent Belgæ, deinde quum inclinare eorum Respublica, & ad occasum, interitumq; tendere, videretur, Postremo quum rursum ad pristimã fœlicitatẽ, non vana spe, animus aspirare incipiant. Quare postquã fatalis tibi aduenerit dies, quieta conscientia, magno probis relicto desiderio, patriam belgicã læta pace fruentem, vt in mundũ veniens eam reperisti, relinquẽs, lætaberisq; tot annorũ ingentes labores, Reipublicæ, Principisq; causa à te non frustra susceptos, dierũ, noctiunq; sudores non temere perpessos, grauissimas legationes non in vanũ obitas, variorũ hominũ fores auresq; continuo pulsantiũ, obtundentiũ, verecunde, inuerecundeq; instantiũ, nec vnquam quietem concedentiũ importunitates Republicæ causa deuoratas, perlatasq; rebellium carceres, exilium, fortunarũ direptiones, improborũ columnias, criminationes & iniurias, à te ad honores promotorũ ingratitudines, bellicas procellas, Reipublicę conuersiones, ætatis mutationes, diuersorum Gubernatorum

conditiones, constanti fide, valetudine, ac fœlicitate, diuina proculdubio gratia, ac auxilio, pertulisse. Decuit fateor hæc te fecisse: Respublica enim, Princeps, Populus, ipseq; Deus id à te suo iure exigebant. Sed illis obedire, aut obgannire, priuata aut publica quærere, Deus in voluntatis tuæ concessa à se libertate constituit. fecisti quod æquum est, plus quam meruisti apud superos recipies, cuius mercedis vel minima portio, omnes huius vitæ sudores, laboresque infinite superat. Finem iamdudum fecissem, nisi veritatis aperiendæ ardor animum torsisset. Tui, tuęque conditionis primorum in Republica virorum est, regię insistere vię, sancte administrare, Principi sine pœnitentia consulere, publicę rei studere, probos doctosque iuvare, improbis ne nocere possint, prudenter obuiam ire. Mei vero, similiumque est hæc sine adulatione (quam per omnē vitam angue peius odi) publicare, vt quam meremini à Deo, ac hominibus laudem adipiscamini. Qui vero post vos Republicā sunt administraturi ex his exemplum capient. Accipies igitur Vir Amplissime hunc de Veterum Belgio Libellū, ad senem, à sene venientem, munusq; operosum tui nominis authoritate, contra varia hominum iudicia, defendi permittes, semperque valebis. E fano, Diui Trudonis Idibus Martij. 1599.

Nominis Vestri Studiosissimus
Pontus Heuteris Delfius.

IN LIBROS D. PONTI HEVTERI DE VETERVM AC SVI SÆCVLI BELGIO:

Carmen Philippi Numani Bruxell:

CVr veterem patriæ faciem, cur (Ponte) recenses
Nomina, queîs toti quondam mirabilis Orbi
Belgica: dum rerum dominos gentemque Quiritum
Sperneret, externas nec collo ferret habenas:
Dum varijs diues populis, dum lata tenebat
Imperia & magnis æquabat limina regnis:
Quum vix præteriti decoris nunc restet imago?
Dissimilisque sibi, deformis, squallida, diro
Pressa heu Marte, iam iam moritura tenellas
Ore trahens auras, misere fædissima casu?
Scilicet, vt rerum queîs se mortalia voluunt
Instabiles motus, discrimina, fata, vicesque
Proponas, monstresque simul secum omnia tempus
Vertere, & humanæ cuncta esse obnoxia sorti.
Magnum erat Assyrijs olim sub legibus Orbem
Spectare: aut terris dantes moderamina Persas:
Magnum erat Æmathio Arsacidum sua colla dedisse
Imperium, & Graio superatum milite Gangem:
Magnum (Roma) fuit, roseo qua Phœbus amictu
Surgit, & occiduis qua currus perluit vndis,

Ire ſacris aquilis Martem nomenque Latinum,
Et victo Latium toto diffundere mundo:
At nunc quid ſupereſt? niſi quod veſtigia famæ
Aut vmbram teneant & inania nomina tantum.
Græcia doctiloquis quondam clariſſima Muſis,
Ingenijſque potens & auitis nobilis armis,
Nunc niſi barbariem, mores rituſque feroces,
Nil habet. in vanos abit omnis gloria fumos.
Sic ſua cuique dies: ſecli ſic vertitur ordo:
Et ſic qui terras, cœlumque & ſydera torquet,
Ad nutum faſtus hominum & miracula flectit.
Atque ita quum veteris recitas præconia (Ponte)
Belgicæ & antiquum patriæ deſcribis honorem:
Et rurſum anguſtis quam ſe nunc finibus arcet:
Exemplo dictante doces, vt mente recurrat,
Eſſe auram Ventoſque leues mortalia dona.
Verum etiam hoc præſtas: quod te dicente ſeueros
Belgarum priſcos mores, atque æmula laudis
Pectora, & infractos animos, roborque decuſque
Gentis: ad exemplum maiorum concita ſurgat
Poſteritas: ſtimuloſque habeat virtutis amori.
Ergo tibi duplices debebit Belgica lauros
Ponte: ſemel, veteri quod ſit celebrata decore:
Deinde etiam tacitas quod ſenſim in pectora flamas
Conijcis, vnde ardor Belgis ſit laudis auitæ.

ALIVD.

Belgica tolle caput, quantumuis fracta procellis!
 En lacera excipiens carbaſa Pontus adeſt.
Pontus Amyclæi, fuerit qui ſyderis inſtar
 Si fors aſpiret, mitior aura tibi.
Sîn minus: indignæ ſolamen ſortis habeto
 Naufragij tabulas, hîc ſupereſſe tui.
Atque iuvent fines, ſplendorem & nomina gentis
 Viuere, ſic longo, non temerenda die.

IVS LAVDE CORONAT.

ALIVD IOANNIS NIEKERKII CONSILIARII FRISIÆ.

IVre operam patriæ præstas Heutere, quod illi
Reddas id lucis, quod genijque dedit.
Hoc agis ambabus manibus: namque altera Verbi
Diuini Semen, voce fluente rigas:
Altera morales, quas Lectio longa vel vsus.
Inuenit leges, historiamque colit:
Cæsarem vt excedas merito: Nam Galliæ vt ille
Neglecta patria, præstitit ingenium
Et Tacitus ritus Germanos acer vt edit
Nulla quibus patrijs, cura videtur agri
Sic (postquam agnatus stirpem, cunasque vestuta
Obtuleris Dominis, principia atque decus
Æternam laudem Ducibus Burgundiæ & Austris
Et Belgis) patriæ verteris ad faciem
Antiquam: verum iam diris ictibus ægram,
Cui præter lachrimas, vulnera, morsque nihil
Cuius iura, Vicesque, situm, fundumque peragras
Quo meruere pij, iusta Trophæa Patres
Vt non degeneres doceas, quæ, & quanta sit olim
Virtutum radix, & modo materies.
Magnum Virtutum fundamentum, & Vitiorum
Belgij in hac nostri, Sede, patrumque domo

Vt

Vt moneas animos, diffusaque corda recingant
Ambiguo fato, subsidiumque ferant
Barbariem scelus infandum, Scyticasque sequêlas
Euitent, veterem sustineantque fidem
Paßibus insistant canis, monitisque parentum
Integra quæ patriæ gloria, verus honos.
Restituas igitur, quam infanti Belgia dotem
Credidit: Insudas huic operi merito.

ALIVD.

QVæ fuerit Belgi facies, quo limite fines
Clauserit antiquos; Legio dum fulta Latinis
Olim Aquilis, bello dudum insuperabile robur
Belgarum opprimeret, duce Cæsare. Quisque retento
Nomine, Belgiaci statuatur terminus orbis
Nunc; cum fraternis in mutua vulnera dextris
Concurrunt, auidique vorant sua viscera Belgæ,
Describsisse tuus labor est, Heutere. Monetæ
Quin te etiam antiquæ reserantem scrinia, priscis
Cognita Romanis, Hebræis, atque Pelasgis;
Deîn conuersa suos Belgæ mirantur in vsus.
Quid? Cippos, Scœnos, Parasangas, queîs Peregrini,
Cenotrij, Græci, Hebræi interualla locorum
Consignare solent, metiris, Ponte, rotisque.

Belgarum seruire nouo molimine cogis.
Nec tantis Genij contentus fructibus Orbem
Illustrasse tui; Naturæ liberioris
Pignora debebunt vestris conatibus vsque.
Denique in externas transfusa vocabula linguas
Propria Germanis quondam, Belgisque; vetustæ
Nunc tandem sperare locum sibi Originis audent.
Omnia quæ exiguo conscripta volumine, Ponti
Immensas testantur opes, doctumque cubile
Pectoris, vnde suos tantarum flumina rerum
Eliciunt fontes. Tu macte, Heutere, tuisque
Promeritis Belgæ tibi laurea serta parabunt.

Petrus de Groote.
Sacerdos Bruxell.

BREVIS TOTIVS VETERIS GALLIÆ CONDITIONIS DESCRIPTIO.

CAPVT PRIMVM.

QVVM rerum Burgundicarum & Belgicarũ historicam narrationem pro instituto meo, duobus Tomis absoluissem, operæpretium Lectori facturum me arbitratus sum, si duobus ei libellis ob oculos posuissem, veteris meiq; sæculi (quod est ab anno a nato Christo, 1500. vsque ad eiusdem annum, 1600.) Belgarum conditionem, priore libro exponens, qualis ante & post Iulium Cæsarem, ad inclinationem vsque Romani Imperij, earum fuerit status: Altero quis nostræ tempestatis eius sit facies. Hæc vt naturæ ordine fiant primum veteris Galliæ (cuius sunt Belgæ pars maxima, nobilissimaque) vniuersalem ponamus descriptionem, tum eius Populos donec ad Belgas perueniatur, enumeremus. Omnis igitur Gallia, Græcis, Romanisq; celebratissima ab Oriente flumine Rheno, ac quicquid ab eius fontibus, transcensis alpibus, ad agrum vsque Picœnũ (nunc Marca Ancona) ad mare adriaticum terrarum interiacet, includitur. Ab Occidente montibus Pijræneis terminatur, quo ij ad mare Cantabricum (nunc Biscaium) ac mediterraneum finiuntur. A meridie mari mediterraneö, & quicquid in Italia ab Arni fluminis Ostio, transgresso Apennino, ad Anconam vsque, versus Orientem terrarum est, comprehenditur. A Septentrione mari Britannico (nunc Anglico) ac Germanico circunscribitur. Irrigatur multis nauigabilibus fluminibus, excepta innumerabili copia, Fontium, Rivulorum, Torrentium, minorumque non nauigabilium amnium, qui ingentes commoditates, ac admirabilem fertilitatem regioni adferunt. Lacus quoque ingentes, multos, ac famosos habet, diuerso piscium genere, necessitati, luxuiq; humano seruientium refertissimos. E maioribus fluminibus, hij sunt celebratissimi, latina, vernaculaque lingua sic anno, 1600. sonantes

Padus	*Po:* & *Pauu.*	Mâtrona	*Marne.*
Rhodanus	*Rhone.*	Elauer	*Allier.*
Araris	*Sabne.*	Authia	*Authie.*
Somona veteribus Samara,	*Somme.*	Canchia	*Canche.*
Druëncia	*Druënce,* & *Durance.*	Demera	*Demere.*
Garumna	*Garonne.*	Scaldis L'escaut	*Scalt. Scelde.*
Axona	*Aisne,* & *Disne.*	Ourta seu Vrta	*Ourt. Vrt.*

Ligeris	*Loire.*	Deilia ſeu Dilia	*Deile, Dile.*
Sequana	*Seine.*	Rheno Lecca	*Lec.*
Iſala	*Iſel.*	Vuahalis	*VVale.*
Linga	*Linge.*	Sabis	*Sambre.*
Leia, & Liſa	*Lis Leie.*	Oiſa	*Oiſe.*
Nethа	*Nethe.*	Ha,ſeu,Aa	*Ha, Aa.*
Scarpa.	*Eſcarpe.*		
Moſa—Meuſe	*Maes.*	Moſelle—Meuſelle	*Meuſele.*

Portus, Stationes,ac fluminũ oſtia,ſtudio omitto, quod è Topographicorum Tabulis in vnum volumen ab Abrahamo Ortelio, amico noſtro anno, 1598. vita defuncto doctiſſimè congeſtis, ac accuratiſſimè editis peti poſſint. De montiũ altitudine, ac commoditate interiectarumq; Vallium fertilitate amœnitateque, gloriari Gallia poteſt ad montes Pyrænẽos eam ab Hiſpania ſeparantes,ad Rheni aliquot loca, ac alpes,eandem noſtro tempore ab Italia diſterminantes. Cæteris Regionibus non tam montibus quã fœcundiſſimus exornatur Collibus,diuerſo Fontium, Amnium, Riuulorumq; defluxu agros, conuallesque omni tempore irrigantibus, varijſque locis Elyſios colonis campos. ob oculos ponentibus. Syluis etiam ſaltibuſque denſiſſimis abundat, vario ferarum genere gaudentibus,inter quas Arduẽnna, hodie nomen ſeruans celebratur, in varias tamen ſecta partes,diuerſaq; nomina ſortita. Vrbes quoq; habet celeberrimas,cum nobiliſſimarum Prouinciarũ Regnorumq; famoſiſsimis certantes,ſiue magnitudinem,populiq; frequentiam, ædium magnificentiam, ciuium fortitudinem,opes, humanitatem, elegantiã,ſagacitatem,ac induſtriam ſpectes. Ciuitatum verò,oppidorum,municipiorum,Pagorum,Vicorumq; numerus iniri vix poteſt. Deſerta,incultaque loc ,verè nulla habet. Nam & myricis conſiti campi,hominũ induſtria,laboreque varia frumentorũ genera producere didicere,aut minoribus pecoribus lætiſſima præbere pabula. Vinũ quoque pro maxima parte generoſum profert, non ſolum colonis, ſed vicinis vbi non creſcit,ad luxum ſufficiens. Metalla omnia (excepto auro, argentoque) è viſceribus ſuis erui patitur, quemadmodum & marmorum varias, pulcherrimaſq; ſpecies, lapilli quoq; prætioſi,Indicos ementientes,inter marmora reperiuntur,quibus non raro mangones incautis imponunt. Gens omni ætate belliçoſiſſima,interque hos præcipuè,Belgæ & Heluetij. Quam autem formidabile Romanis olim Gallorum fuerit nomen, quam ea horruerint arma, Polybius, Liuius alijque tam Græci quã Latini hiſtoriographi, locupletiſſimi ſunt teſtes.
„ Certe Tacitus lib. de morib. Germ. in hunc modum de Gallis ſcribit: Validio-
„ res olim Gallorum res fuiſſe,ſummus authorum Diuus Iulius tradit, eoq; cre-
„ dibile eſt etiam Gallos in Germaniam trãſgreſſos. Quantulũ enim amnis ob-
„ ſtabat,quò minus vt quęque gens eualuerat occuparet,permutaretq; ſedes pro-
„ miſcuas adhuc, & nulla Regnorũ potentia diuiſas. Equidem Gallos olim hominũ multitudine laborãtes, armata manu Colonias in Germaniam deduxiſſe

ac ex

ac ex his Tectosages, Heluetios ac Boios iuxta syluam Herciniam consedisse, idem Tacitus author est. Senones gallos Grçciam vastasse, in Asia locum cœpisse, docent Galathe, idemque in Italia esse ausos, testimonio sunt Insubres, ijdemque Boij, conditumque à Gallis Mediolanum, [illegible] Pompei, Brixia, Ravenna, Bergomum, ac plæraque alia oppida, capta, exustaque Roma. Neque etiam Hispaniam intactam reliquere, sed eius parte occupata, nomen suũ admittere coëgere, fatentur Celtiberi, à Celtis gallis, ac Iberis hispanis oriundi. Verum vt est rebus omnibus, à Deo certa, definitaque ortus interitusque constituta ratio, terminus ac limes cum in potiores Europæ Prouincias Galli missa iuuentute colonias condidissent, auctis domi opibus, factionibus laborare cœperunt, alterque alteri imperare est conatus. Testatur id disertis verbis Cæsar belli gall. lib. 6. his verbis: „In Gallia non solum in omnibus Ciuitatibus atque Pagis, partibusque sed penè etiam in singulis domibus factiones sunt, &c. Hinc bella domestica & Ciuilia, & interneciua sunt secuta, vnde tandem est factum, vt pars debilior vicinos Germanos in auxilium euocans, cum horum auxilio, dominationis æmulos superasset, in proprios agros terre fœcunditate allectos, admittere Germanos cogeretur. Hy enim considerantes Gallorum dissentiones ac factiones, excita domo maiori manu, primùm agros Arvernorum (à Sequanis vocati, adiutiq;) deinde & Sequanorũ, quorũ erant mercenarij, Rege Ariovisto (hoc est Ernalto) duce occuparunt, eosque imposito graui tributo, iugoque, sibi parere coegêre, idemque vicinis impendebat, nisi veniens cum legionibus Cæsar, victos Germanos, vniuersa expulisset Gallia, vt eadẽ Æstate Heluetios, Galliam interiorem, constituendi noui Regni causa ingredientes, ingenti superatos prœlio, domum reuerti coëgerat. Externo, domesticoque Bello, Cæsar in Gallia defunctus, vt Heluetij, & Germani fecerant, gallicas factiones alit, fouetque, Heduos, ac Rhemos, Populi Romani Amicos nominatos, a cæteris Gallis arte ac promissis separat, eorumq; opera, auxilioque, facile reperta causa, bellum vniuersæ infert Galliæ, eamque post decennalium certaminum varias conuersiones, totam perdomat, inque potestatem Pop: Romani redigit, quibus circiter: 550. continuis paruêre annis ad vsque tempora Luitwichi (corruptè Clodouei) magni Francorum Regis, nominis secundi. Hic enim omnium primus, inter eos qui Gallia Romanos pellere sunt conati, voti compos est factus, subactis quoque Burgundis ac Westgothis, qui noua non ita pridem in Gallijs Regna constituerant, vniuersaque tandem subacta, Monarchiam Gallicam successoribus reliquit, qui cum annos circiter: 214. in ea imperassent, Pippino, cognomento Breui, Patri Caroli Magni, eandem tradidere. Quum Pippiniani ac Carolini annis circiter, 245. regnassent Capetis, ignotæ stirpis genti, rerum summam tradere coãcti, Franciæ, Galliæque Regno excessere. Exinde Gens, Capetica in hunc meæ scriptionis annum, 1600. decurso ferme quinto sæculo perdurat, quanquam sub initium valde exiguis Regnum eorum contineretur limitibus, nec vnquam ad Galliæ

monarchiam (vt fecerant Franci & Pippiniani) extremo tamen conatu eo contendentes, peruenire quiuerunt. Id tamen nuptijs, belloque temporis successu obtinuere, vt vniuersæ Europæ formidabiles facti, Asiæ etiam ac Africæ arma, inferre sint ausi. Vexati subinde, tentatique non semel Allobroges, Sequani, Belgęque septentrionales, nunquam tamen Capetis, libera voluntate paruêre. Hedui ac Armorici, vi non voluntate, imperium eorum ab hinc annis paulo plus centum, admittere sunt coacti. Nunc vero domesticis seditionibus, è relligionis, pietatisq; contemptu ortis intra primos fere fines redacti, auro argentoque fere exhausti, inita cum vicinis omnibus pace, quiescere videntur. Quum mecum accuratius expendo qualis fuerit sub aduentum Iulij Cæsaris Gallorum Respublica, cum nulla eam hoc tempore melius comparare posse me video, quã cum Germanorum cis ac trans Rhenũ habitantium. Fateor quidem antiquos Gallos monarcham non agnouisse, Germanos hodie Cæsaris sui superbire maiestate. Verum si ea talis esset, qualis fuit Carolorum, Ottonum, Fredericorum, ac Henricorum, omnis mea caderet comparatio. Sed cum considero, hodie Cæsaris quidem extare nomen, potestatem mutare, non possum non in hanc propendere sententiam. Varij hodie inter Germanos conspiciuntur Reguli titulis distincti, Imperij vero absoluta potestate plane pares: Quam multi olim inter Gallos fuerint Reguli, Cæsar, Tacitus, alijque, non vno declarant loco. Liberæ olim inter Gallos fuere Ciuitates, quæ minora oppida, Pagos, ac Vicos subditos habebant aut in clientelam receperant: Idem hodie in Germania videmus. Galli (authore Cæsare) lingua, institutis, ac legibus inter se differebant: hoc amplius nostro tempore Germani, quod etiam relligionum varietate discrepent. Omni Gallia vno consensu bellum decernente, non Regem, sed e Principibus Ducem constituebant, singulari Prouincia idẽ moliente, si Regem habebat, exercitum ducebat, si libera erat, è suis Præfectum dabat: Idem non semel apud Germanos, vsuvenisse scimus, vidimusque. Paucissimi in Germania Regis nomine salutantur, multi tamen Regię, hoc est, absolute imperant: Idem inter Gallos olim factũ legimus. Potentem monarcham nec olim Galli, nec vnquam Germani, nisi armis coacti tulere. Quis autem fuerit media ætate, tempore nimirum Cæsaris Valentiniani, ac Valentis Gallię status, ex Ammiani Marcellini, quanquã valde mendosi, ac mutili, libro decimo quinto adferemus, „ vbi in hunc scribit modum: Temporibus priscis, cum laterent hę partes vt Bar- „ baræ, tripartitę creduntur fuisse Galliæ, in Celtas, eosdemque Gallos diuisæ, in „ Aquitanos, & Belgas, lingua, institutis, legibusque discrepantes. Et Gallos qui- „ dem qui Celtę sunt, ab Aquitanis Garumna disterminat flumen è Pijrænéis „ oriens collibus, postq; Oppida multa transcursa, in Oceano delitescens. A Bel- „ gis vero eandem gentem Mâtrona discindit & Sequana, amnes magnitudinis „ geminę, quę fluentes per Lugdunensem, post circunclausum, ambitu Insulari „ Parisiorũ Castellum Lutetiam nomine, consociatimque meantes protinus pro- „ pe castra Constantia funduntur in mare. Horum omnium apud veteres Belgę dicebau-

dicebantur esse fortissimi , ea propter quod ab humaniore cultu longe discreti, nec aduentitijs effœminati delitijs, diu cum trans-Rhenanis certauere Germanis. Aquitani enim ad quorum littora, vt proxima placidaque, merces aduentitię conuehuntur, moribus ad mollitiem lapsis facile in ditionem venere Romanam. Regebantur autem Gallię omnes (iam inde vt crebritate bellorum, vrgenti cessere Iulio Dictatori) potestate in partes diuisa quatuor, quarum narbonensis vna, Viennensem intra se cõtinebat & Lugdunensem : altera Aquitanis præerat vniuersis. Superiorem & Inferiorem Germaniam, Belgasque duæ Iurisdictiones ijsdem rexere temporibus. At nunc numerantur Prouincię, per omnem ambitum Galliarum, Secunda Germania prima ab Occidentali exoriens cardine Agrippina , & Tungris munita ciuitatibus amplis & copiosis: Dein Prima Germania, & pręter alia municipia Moguntiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, Barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima Mediomatricos prętendit, & Treveros domicilium Principum clarum. Huic annexa est Belgica secunda, qua ambiani sunt, Vrbs inter alias eminens, & Cathelauni, & Rhemi. Apud Sequanos Bisontios vidimus & Rauracos, alijs potiores oppidis multis. Lugdunensem primam Lugdung ornat, & Cabillones , & Senones, & Biturigę , & mœnium augustduni magnitudo vetusta. Secundam enim Lugdunensem Rhotomagi, & Thurini, Mediolanum ostendunt , & Tricastini, alpes Graię , & Penninę , exceptis obscurioribus , habent & Aduenticium desertam quidem Ciuitatem, sed non ignobilem quondam, vt ædificia semidiruta, nunc quoque demonstrant. Hæ Prouincię Vrbesque sunt splendidę Galliarum. In Aquitania quæ Pijrænëos montes, & eam partem spectat oceani quę pertinet ad Hispanos , prima Prouincia est Aquitanica , amplitudine ciuitatum admodum culta omissis alijs multis Burdegala , & Auerni excellunt, & Zanctones, & Pictaui. Nouem Populos Ausci commendant & Vasatę. In Narbonensi, Clusa, & Narbona, & Tolosæ , quę principatum Vrbium tenent. Viennensis Ciuitatum exultat deçore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Aralata, & Valencia, quibus Massilia iungitur, cuius societate, & viribus in discriminibus arduis, fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluuij sunt, & Nicęa, & Antipolis, Insulęque Stœcades. A Pœninis Alpibus effusiore copia fontiũ fluens Rhodanus, & procliui impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat , & Paludi se ingurgitat nomine Lamano , eamque intermeans, nusquam aquis miscetur externis, sed altrinsecus summitates vndæ pręterlabens, segniores quęritans exitus, viam sibi impetu veloci molitur, vnde sine iactura rerum, per densa paludium fertur, & Sequanos, longeq; progressus, Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem, & emensus spatia flexuosa Ararim, quem Seuconnam appellant inter Germaniam primam fluentem suum in nomen asciscit , qui locus exordium est Galliarum. Exinde non millenis passibus, sed Leucis itinera metiuntur, vbi auctus Rhodanus aquis aduenis locupletior, vehit grandissimas naues, ventorum flatu iactari sępius assue-

tas, finitusque inter valles, quas ei natura præscripsit, spumens Gallico mari concorporatur, per patulum Sinum quem vocant: Ad Gradus: ab arelate octauodecimo ferme lapide disparatum. Hactenus dicto libro, Ammianus Marcellinus:

Regionum Veteris Galliæ, ac nostri Sæculi appellationes.

Capvt Secvndvm.

Antiquæ Galliȩ limites, ac laudes, quã potuimus breuissimè in genere descripsimus, nunc eiusdem Regiones quibus quatuor plagæ eius diuiduntur, ornanturque, eadem breuitate & perspicuitate exponamus. Diximus superiori capite flumen Rhenum ab Oriente, Galliam a Germania seperare, transcensisque Alpibus, fines Orientales secundũ rectum Sinus Adriatici littus, ad agrum vsque Picœnum extendere. Continuit autem olim hic Galliæ Orientalis tractus, has sub se Regiones, vt eas olim & hodie Latini appellarunt, & Gallo Franci:

Insubres.		Lombardia: Ducatus Mediolanensis.
Gallia, Transpadana.		Lombardia Cispadana.
Æmilia, seu Gallia Cispadana.		*Lombardia Transpadana, quo tractu continetur quicquid Veneti in continente possident: Ferraria: Parma: Placentia: Bononia: Rauenna: Mantua: Ditio Astensis, ac Monferratensis.*
Heluetij.		Suitzeri.
Hedui, Ædui ad montem vsque Iuram extensi.		Ducatus Burgundiæ, ac aliquot vicini.
Sequani ad montem vsque Gebennam vergentes.	*Nunc*	Comitatus Burgundiæ, cũ aliquot vicinis.
Rauraci.		Ditio Basiliensis.
Tribocci.		Ditio Argentoratensis cum Alsatia.
Vangiones.		Ditio Wormaciensis.
Nemetes.		Ditio Spirensis.
Mediomatrices.		Ducatus Lotharingiæ pars.
Treueri vel Treuiri.		Ditio Trierensis.
Vbij.		Ditio Coloniæ Agrippinæ.
Menapij ac Sicambri		Cliuij ac Geldri Cis-Rhenani.

Ad Occidentem verò, quem concludi diximus Montibus Pyrœneis, quo in Oceano Cantabrico, nunc Biscaico, ac Mediterranẽo finiuntur, Galliamque ab Hispania diuidunt, hy olim Populi, ac hæ Gentes habitarunt.

Vascones

Vascones.	Nunc	*Gascongne.*
Tolosates.		*Toulouse.*
Auxi, ac Ausci.		*Auxitain.*
Garumnij.		*Guienne.*
Petrocorij.		*Perigort.*
Pictones.		*Poictou.*
Zainctones.		*Zainctoigne.*
Lemouices.		*Limoisin.*
Auverni.		*Auuergne.*
Vocates.		*Ditionis Toulosæ pars*
Tarusates.		*Toursie.*
Sontiates.		*Lauedan.*
Cocosates.		*Conserans: Carcassone.*
Bigerrones.		*Bigorre.*
Tarbelli.		*Tarbe: Aquæ Tarbellæ: nunc Aicqs.*
Fluscates, ac Flustates		*Foix.*
Garites.		*Lectorienses.*
Narbonenses.		*Narbonne.*

Regiones his, ac sequentibus vicinæ, multarum hodie gentium partes occupant, vt etiã Bearni, Languedocij, Geuoudani, Commingenses, pars Asturum, Biscaiæ, ac Regni Nauarræ in Gallijs sitæ.

Prætiani.	Nunc	*Albreth.*
Rhuteni.		*Rhodes Galliæ.*

Meridionalis Galliæ tractus, qui definitur mari Mediterranëo, & quicquid ab Arni fluminis ostio, ad Anconam vsque terrarum, in Italia versus Orientem conspicitur, hæ olim fuere Regiones.

Allobroges.	Nunc	*Sabaudi. Sauoye.*
Taurini.		*Pedemontij. Piemont.*
Vocontij.		*Vasatij.*
Centrones.		*Tarentaise.*
Caturiges.		*Breßij, ac apud hos, Chatges.*
Garoceli.		*Calorsij: Val de Morienne.*
Axiobriges.		
Antuates.		*Parys de Vaut.*
Veragri.		*VVallisserlant.*
Aremici seu Artomici.		*Armignac.*
Oscelli.		*Thun, Italice: Domo D'oscella.*
Lingones.		*Langres.*
Sebusiani.		*Breßants.*
Volgæ seu Volscæ.		*Auignon.*
Nitiobriges.		*Montpelliers.*

Continentur etiam ſub dictis nominibus, quicquid hodie eſt ſub ditione Delfinatum, Prouinciæ Lugdunenſis, ac Narbonenſis, vbi ſunt præcipui, Vienneſes, Orangij, Valenciani, Arelatenſes, Maſſilienſes, multæq; aliæ nobiles ad mare Mediteraneũ, eiuſq; alpes maritimæ Ciuitates, quibus accedebat vniuerſa Liguria, nunc Ditio Genuenſis, ad flumen vſque Arnum pertingens. Ad Septentrionem vero, vbi Galliam Mari Britannico, Germanicoque terminari diximus, hæ erant Regiones:

Canine fates.	Marſaci.	Ambiuariti.	*Horum nomina, vt Belgarum propria ſequentibus a nobis Capitibus, ample copioſeque explicantur, ac proinde, hic tantum nuda nomina ponuntur.*
Mattiaci.	Menapij.	Bethaſij.	
Leuaci.	Geſſoriaci.	Taxandri.	
Grines.	Gorduni.	Eſſuij.	
Pæmani.	Grudij.	Neruij.	
Caleci.	Batauj.	Aduatici.	
Pleumoſij.	Morini.	Eburones.	

	Nunc
Lexouij.	*Liſeux.*
Oromanſaci.	*Vicini Geſſoriacis, ac Iccijs.*
Rhedones.	*Renes apud Britones.*
Bellocaſſij ſeu Vellocaſſes.	*Veugaſſins.*
Diablintrij.	*Leondul: niſi malis cum Becano:* Linter in Brabantia.
Oſiſſini.	*Landriguet.*
Andes.	*Angiers: Anjou: Andegauenſes.*
Iccij ſeu Itij.	*Cales: aut Fanum Audomari.*
Ambibari.	*Ambie.*
Ambiliates.	*Auranche.*
Nannetes.	*Nantes Britonum.*
Eburouices.	*Eureux: Eureuſij.*
Cœnomanni.	*Le maine: Mans.*

Ad hęc & illi omnes ad Septentrionalem pertinent Galliam, qui olim dicti fuere Armorici vſque dum ad ea Belgij venias littora, quę hodie occupant Hollandi, Zelandi, Flandri, Brabanti, Picardi maritimi, Comitatus Bolonię, Ponti, Arteſiæ, pars Veromanduorum, Cauxij, Nortmanniæ, Perchiæ, Mainæ Nortmannicæ, Tourainæ, Andegauum, Conſtantiæ nortmannicæ, Beſsinæ, Superiorum ac Inferiorum Britonum. Mediterranei vero, qui proprie Galli, olim vernacula eorũ lingua Celtæ dicebantur, & quatuor mundi plagas hinc inde attingunt, ſeparanturque ſecundum Ceſarem ab Aquitanis ſeu Armoricis flumine Garumna: A Belgis Mâtrona, ac Sequana: ab Allobrogibus Prouincia Romana, Arari, ac Rhodano amnibus, attinguntque Rhenum in Sequanis ac Heluetijs verguntque ad ſeptentriones. Aquitania a Garumna fluuio ad Pijræneos montes Oceanumq; Hiſpanicum pertinens, ſpectat occaſum Solis, &

Septen-

Septentriones. Prouincia Romana, ac Allobroges, ad Italiæ alpes mareque se mediterraneũ extendentes, in Orientẽ, meridiemq; prospiciunt. Idem Sequani, & Heluetij faciunt, nisi quod loco maris mediterranei, ad Rheni fontes tendere cõspiciantur. Continentur autẽ Celtica Gallia hæ Regiones, ac hi Populi:

Parisij: postea Lutetia dicta.	Nunc	*Parijs.*
Senones.		*Sens.*
Mandubij.		*Horũ olim oppidum Alexia, nunc pars Ducatus Burgundiæ.*
Ambarri.		*Charolois.*
Aulerci.		*Rouan. Posterioribus Latinis Rothomagum.*
Bituriges.		*Berry. Bourges.*
Bramouij.		*Brianson.*
Boy.		*Bourbonnois.*
Carmites.		*Chartres.*
Gaballi.		*Geuoudan.*
Heluij.		*Albi: ac, Albigeois.*

Inter Celtas etiam censentur omnes Armoricæ Ciuitates Britones, Nortmanni, Transsequani, Andegauij, Cœnomanni, Turonenses, Perchia, Beaussia, Gastinosij, Sallongnij, Berrij, Niuerny, Forestij, Beaulosij, Moruantij, Bassignij, Alsati, Heluetij, quique his annumerantur, & hoc tractu, ad Orientalem Galliæ partem spectare, paulò ante diximus. Hæc nunc sufficiant, de antiquæ Galliæ situ, ac Regionibus. Exinde ad Iulij Cæsaris, deinde ad nostri sæculi, Galliæ descriptionem properemus.

De Galliæ Situ, limitibus, ac partibus tempore Iulij Cæsaris.

CAPVT TERTIVM.

ROmani trecentis fere continuis annis de Imperio Italiæ, cum cæteris Italis bellum gessêre neq; de inuadenda Sicilia, Sardinia, Vicinis Insulis, alijsque Prouincijs cogitauêre, quam hac in re voti compotes facti, quod mox post bellum Tarentinũ, cum Rege Pijrrho gestum, finitumq;, factum fuit. Pijrrho enim in Græciam reiecto, mox ob Siciliam, primum ortum est Punicum bellum, quo tempore primum Romani, ex Italia exercitũ duxêre. Eo finito cum Gallis Insubribus ac Boys ancepitibus, cruentisque dimicatum est prœlijs, donec circiter anno ab Vrbe condita quingentesimo, ductu, ac fortitudine Consulis, M. Claudij Marcelli, Galli victi, captumque Mediolanum cum vicinis Oppidis, Insubres Romanorum fortunæ, armisque cedentes, in Prouinciæ formam sunt redacti. Exinde Romani occupantes,

pantes, quicquid Galli ab agro Picœno Cisalpes intra Rhodanum, ac mare Mediterraneum, agrorum incolebant, in hunc vsque diem, Prouinciæ Romanæ nomen reliquerunt, Italiæque iterum vendicarunt. Anno ab Vrbe condita circiter septingentesimo, Taurini, & Allobroges (nūc Pedemontij, ac Sabaudi) Prouinciæ Romanæ inhiantes, a Consule victi, in Prouinciam quoq; redigun-tur, ita vt Iulij Cæsaris tempore, omni Transalpina Ditione deuicta Romanis parêret, quidquid ab Oriente, Septentrione, & Rheni fontibus, ad alpes vsque maritimos, & mare Ligusticum agrorū concluderetur, Galliæq; initium ab hac parte essent, fontes Rheni, Heluetij, Sequani, Allobroges, ac Prouincia Romana propriè dicta, Insubribus, cum Transalpina Ditione Italiæ restitutis. Quæ his in partibus Galliæ fuerint Regiones, superiori capite exposuimus. Quam autē graue, ac diuturnum Romanis fuerit cum Transalpinis Gallis bellū, Polybius inter Græcos, Liuius apud Latinos copiosè enarrat. Hinc Manlij Torquati gloria, Curij, ac Flaminy Consulum insignes victoriæ, tandemque. M. Claudij Marcelli, &. C. Cornelij Scipionis de his triumphi. Periêre authore Polybio his bellis inter multos alios Galliorū Principes, duo eorum Reges, Ariouistus, ac Viridomarus. Author est idem Polybius belli Gallici Cisalpini prœlia, & pericula nulla in re alijs Romanorum bellis fuisse minora, sed cum maximis conferenda, maioremq; eos cladem, Romanis fuisse illaturos, si tam consilio, ac prudentia, quam impetu, ac ferocia, Gallorum Proceres vti didicissent.

Veteris igitur Galliæ prima diuisio fuit in Transalpinam seu Veteriorem: ac Cisalpinā seu Citeriorem. Rursum Transalpina in Narbonensem & Comatam secatur. Cisalpina in Transpadanā, & Cispadanā quę & Togata fuit dicta a Toga Romana, quam ab ijs deuicti sumpsêre, Comatā; posuere. Cumq; Iulij Cæsaris tempore Cisalpina Italiæ esset restituta, Transalpinæ descriptionem persequamur. Ea autem est, & olim fuit bifaria. Prima per Regiones distinguebatur, nimirum in Belgicam, Aquitanicam, & Celticam, quarum separationes Cæsar sub initium libri primi belli Gallici eleganter dipingit, nos superioribus capitibus Aquitanicæ, ac Celticæ Regiones enumerauimus, ac pro parte etiam Belgicæ, quam mox plenius explicabimus, nam eius causa hæc Galliarum descriptio, a nobis est suscepta. Altera Galliæ diuisio, ab hominum cultu olim fuit desumpta, distinctaque in Galliam Togatam, Comatam, ac Brachatam, idque etiam ante, & post Iulij Cæsaris tempora. Plinius enim lib. 4. cap. 7. natur. hist. inquit. Gallia omnis Comata vno nomine appellata, in tria Populorum genera diuiditur, amnibus maxime distincta. A Scalde ad Sequenam Belgica: ab eo ad Garumnam Celtica eademque Lugdunensis. Inde ad Pyrænei montis excursum Aquitania, Armorica antea dicta. Fuit autem appellata Gallia Comata, ab alendis comis, seu capitis capillis, vt olim faciebant Alpini teste eodem Plinio lib. 11. cap. 37. e quibus fuere Celtæ, Belgæ, Armorici, ac Gallia Lugdunensis. Bracata vero fuit Gallia, quæ & Narbonensis teste Plinio lib. 3. cap. 4. in hunc modum loquente: Narbonensis Prouincia appel-

latur

latur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur Bracata antea dicta, Amne Varo ab Italia discreta, alpiumq; saluberrimis Romano Imperio iugis. A reliqua vero Gallia latere septentrionali, montibus Gebenna, ac Iura. Mela lib.2. cap.3. ita scribit: Pars Galliæ nostro mari exposita, fuit aliquando dicta Bracata, nunc Narbonensis. Fuit autem Bracha, aut Braca, Tunica omnibus Gallis Transalpinis comunis, cui Sagum, & quoq; Togam imponebant, quod e Suetonio in Vita Iulij Cæsaris cap. 80. ita loquente, palam est. In Curia Galli Bracas deposuerunt, Latum Clauum sumpserunt. Erat autē Latus Clavus, Tunica Senatorum Romanorum teste Suetonio in Augusto, cap. 38. ita scribente: Liberis Senatorum, quo celerius Republicæ assuescerent, protinus Virilem Togam, Latū Clavum induere, & Curiæ interesse permisit. Et cap.73. Veste non temere alia quam domestica est vsus, ab vxore, sorore, & filia, neptibusque confecta. Togis neque restrictis, neque fusis, Clauo nec lato, nec angusto. Idē cap. 94. Sumenti Virilem Togam Tunica lati Claui resuta, ex vtraq; parte ad pedes decidit. Idem in Tyberio cap. 35. Senatori Latum Clavum ademit. In Claudio: Latum Clavum etiam libertini filio tribuit. Et in Vespas. cap. 2. Sumpta Toga Virili, Latum Clavum diu auersatus est. Item cap. 4. conuictus quoque dicitur ducenta. H-S. expressisse iuveni, cui Latum Clavum, aduersus patris voluntatem inpetrarat. Idem patet ex Horatio libro primo Satyra. 5.

Fundos, Aufidio Lusco Prætore libenter
Linquimus: insani ridentes præmia Scribæ,
Prætextam, & Latum Clavum, prunæque Batillum.

Ridet Poëta Aufidij Scribæ stultitiam, qui Senatoriam Vestem, Ordinemque indignus impetrarat. Idem eodem libro, Satyra sexta.

Quo tibi Tibulli.
Sumere depositum Clavum, fierique Tribun o

Nimirum ex Senatore, cuius inter alia est Vestis, latus Clavus. Idem docet Plinius lib:8:cap:48:his verbis: Tunica lati Claui in modum Gausape, texi tum primum incœpit. Idem lib.9. cap.39. Nam Toga prætexta, & Latiore Clavo Tullium Hostilium è Regibus primum vsum, Hetruscis devictis satis constat. Diuersa autem fuisse Galliam Comatam, & Bracatam, è Tacito etiam liquet, qui libro 11. in hunc modum scribit: A Vitellio L. Vipsanio Consulibus, cum de supplendo Senatu ageretur, primoresque Galliæ quæ Comata appellatur, fœdera & Ciuitatem Romanam pridie assecuti, ius adipiscendorum in Vrbe honorum expeterent. Et paulo post: Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minùs insignes viros è Gallia Narbonensi transiuisse? manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Gallia igitur Comata eadem est quæ & Celtica: Togata, quæ &

Cisalpina: Bracata quæ Narbonensis & Prouincia Romana dicitur. Cùm autem loquor de Transalpina, & Cisalpina Gallia, statuito me in Italia agere, ne contraria opinione ducaris si me, aut te constituas in Galliam Celticam, Aquitanicam, aut Belgicam. Qua autem olim Galli lingua fuerint vsi variæ doctorum Virorum feruntur opiniones, & sententiæ. Sunt enim qui eos propriam habuisse, Teutonibus, Hispanis, ac Italis eius temporis incognitam asserant, dialectis tamen inter se, diphthongis, ac elocutione tantum differentem, vt hodie est Teutonica, Gallica, Hispanica, ac Italica. Alij docere conantur, eos eodem fere sermone quo hodie inferiores Germani seu Belgæ, alij, quo Superiores vtuntur locutos esse, idque argumentis, ac testimonijs non omnino reijciendis. Adferunt enim in hanc rerum, hominum vtriusque sexus, Oppidorum, Ciuitatum, Vrbium, Fluminum, ac Regionum nomina, eorumque etyma quærentes, ea planè germanica esse contendunt. Hominum aliquot nomina, horumque ex etymis elicitas interpretationes in fine libri secundi, ordine Alphabetico collegimus. Pauca hic adferamus locorum nomina. Insuber significare volunt, Inzuper, productè enunciando: Mediolanum, Middellaen: Ravenna, Ravennet: Bergomum, Berchmont: Brixia, Britten, id est, incola Insulæ Britanniæ. Cætera germanicam Superiorem, aut maxime Inferiorem linguam callentibus aperta sunt. Padium Italię apud Insubres flumen, Plinius lib. Nat: hist: 3: cap: 16: dictum vult à Gallica voce Pades, quod eis Picæam dici asserit, Belgæ hodie Pec, ac Pic vocant, latini Pix. Idem Plinius lib: 9: cap: 4: dicit maximum animal in Indico Mari Pristis, & Balena est, in Gallico Oceano: Physeter. Quis tam imperitus est germanicæ linguæ, qui non intelligat hoc vocabulum, è duabus monosyllabis, Phis, ac eter, compositũ significare Pisciũ Voratorẽ? Plura Italo-Gallica, nomina ex etymis adferri possent, sed hæc sufficiant. Ex vngue enim Leo cognoscitur.

Descriptio Veteris Gallicæ Belgicæ.

Caput Quartum.

Vniversæ Galliæ descriptione, quam potuimus breuissimè, attamen clarissimè absoluta Regionibusque eius enumeratis, ad Belgicã (cuius causa hic susceptus est labor) reuertamur, ac primum quæ, qualisque antiqua fuerit, dicamus, potioresque eius Regiones describamus, tum in quas nostri temporis Belgium Gentes diuidatur, declaremus. Cęsar pro maxima parte, de huius Prouinciæ Colonis loquens, eos Belgas multitudinis numero appellat. Prouincię verò vna voce ac appellatione raro neminit, eamque tum Belgium nominat, aut si quis hoc vocabulo Vrbem, non Regionem designari, contendere velit, fateatur eadem opera necesse est, Cæsarem alioqui latinæ linguę studiosissimum, doctissimumque non solum absurda, sed etiã pręter motem latinè loquentium solœcissimum committere. In hunc enim modum lib. bell.

bell.gall.5. ter Belgij facit mentionem: Britanniæ pars interior ab ijs incolitur, »
quos natos in Insula ipsi memoriæ proditum,dicunt: Maritima pars ab ijs, qui »
prædæ,ac belli inferendi causa, ex Belgio transierant, qui omnes fere ijs nomi- »
nibus Ciuitatũ appellantur, quo orti eo peruenerint, & bello illato permanse- »
runt,atque agros colere cœperunt. Quis non intelligit Regionem non Vrbem
Cęsarem hic sentire,ac indicare,quum Belgij Ciuitates nominat. Et paulò post: »
Tres legiones in Belgio collocauit. Iterum paulo post: L.Plancum cum legione »
ex Belgio celeriter, in Carmites proficisci iubet, ibique hiemare. Ex his locis »
apertum est, Belgium pro Regione ac Prouincia, non pro Vrbe, nec Ciuitate
aliqua poni. Non enim latina fert consuetudo, vt de Vrbe loquentes dicamus:
Ex Belgio transierant. Tres Legiones in Belgio collocauit: Cum legione ex Bel-
gio proficisci iubet, vt non dicimus: Ex Roma, ex Capua, ex Mantua, ex Me-
diolano, sed Roma, Capua, Mantua, Mediolano proficisci. Rectè ac latinè adde-
retur præpositio, si de Regione aut Prouincia loqueremur, vt ex Italia, ex His-
pania, è Gallia Græcia, Belgio, Britannia. Belgium igitur apud Cæsarem Regio-
nem esse certam, non oppidum, Vrbem, nec Ciuitatem aperta eius verba indi-
cant. Quæ autem fuerit inter Belgas ac Belgium differentia non satis inter eru-
ditos constat. Videamus an è Cæsaris verbis, elicere id possimus. Is, vt diximus
libro bell:gall:quinto, sæpius Belgij mentionem facit, ac inter alia hoc modo: »
Coăctus est aliter atque superioribus annis exercitum in hibernis collocare, le- »
gionesq; in plures ciuitates distribuere, ex quibus vnā in Morinos deducendam »
C.Fabio legato dedit. Alterā in Neruios Q.Ciceroni. Tertiam in Essuos L.Ros- »
cio: Quartam in Rhemis cum T.Labieno in confinio Trevirorum hiemare ius- »
sis. Tres in Belgio collocauit, his M. Crassum Quæstorem, & L. Munatium »
Plancum, & C.Trebonium legatos præfecit. Vnam legionem quam proxime »
trans Padum conscripserat, & cohortes quinque in Eburones, quorum pars »
maxima est inter Mosam & Rhenum, qui sub imperio Ambiorigis, & Catavul- »
ci erant, misit, his militibus Q.Titurium Sabinum, & L. Arnuculeum Cottam, »
legatos præesse iussit. Ex his verbis apparet, Cæsarem octo legiones, ac quinque
cohortes, exceptis auxilijs, & equitibus, de quibus nil memorat, Belgis in offi-
cio continendis, per eorum Regiones, quas Ciuitates vocat, in hibernis distri-
buisse, inter quas Regiones aut vt ipse loquitur Ciuitates, Belgium vnam fuisse
apertè scribit, eamque (vt ex præsidij magnitudine apparet) maximam, quod
sola tribus legionibus, exceptis auxilijs, & equitibus, quæ semper legiones certo
numero comitabātur, ac proinde iusto exercitu indiguerit. Morini verò Neruij,
Essuy, Rhemi, Treviri, ac Eburones, præcipui tum Belgarum Populi seu Ciui-
tates, singulis tantum in officio, continebantur legionibus. Et quidem Morini,
Neruij, ac Essuij, pro partè etiam fuere maritimi: Rhemi, Treviri, ac Eburones
mediterranei, inter quos si constitueris Belgium, fortè non aberrabis à vero, ita
vt sub Belgij Regione, aut Ciuitate Cæsaris tempore comprehensi fuerint, Ba-
taui, Caninefates, Marsaci, Mattiaci, Advatici, Bethasij, Condrusij, Grudij, La-

vaci, Gorduni, Pæmani, Ambibariti, Toxandri. Atrebates, Veromandui, Ambiani, Bellovaci, horũque clientes, quibus domandis, ac in officio continendis, quid mirum ſi Cęſar iuſtum impoſuerit exercitum, cum alioqui in ordinem redigendis, potentiſſimis, ac belliciosiſſimis Treveris ſingulis ferè annis rebellantibus, vnicam cum auxilijs, ſufficere indicaret legionem. Quod ſi dicas memoratis Cęſaris verbis Belgium vniuerſos comprehendere Belgas, ſingularum verò Regionum præſidia, diſtinctionis cauſa, ac vt ſciretur quibus hiemarent locis eſſe adiuncta. Reſpondeo fruſtra, ne dicam abſurdè tum commemorari tres legiones in Belgio fuiſſe collocatas. Debuiſſet enim dicere octo (tot enim numerat per Belgarum Regiones a ſe conſtitui) ac tum Regiones ſeu Ciuitates enumerare, in quas eas diſtribuiſſet. Sed verba, Cæſaris mentē tam nudè declarant, vt ineptum ſit de ea dubitare. Regionum igitur fuiſſe Belgium, non Vrbem, Oppidum nec Ciuitatem certum eſt. Confirmat hanc meã ſententiam A. Hirtius bel. gal. lib. 8. in hunc modum ſcribens: Quatuor legiones in Belgio collocauit cum M. Anthonio, & G. Trebonio, & P. Vatinio, & Q. Tullio legatis: Duas in Æduos miſit quorum in omni Gallia, ſummam eſſe authoritatem ſciebat: Duas in Treveris, ad fines Carnutũ poſuit, qui omnem Regionem coniunctã, oceano continerēt: Duas reliquas in Lemouicum fines, non longè ab Arvernis, ne qua pars Galliæ vacua ab exercitu eſſet. Quis hic non animaduertit agi de Regionibus, non de Vrbibus Galliæ, partim Prouinciæ Belgicæ, vt Treuiri, Belgij: partim Celticę vt cęteri, debitis. Adde quod & hic prępoſitio, IN, additur Belgio. Quid? quod etiam quatuor legiones tum admiſerit Belgium, quæ vltra viginti virorũ millia, ſine equitatu, ac auxilijs continebant. Paulo poſt iterum ait Hirtius in hunc modum: His rebus confectis ad legiones in Belgiũ ſe recipit, hibernauitq; Nemetocennæ. Et iterum: Cæſar cum in Belgio hiemaret, vnum illud propoſitum habebat, continere in amicitia Ciuitates, nulli ſpem aut cauſam dare armorum. Et mox iterum ſub libri octaui finem: C. Treboniũ cum legionibus quatuor in Belgio collocat, C. Fabium cũ totidem in Æduos deducit. Vides amice lector quam omnes hi loci, diuerſis è libris petiti, vnum idemque indicent, nimirum Belgium Regionem fuiſſe Belgarum ampliſſimam, Vrbem verò nulla ratione. Apud Corn. Tacitũ Belgij vocabulũ non memini me legiſſe. Belgas aliquoties, ſed ſemper (vt etiã pro maxima facit parte Cęſar) in multitudinis numero. Plura de his infra lib. 2. cap. 24. Nunc veterum Belgarum deſcriptionē aggrediamur. Belgæ authore Cęſare initio libri primi bel. gal. ab extremis Galliæ finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, ſpectant in ſeptentriones, & orientem Solem. Hæc verba obſcuritatē habent, tum ob breuitatē, tum quod Cæſar ſolis ſcribat Italis non Gallis, quemadmodũ omnes Itali Græcique authores ſunt intelligendi, cum loquuntur de Tranſalpina, & Tranſpadana, de Ciſalpina, & Ciſpadana Gallia, de Trans-Rhenana, & Ciſ-Rhenana Germania, exiſtimareq; debemus nos in Italia eſſe, nõ in aliqua parte Galliæ niſi toto cœlo errare velimus. Antiqui igitur Belgæ, pro parte a Tranſ-

Rhenanis

Rhenanis Germanis sunt orti authore Cęsare ac Tacito, sed vniuersa Regio ac Prouincia Cis-Rhenana est, incipiens à Rheni fontibus, cuius ripas donec in Oceanū labatur, nunquam deserit. Hodie hic tractus, quemadmodum & pro maxima etiam parte tempore Iulij Cæsaris à Germanis incolitur, qui in Superiores, ac Inferiores olim fuêre, & hodie sunt diuisi, aut in primam & secundam Germaniam, seu Belgicā Primam & Secundam. Prima seu Superior, ab Heluetiorum montibus incipiens, terminum habet fluuium Obrincum, seu Naham, aut Nauam, hodie iuxta Bingium oppidū, in mosellam influentem: Secunda seu Inferior Belgica ab Obrinco & mosella incipiens, in Oceanum Germanicum cum ipso Rheno Obrinci ac mosellæ aquas trahente, fertur. Tertia Belgarum pars Celtarū finibus ac Rheno includitur, nulloque alio quam Belgarum nomine vnquam fuit cognita adeo vt vniuersa antiqua Belgica, aut Belgium (vt ea voce posthac pro vniuersa vtamur ditione) olim Rheno, Sequana, ac Matrona fluuijs, Rhodani fontibus, Saltu Vogeso, Sylua Arduenna, marique Oceano comprehenderetur, ac in tres partes, vt iam diximus tempore Augusti Cæsaris diuideretur. Quo autē modo Cęsaris Constantij ætate authore Ammiano marcellino Belgæ diuiderentur supra fine primi capitis scripsimus. Veterū Belgarū Regiones, pro maxima parte supra c.2. sub Orientalis, & Septentrionalis Galliæ descriptione enumerauimus, quas tamē vt lector certius, vno in loco conspiciat, hic repetere non videtur incongruum, addereque eas, quæ dicto capite studio sunt omissæ. Fuêre autem hæ in Superiore, aut Prima Belgica.

Rauraci à monte Iura seu Iurasso, Heluetiorumque finibus incipientes, ditionem comprehendunt nunc à Primaria Vrbe dictam:	Nunc	Basiliensem.
Tribrocci nunc vtraque Alsatia, in qua caput est.		*Argentoratum.*
Nemetes.		*Spirenses.*
Vangiones.		*VVormatienses.*
Mediomatrices.		*Metenses, potiorque Lotharingiæ pars.*
Treueri.		*Trierenses, seruant nomen & Vrbem.*

In Secunda, Seu Inferiori Germanica seu Belgica, hi numerabantur Populi:

Vbij-Cis-Rhenani	Nunc	*Colonia Agrippina.*
Menapij.		*Geldrij, ac Cliuij Cis-rhenani.*
Eburones.		*Leodienses, ac Traiectenses ad Mosam.*
Neruij.		*Tornacenses amplam olim ditionem obtinentes.*
Morini.		*TeroVVanenses à Carolo quinto Cæsare excisi.*
Atrebati.		*Artesiæ pars maior.*

Bethasy.	Nunc	*Brabantiæ pars.*
Advatici.		*Brabantia gallica cum parte Ditionis Leodiensis.*
Tungri.		*Ciuitatem hodie ac nomẽ, perdita Ditione retinent inter Leodios numerati.*
Condrusij.		*Condrous.*
Rhemi.		*Rheims.*
Ambiani.		*Amiens.*
Veromandui.		*Vermandois.*
Suessones.		*Soissons: germanice, Svuessen.*
Bellovaci.		*Beauvoisin.*
Centrones.		*Centron: Fanum Trudoins, inter Leodios hodie.*
Grudij.		*Burgenses quibusdam, alijs Lanoy eorumque vicini.*
Levaci.		*Louanienses plerisq; alijs Flandriæ Orientalis maritimi accolæ.*
Pleumosy.		*Certi ad mosam Populi.*
Gorduni.		*Gandenses plerisque.*
Vellocasses.		*Veugassin, ac Veuxin.*
Caletes.		*Cales, eiusque littoris habitatores.*
Essuy.		*Eu, ac Eureux.*
Leuci.		*Lutzenburgij.*
Cæresi.		*Sereï.*
Segui.		*Sineï.*
Pæmani.		*Pælant.*
Sunici.		*Zons: Oppidulum ad Rhenũ sitũ, haud procul Colonia agrippina.*
Bataui. Caninefates. Marsaci. Mattiaci.	Nunc	*fere omnes Hollandi, aut Zelandi dicti.*
Grinnes. Vellanetes.		*Varie de horum duorum sedibus, sunt coniecturæ, ac Opiniones, de quibus suo loco agemus.*
Toxandri.	Nunc	*Campinicæ Brabanticæ pars.*
Ambibariti.		*Antverpiani.*
Gugerni.		*Gulcheren. hodie latine vocant Iuliacenses.*

Ad hæc plærique alij, minoris potentiæ Populi, ac proinde potentioribus parère consueti, quemadmodum & non pauci eorum, quos hic enumerauimus. In his Belgarum Ditionibus, Cæsar Augustus Opera nepotum Tibery, ac Drisi quinquaginta præsidia collocauit, locis oportunis erectis munitionibus, in quibus supra quinquaginta millia dedititiorum Germanorum constituit, vt fines Romanos perpetuis præsidijs contra cæteros Germanos defenderent, addideratque eis octo Legiones, e quibus quatuor Superiorem seu Primam: Aliæ quatuor Inferiorem, seu Secundam Belgicam tuebantur. Quam celebri loco Belgæ apud

apud Romanos fuerint, ex eo apparet, quod non pauci Imperatores in hac militarint, Imperij insignia sumpserint, nati, ac sepulti fuerint. Illud obseruatione dignum, non vnam, eandemque habuisse Belgium latitudinē. Longitudo enim eius à Basilæa Rauracorum, aut paulò supra versus Rheni Fontes, ad Oceanum vsque Germanicum, seu Rheni ostia, nonnihil superat centum quinquaginta, milliaria gallica communia, singula vna hora conficienda. Superior vero Belgica, vbi latissima conspicitur, etiam si illi connumeres quæ Hedui ac Sequani inter Celtas numerati ad Rhenum olim è Belgis possidebant, vix quinquaginta dictis milliaribus, a Celtis distat, id autem fuisse videtur apud moguntiam, vbi Superioris, aut Primæ Belgiæ latitudinem efficiunt Regiones Treuerorum, ac Mediomatricem, Celtis confines. Heduos enim ac Sequanos olim nulla Ditio separabat, sed affines erant. Rauracos soli Sequani: Vangiones ac Triboccos, Mediomatrices distinguebant. Nemetes, Treueri ac Mediomatrices. At Inferior, seu Secunda Belgica, paulo plus habet quam prima, aut Superior latitudinis, quod ex intermedijs Populis facillimè apparet. Nam inter Vbios seu Colonienses & Celtes, vbi latissima videtur Inferior Belgica, interiacent Menaxij, Treuiri, Eburones, Neruy, Morini, Veromandui, & Atrebates. Inter Bethasios ac Celtas olim conspiciebantur Aduatici, Tungri, Eburones, Neruy, & Atrebates. In Superiori seu Prima Belgica, qui longius a Rheno ac mari distant numerantur Mediomatrices & Treueri, horumq; clientes ac vicini. In inferiori ac Secūda Belgica Menopy citeriores, Eburones, Aduatici, Tungri, Condrusy, Neruy, Morini mediterranei, Atrebates, Rhemi, Veromandui, Ambiani, Suessones, Bellouaci, Centrones, Grudy quique hos supra memorati sequuntur. Meminisse etiam te lector oportet, quum apud posterioris sæculi scriptores legis Germaniam Superiorem, aut Primam: Inferiorem aut Secundam, eandem esse Regionen, quæ Belgia Superior aut Prima: Inferior aut Secunda. Ita enim postea à Romanis Germanorum Colonias in Belgas deducentibus, est dici & vocari cœpta. Atqui nunc satis pro instituto nostro dixisse videmur, qui olim fuerint Antiqui Belgæ, quis, qualisq; Regionis Situs, Populorumq; nomina. Nunc sequentibus capitibus eam per nationes clariores, maximeq; illustres diuidamus ac quicquid in ea hæ possederint explicemus, a Rhemi fontibus, vbi Orientē, septentrionemq; spectāt, incipientes.

De Superioris Belgij, Seu Primæ Germaniæ Populis: Ac Primum, De Rauracis, & Triboccis.

CAPVT QVINTVM.

AGrum intra Montem Iuram, ac hodie circaq; Vrbem Basileam sitū, veteres Germani (teste in Cosmographia Sebastiano Munstero) vocarunt, Rurchrachen, quod hodie proferimus Ruchkachen, quod Germanis asperas fauces sonat. Sed Romani compositionem Ger- *Rauraci, qui.*

manicam non intelligentes, Regionem vocarunt, Rauracam, Colonos Rauricos, ac Rauracos. Verisimilitudinem habet, quod montes, qui supra Basilęam, ab vtraque Rheni ripa oriuntur, cum coire videntur, fontium formam præseferunt, interiectiq; agri tam sunt steriles, & asperi, vt nec vinum, vixq; aridum, siccumq; ferant frumentum, ideoque meritò, Ruchrachen appellati. Metropolis Rauracorum, ab Incolis dicta, Raurach, à Romanis Rauracum, ducta ab ijs colonia, aucta, ampliataque, postea appellata fuit, Augusta Rauracorum, nunc in vilis Pagi formam redacta, vno milliari germanico, a Basilęa distat, veteris etiamnum nominis (August. dicta) primam seruans syllabam, è cuius ruinis Basilęa Rauracorum orta est, de qua, quemadmodũ & de Augustæ Rauricæ ruinis, consule Beatum Rhenanũ, virum vndequaque doctissimum, Rerum Germanicarum lib. 3. Ante Iulj Cæsaris in Gallias aduentum, simpliciter Rauraca, & Rauracum, a Romanis dicebatur, qua excisa, ac postmodum a Romanis restituta, nouisq; colonis aucta, Augusta Rauracorũ est nominata, vt è vetusto apparet lapide, Caietæ in Italia reperto, in Turri vulgo dicta, Orlandica, qui in
„ nunc habet modum: L. Munatius. L. F. L. N E P. Pro-Cons: Imp. iterum,
„ VII. V I R. E P V L. triumph. ex Rhætis, Ædem Saturni fecit de manubijs.
„ Agros in Italia diuisit Beneuenti, in Gallia Colonias deduxit, Lugdunum &
„ Rauricam. Durauit hoc nomine ad Ammiani vsque Marcellini tempora, qui
„ libro histor. 14. de ea sic scribit: Vbi prope Rauracum ventum est ad supercilia
„ fluminis Rheni, resistente multitudine Alemanna pontem suspenderunt na-
„ uium compage. Idem lib. 16. Parte alia Barbatio, post Syluani interitum, pro-
„ motus ad Peditum magisterium, ex Italia iussu Principis, cum viginti quinque
„ millibus armatorum Rauracos venit. Hac igitur Vrbe funditus diruta ab Alemannis, Burgundis alijsque barbaris nationibus, cum non paucis alijs Ciuitatibus ad vtramque Rheni ripam sitis, ædificata est (incertum à quo) alia Ciuitas, appellataque Augusta Magna, quæ tandem ab Hunnis est deleta. Germanorum Imperator Heinricus Auceps, pater Cæsaris Ottonis primi, (vt nostri temporis volunt Germani) eam restaurans, græca voce Basilæam, hoc est, Regiam vocari iussit. Sed nescio an certis testimonijs, id Munsterus, alijque docere possent. Est enim contrariæ opinionis memoratus beatus Rhenanus dicto lib. 3. quem lector consulere potest, cui & ego accedo. Reperio etiam apud Appianum Marcellinum lib. 30. tempore Cæsaris Valentiniani, ad Rhenum è regione Alemannorum extitisse Basiliam (aliquot exemplaria habent Basilæam) si non sit mendum, vt plurima temporis iniuria in hoc authore. Sit ne hæc nostra Rauracorũ de qua agit, an alia dudum euersa, asserere non audeo. Ammiani hæc sunt verba:
„ Valentiniano post vastatos aliquot Alemannicæ Pagos munimentum ædifican-
„ ti prope Basiliam, quod appellant accolæ, Robur. Hæc acta esse ad Rhenum, sequentes Ammiani versus & verba clare aperteque ostendunt, in quibus si mendum non est, coniectura Beati Rhenani de Basileæ etymo, stare non potest, ac ab Heinrico Aucupe, Basilæam esse vocatam, multo minus. Fuère veteres Rau-

raci

raci ante tempora Iulij Cæſaris, Sequanorum clientes ac tributarij. Sed primùm his locis ab Germanis, Rege Arioviſto pulſi Sequani, deinde vtraque Gens à Cæſare ſubacta, Rauraci, cum cæteris, Romanos Dominos agnoſcere cœpere, Coloniaſq; admiſere, quamq; Iulius Cæſar victo Arioviſto, Heluetios, ac iterũ Rauracos Sequanis attribuerit. Senio deficiente Romano imperio primũ Rauraci Burgundis, deinde Francis, tertiò Carolo magno eiuſque ſtirpi paruere, quibus à Capeto ſublatis, exinde Germanorum Cæſarum nutum agnouere ad Annum vſque Christi: CIↃ:IↃ: primum, & ſecundum. Tum enim deficientes, inito cum Heluetijs (qui ante ducentos quinquaginta annos à Germanis defecerant) certo fœdere in eorum clientelam conceſſere. Fuiſſe autem Rauracorũ Ditionem ſatis amplam, ex Cæſaris primo libro bel. gal. patet, narrans, Rauricos, Helvetiorum vicinos, cum ijs ſedibus egreſſos, vt nouas in alia Galliæ parte quærerent, adduxiſſe ad communem profectionem viginti tria millia Virorum armatorũ, exceptis fœminis, puerisq;, vt continebant Heluetiorũ Tabulę literis Græcis, hac de re confectæ. Erant enim olim Rauraricæ Ditionis, ea omnia quę hodie cis Rhenũ Baſilienſes, eorumque Antiſtites, ad vſque Heluetios, montemque Iuram poſſident, ab Occidente habentes Sequanos (quorum maiorem partem hodie occupat Comitatus Burgundiæ, cum ea Lotharingiæ parte, quæ verſus montem Iuram vergit) à Meridie Helvetios, à Septentrione Triboccos de quibus nunc eſt ſcribendum. Populi olim dicti Tribocci, ac Triboces, inter Belgas connumerati ac è Tranſ-Rhenana Germania, in Ciſ-Rhenanam vt Rauraci egreſſi, ij ſunt qui hodie vtramque incolunt Alſatiam, Superiorem nimirum ac Inferiorem, fertiliſſimam hodie totius eius tractus Provinciam, ſub qua Ditione vetus Ciuitas Argentoratum comprehendebatur, habebantque ab Occidente, Mediomatrices, à Meridie Sequanos & montem Iuram, à Septentrione Vangiones. Ciuitates eorum Ptolomeus præter Argentoratum, vocat Breucomagum, ac Elcebum, quæ nam hæ olim fuerint, conſule beatum Rhenanum. Oſwaldus molitor, exiſtimat olim præcipuam Triboccorum fuiſſe Ciuitatem, Alſatiæ Pagum hodie dictum: *Tzun Dreien Buchen*: quod non malè etiannum, ad vocem Triboccum alludit, ſignificareque videtur, Tres ventres, Populus fortè ita olim dictus ob voracitatem ac edendi, bibendique continuum ſtudium. Certò memini me puero audiuiſſe, exprobrari puero Friſio, mecum vnis in ædibus literis operam danti, à præceptoris vxore, à qua is ſæpius ac importunè cibum petebat, lingua vernacula: *Neemt dat ghy Dribuicken Fries*, quod latinè ſonat: Accipe Triventer Friſo. Sunt qui putant cum Munſtero, caput Triboccorum olim fuiſſe Argentoratum, conditumque à Treveris, quibus Tribocci, ad Iulij vſque Cæſaris tempora, pro maiori parte paruêre, cæteri Mediomatricibus. Pulſo à Iulio Cæſare, è Gallijs Arioviſto, Vangiones, ac Triboccos Treveris & Mediomatricibus: Rauracos Sequanis parentes, Germanorum ſeruitute liberatos, Romanis aſſeruit, idque maxime poſt alteram, tertiamque

Tribocci qui.

Treverorum contra Romanos rebellionē, Mediomatricibus apud Triboccos imperium relictis, quod dicti Tribocci, olim traiecto Rheno, hoc loco in Mediomatricum fines consedissent, ac proinde eos Patronos agnoscentes. Argentoratum vero clarescere, primumque innotesci cœpit, post victoriam Cæsaris Iuliani Apostatæ, contra octo Alemannorum Reges hic partam, quam eleganter describit Amm. Marcel. lib. 16. circa finem, & post victoriā à Cæsare Theodosio Maiore, hic etiam contra eosdem obtentam, elegantibus versibus à Claudiano Poeta celebratam. Primò Argentoratum Treveris, postea Romanis, tum Burgundis, tandem Francis paruit, à quorum Rege Dogoberto, Clodovei magni Filio ibi est institutus Episcopatus, fuitque primus Præsul Diuus Amandus Aquitanus, circiter annum Christi Septingentesimum trigesimum. Qua autem ratione, omisso Argentorati nomine Straetsburgum sit vocatum, certò non constat, factum verisimili coniectura existimatur post Hunnicam vastationem, cui sententiæ & ego accedo. Rauracorum & Triboccorum meminit Cæsar lib. 1. bel. gal. Tacit. lib. 20. scribens eos cum Treveris ac Batavis, contra Romanos, Duce Claudio Ciuili Batavo, ac Iulio Tutore Treviro rebellasse. Item in libello de morib. Germanor. Alsatiæ vero nomen omisso Rauracorum, Triboccorum, Vangionum, ac Nemetum appellatione, volunt ortum tempore Francorum, inditumq; Regioni a flumine Ello, nunc, Illa, mediam perlabente, quod in Sungoiam supra Oppidum Altkirch oritur ac è monte Vogeso, innumeris receptis rivulis ad Argentoratum, Rhenum ingreditur. De Triboccis, ac Alsatiæ nomine vide beatum Rhenanū lib. 1. Rerum Germanicarum. Alsatia hodie paret partim Austriæ Archi-Ducibus, partim Antistiti Argentoratensi, partim domesticis Nobilibus, aut Imperio. Insignis Regionis fertilitas in causa est, vt in omnem effusi, Viri fœminæq; luxum, strennue Veneri, Bacchoque seruiant. Vnde tritum est hodie inter Germanos Dictum, Rithmice eorum lingua desinens: Sueviam ac Alsatiam meretricum Germanicarum esse officinam: Franconiam raptorum, latronum, ac mendicorum: Bauariam furum: Heluetiam Carnificum, ac Lenonum: Saxoniam Potatorum, ac Ebriosorum: Westfaliam ac Frisiam periurantium, ac Infidelium: Tractum Rhenanum, gulonum, ac Voratorum esse Tabernam.

De Nemetibus, ac Vangionibus.

CAPVT SEXTVM.

Nemetes qui.

RHeni Ripæ insistentes, Rauracos, ac Triboccos sequuntur Nemetes & Vangiones, qui, vt illi, Rhenum ab Oriente habēt, ab Occidente Triboccos ac Mediomatricos: a Meridie Sequanos ac Heluetios; a Septentrione Treueros. Primariam Nemetum Vrbem, ipsum statuimus Nemetum, quod hoc retinuisse nomen Germani volunt, vsque in

Annum Christi. CIↃ. LXXX. Tum Antistes Rudigerius Pagum egregium nomine Spiram, pœmerio Nemeti adiacens, ac a Torrente Spira sic dictum, Vrbi coniunxit; Ea autẽ gratitudinis ergo, vetusto Nemeti deserto nomine, exinde Spira appellari maluit. Volunt scriptores aliquot a Pippino breui, patre Caroli Magni, primum Nemiti institutum esse Antistitem, eosque a Conrardo secundo Cæsare opibus, authoritateq; plurimum auctos. Instituit Cæsar Maxæmilianus primus Francofurti ad mœnum, Imperij Germanici Tribunal (vulgo Camerã Imperij vocant) qui postea Spiram est translatus & adhuc hoc anno. 1599. visitur vbi vitandorum bellorum gratia, Imperij subditorũ controuersiæ, sine vlla prouocatione dijudicantur. Fuêre primi Nemetes vt omnes gallicam Rheni ripam habitantes etiã Trans-Rhenani Germani, qui Rhenum transgressi, partim in Treuerorum, partim in Mediomatricem fines consedêre, ijsque pro limitum ratione paruêre, de quibus plura varijs locis, ac libris Rerum Germa. Beatus Rhenanus. Ego insuper eius sum sententiæ, partem Nemetum relicto Rheno, ad Sabim mosamq; Belgij flumina contendisse, consedisseque ad horum duorum amnium confluentiam, condidisseq; ibi Oppidum, eiusdem cum Rheni Nemeto nominis, sed addidisse, vt sæpe fit alterius Amnis nomen, dixisseque illud: *Nemen to Sem*: hoc est Nemetum ad Sabim, atq; ex his tribus vocibus, postea Romanos fecisse, *Nemetocenna*, de quo Aulus Hirtius post Cæsarem lib. bell. gall. 8. aliquoties loquitur, vt infra lib. 2. cap. 13. annotauimus. *Nemen* germanica lingua olim & hodie, rapere, obuia quęq; auferre significat, vnde huic hominum conflui, è varijs locis, populisq; congregati, ac traiecto Rheno, in gallicæ ripa considentis, obuiaque omnia diripientis, nomen inditum videtur. *Nemers*, hoc est, Raptores, ac prædatores.

Vangiones qui.

Primariam Vangionũ Vrbem esse volunt Wormatiã, germanicæ *VVorms* dictam, quam Ptolomëi Bor-Betomagum (Ammiani enim Marcellini Brocomagum, aut Brotomagum, aliud est oppidum, hodie dirutum, duobus milliaribus infra Argentoratum olim situm, nunc Bruomat nominatum, teste beato Rhenano) esse opinantur, olim mediocre Oppidum, sed post Hunnicam vastationem restitutum in eam quam hodie videmus creuit amplitudinem. De eius Germanica ac latina appellatione, scriptores nil certi adferunt, vetustum esse ex ijsdem constat. Eadem quoq; etymi ratio, è verisimili petita coniectura, de Vangionibus dari potest, quæ de Nemetis. Olim enim & adhuc hodie Germanis *Vangen*, capere, sui iuris facere, in seruitutem victos redigere significat, his forte inditum, quod minus cęteris Teutonibus sanguinarij, capere deuictos Gallos ac vendere, quam interficere mallent. Sequitur Wormatiam, Oppenheimia quam veterum Bonconiam fuisse plæriq; volunt. Annumerant etiam aliqui Vangionibus Argentoratum medij tantum temporis scriptoribus notum. Sed falli eos multæ docent rationes, hic adferri non necessariæ. Cum veteribus etiam Vangionibus numerantur, Saletium, ac Tabernæ, quæ hodie nomen seruant, Germanis dictæ, Seltz, ac Zabern. Sed hoc de Tabernis sciendum, olim a Romanis

ad Rheni custodiam, tres fuisse conditas Tabernas, quarum etiamnum hodie extant vestigia & nomina. Ammianus Marcel.lib.16.dicit ab Alemannis euersas fuisse, restitutas à Cæsare Iuliano. Primæ sunt Triboccorum, seu Alsaticæ, quas hodie possidet Antistes Argentoratensis, ibiq; pro maxima parte habitat. Alteræ sunt Rhenanæ, quas tenet Præsul Nemetum seu Spirensis. Tertiæ montanæ dicuntur, quæ nunc parent Duci Bipontino. Reperitur & hodie in mediterranea Vangionum Ditione, Oppidum satis notum nomine, *Vangen*, antiquam Regionis appellationem retinens. Vangionum & Nemetum mentionem facit Cæsar lib.1. bell. gall. Tacitus lib. 12. dicitque eos pro Romanis contra latrocinatores Cattos pugnasse. In libello de morib. Germ. iungit eos superioris Belgij Populis. Libro. 20. dat eis vicinos Caracatos Cæsari non nominatos. Qui verò hi fuerint, ac vbi sedes habuerint non docet. Beatus Rhenanus, putat eos eo loci habitasse vbi *Drakens feldia* Arx, non ita dudum euersa stetit, eamque ex hac voce, vulgo hoc detortum nomen vult accepisse; penes
„ authorem sit fides. Tacitus vero dicto libro 20.in hunc scribit modum: Tutor
„ Treuerorum copias recenti Vangionum, Caracatium, Triboccorum lectu
„ auctas, veterano pedite atque equite firmauit. Et paulò post: Secutis Triboc-
„ cis, Vangionibusque, & Caracatibus. Omnes has Gentes ex Trans-Rhenanis Germanis esse ortas, Cæsar & Tacitus, varijs locis confitentur. Amm. etiam
„ Marcell. libro 16. de Iuliano loquens, in hunc modum scribit: Audiendis itaq;
„ Argentoratum Brotomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, Vangiones, &
„ Moguntiacum Ciuitates Barbaros possidentes, territoria eorum habitare (nam
„ ipsa Oppida, vt circundata retibus lustra declinant), primùm omnium Brotomagum occupauit. Ex quibus verbis palam est, proximos Alemannos Trans-Rhenanos (quos Barbaros appellat) omnem eum Belgij tractum, à Basilea Coloniam vsque agrippinam, insedisse, vnde non mirum germanicam
„ hic in hunc vsque diem mansisse linguam. Et mox iterum dicto lib. 16. in hæc
„ verba scribit: Hisdem diebus exercituum aduentu perterriti Barbari, qui do-
„ micilia fixere cis Rhenum, partim difficiles vias, &c. His mox subdit ea quæ paulò ante attulimus de reparatione trium Tabernarum. Maguntia, hodie Germanis appellata *Mentz*, Ptolomēo vocatur Mocontiacum: Amniano Marcell. Moguntiacum: Tacito libro 20. Maguntiacum, de cuius etymo vide Beat. Rhena. lib. 3. Rer. Germ. Antiqua est Ciuitas, ac cuius non semel honorificam Amm. Marcell. facit mentionem, excisamque aliquoties ab Alemannis, a Romanis restitutam scribit, interque Vangiones connumeratur. Refellere hic opinionem eorum, qui contendunt Vangiones esse Spirenses: Nemetes verò Wormatienses, non est huius loci, instituti, ac minus animi, quod videam mediæ ætatis scriptores, antiquasque omnes inscriptiones, contra eos esse quanquam alioqui fateri cogar, esse & verisimilia, pro ijs argumenta. Proinde hæc curiosis relinquimus examinanda refellendaque. Illud verò inter omnes constat, quibus & calculũ meũ addo Rauracos olim pro maxima parte

Sequano-

Sequanorum fuisse clientes & tributarios: Triboccos Mediomatricum: Vangiones, Nemetes, at qui ad Vbiorum vsque habitabant agrum Treuiris paruisse. Quare difficile est asserere qui horũ veri ac circunscipti fuerint limites. Cùm enim Germani exigua manu, inopesque Rhenum traijcientes, in Galliâ consedissent, facilè a potentioribus subacti libera voluntate in eorum se clientelam dabant, vnde nil mirum est, si obscrurius res eorum, literis sint consignatæ. Tritum enim est philosophorum axioma, Maius lumen, obfuscare minus. Beatus Rhena: in Comment. Rer. Germ. dictarum Gentium Populorumque terminos ferè eosdem statuit, qui hodie Diocæsium ibi sunt Episcopalium. Existimat enim Francorum Reges (pulsis Romanis, Alemannis, ac Burgundis) his occupatis Regionibus, admissaque religione Christiana, Sacris Antistitibus concessisse limites veterum Gentium, Populorúmque, præsidiaque in ijs Romana, paucis mutatis. Eum varijs locis hęc tractantem lector consulat. Doctus enim est scriptor, ac in Rebus Germanicis egregiè, magnoque cum iudicio versatus.

De Treveris ac Mediomatricibus.

CAPVT SEPTIMVM.

IVlius Cæsar, ac Cornelius Tacitus, vno consensu tradunt, non solùm Treueros cæterarum Belgarum Ciuitates, sed omnes totius Galliæ Populos, imperij amplitudine, authoritate, opibus, ac potẽtia superasse & cum maximè florerent ab oriente habuisse Rauracos, ab occidẽte Mediomatrices, à Meridie Triboccos, à Septentrione Menapios, vnde facilè Imperij eorum magnitudo, cognosci colligique potest. Etenim inter orientẽ & meridiem Sequanos, inter occidentem septentrionem Vbios attingebant, vt non omninò mihi errare videatur, qui existimãt ante Iulij Cęsaris in Gallias aduentum, Treveros possedisse, quidquid trans flumen Mosellam ac Nahan circa Maguntiam ac Oppenheimum agrorum cõspicitur, imò & ipsas has Ciuitates, tum etiam Vangiones & Nemetes, ac quicunque horum agnoscebant Imperiũ in potestate habuisse, cum ijs agris quos paulo post Vbijs, qui è Germania in Galliam traiecerant, Romani concessere, ipsumque his dictis locis Rhenum ad Rauracos, ac Menapiorum vsque Cis-Rhenanorum fines, fuisse limitẽ imperij Treuerici. Germanicæ originis eos fuisse, ac mox post Tũgros, aut simul in Galliam migrasse, authores aliquot tradunt. Certè apud Cæsarem, Tacitũ ac Amm. Marcel. tam frequens ac honorifica Treverorum fit mentio, vt operæpretium mihi videatur, hoc loco aliquot proferre testimonia. Sub Iulij Cæsaris in Gallias primum accessum, iam antea Treueri inter Romanorum socios erant recepti. Patet quod bello Germanico contra Regem Ariouistũ à Cęsare in Gallijs gesto, Treueri enim de Germanorũ rebus certiorẽ fecère. Prima quoq; Belgarum contra Cęsarem Coniuratione, Treueri abfuère, pugnaque contra Nervios, Atrebates, ac Veromanduos, Cæsari equitum auxilia misere. De Ariovisti bello

Treueri qui.

" bello ita lib.1.bel.gal.scribit:Treviri autem Pagos centum Suevorum,ad Rheni
" ripam consedisse,qui Rhenum transire conarentur,ijs præesse Nasuam,ac Cim-
" berium fratres. De Belgarum Coniuratione, ita lib.2. Quibus omnibus rebus
" permoti æquites Treveri,quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis,
" qui auxilij causa à Ciuitate missi,ad Cæsarem venerant. Habitasse autem Tre-
veros,à Rheno,ad Menapiorum,Eburonum,Nerviorum,Rhemorum,ac Me-
diomatricum vsque fines,ad vtramque Mosellæ fluminis ripam. Cæsar varijs
" testatur locis,ac primum bel.gal.lib.3.his verbis. Itaq; T.Labiennum Legatum
" in Treveros,qui proximi Rheno flumini sunt,cum equitatu mittit. Idem lib.5.
" Primùm Treveros rebellionis demonstrationem fecisse his verbis scribit: Ipse
" cum Legionibus expeditis quatuor,& equitibus octingentis in fines Trevero-
" rum proficiscitur, quod hi neque ad consilia veniebant, neque Imperio pare-
" bant,Germanosq; Trans-Rhenanos sollicitare dicebantur. Hæc Ciuitas longe
" plurimum totius Galliæ,equitatu valet,magnasq; habet copias peditum,Rhe-
" numque,vt supra demonstrauimus tangit. In ea Ciuitate, duo de Principatu
" inter se contendebant,Induciomarus & Cingetorix, ex quibus alter, simulat-
" que de Cæsaris,Legionumque aduentu cognitum est ad eum venit, se suosque
" omnes in officio futuros,neque ab amicitia Pop.Romani defecturos confirma-
" uit,quęque in Treveros gererentur ostendit. At Induciomarus peditatum equi-
" tatumque cogere,ijsque qui per ætatem in armis esse non poterant in syluam
" Arduennam abditis,quæ ingenti magnitudine,per medios fines Treverorum,
" à flumine ad initium Rhemorum pertinet, bellum parare instituit. Ex his Cæ-
saris verbis tria discimus. Primum iam antea Treveros in Romanorum fuisse
amicitia:Deinde partem tantum Ciuitatis rebellasse. Tertiò fines eorum fuisse
à Rheno,vsque ad Rhemos. Rebellantes igitur pro parte Treveri, Duce Indu-
ciomaro, iunctique Eburonibus, Romana oppugnant castra, apud Eburones
munita, quibus præerant, Q.Titurius Sabinus,ac L.Arunculæus Cotta, dolo-
que eductam legionem cum quinque cohortibus,duobusque Legatis trucidãt.
Induciomari vero mortem, sub finem dicti libri reperies, ac sub initium libri
" sexti,continuationem dictę rebellionis,idq; in hæc verba:Interfecto Inducio-
" maro,ad eius propinquos à Treueris imperium defertur. Illi finitimos,ac Ger-
" manos sollicitare,& pecuniam polliceri non desistunt. Et paulo post: Concilio
" Galliæ primo Vere, vt instituerat indicto,cum reliqui præter Senones,Carmi-
" tes, Treverosque venissent, initium belli ac rebellionis hoc esse arbitratus, vt
" omnia postponere videretur,Concilium in Lutetiam Parisiorum transfert. Et
" mox iterum:Hac parte Galliæ pacata,totus & mente & animo in bellum Tre-
verorum,& Ambiorigis insistit. Paulo post superati à T. Labieno Cæsaris lega-
to Treveri deditionem faciunt, propinquique Induciomari defectionis au-
thores Vrbe excedentes in Germaniam exulatum abiere. Cinginterogi Prin-
cipatus Treverorum à Cæsare est restitutus, vt patet sub initium libri 6. bel.
gal. Generali totius Galliæ contra Cæsarem rebellione Treveri abstinuere, vt is

lib.7.

lib.7.bel.gal.his verbis docet: Ab hoc Concilio Rhemi, Lingones, Treueri ab- "
fuerunt, illi quod amicitiam Romanorum sequebantur: Treveri quod aberant "
longius & à Germanis premebantur, quæ fuit causa quare toto abessent bello, "
& neutris auxilia mitterent. Hoc fœliciter à Cæsare confecto bello, iterum "
Treueros rebellasse constat ex lib.8. bel. gal. his verbis: Labienus interim in "
Treueros, equestre prœlium secundum facit, compluribusque Treueris interfe- "
ctis, & Germanis (qui nullis aduersus Romanos auxilia denegabant) Principes "
eorum viuos, in suam redegit potestatem. Hac postrema clade iterum domiti
Treueri in officio, ac amicitia permansere, vsque ad Imperium Cæsaris Tiberij.
Tum rursum cum Heduis rebellauêre, teste Tatico lib.3 his verbis: Eodem an- "
no Galliarum Ciuitates ob magnitudinem æris alieni, rebellionem cœptauêre, "
cuius extimulator acerrimus inter Treueros Iulius Florus, apud Heduos Iulius "
Sacrouir. Sed vterq; Populus vno aduerso prœlio fuit domitus, principes re-
bellionis, proprijs manibus interiêre. A Cæsare Galba, Treueri, parte agrorũ
fuêre multati, authore Tacito lib. 17. in hæc verba. Et Treueri ac Ringones, "
quasque alias Ciuitates, atrocibus Edictis, ac damno finium Galba perculerat. "
Cæso Nerone Treveri, Tungri, Bataui, cæteriq; Galli pro Vitellio pugnauêre,
teste Tacito lib.18. at defectione Batavica, sub Cæsare Vespasiano, à Cl. Ciuili
mota de qua Tacitus lib.20. & 21. agit initio Treuiri fortiter pro Romanis con-
tra Batauos ac Germanos dimicarunt, donec egregia erga Populũ Rom. me-
rita mox rebelles turpiter fœdarent. In hunc enim modum scribit Tacitus libro
vigesimo: Interfecto Hordeomo, commeauêre nuncij, inter Ciuilem, Classi- "
cumque Præfectũ alæ Treverorum. Sed postrema pugna captis Ducibus, Præ- "
fectisque Treuiri à Petilio Cereali superati, facta deditione, Romanum præsi-
dium in Vrbem admisere, ac parum abfuit quin ea ab irato exercitu diriperetur
& excinderetur, teste dicto libro his verbis Tacito. Cerealis postero die Colo- "
niam Treuerorum ingressus est, auido milite eruendæ Ciuitatis, hanc esse Clas- "
sici, hanc esse Tutoris patriam, horum scelere clausas, cæsasque legiones. Quid "
tantum Cremonam meruisse, quam è gremio Italiæ raptam, quia vnius noctis "
moram victoribus attulerat. Stare in confinio Germaniæ integram Sedem, "
spolijs exercituum, & Ducum cædibus ouantem. Redigere prædam in Fiscum, "
ipsis sufficere ignes, & rebellis coloniæ ruinas, quibus tot castrorum excidia, "
pensarentur. Cærealis metu infamiæ, si licentia, sæuitiaque, imbuere militem "
crederetur, pressit iras, & paruêre. De Origine Treuerorum & Neruiorum, in "
hunc modum scribit Tacitus in libello de moribus Germ. Treueri & Neruij, "
circa affectationem Germanicæ Originis, vltro ambitiosi sunt, tanquam per "
hanc gloriam sanguinis, à similitudine, & inertia Gallorum separentur. Cùm "
maximè florerent Treueri, eorum agnoscebant Imperium, omnes qui hodie à
Nucio Confluentiam vsque habitant inde vtramque Mosellę, ripam occupan-
tes, ab altera ad Mosam vsque fines protendebant, subegerántque Gugernos,
Grines Leucos, Sunicos, partem Lotharingiæ, Lutzenburgum, Ditionẽ Aquis-

granenſem,ac quæ adhuc hodie circa ſyluam Arduennam,eiuſque partes ſunt
Ditiones.Scribit enim Cæſar,vt ſuprà memorauimus, eam Treuerorum me-
diam ſecuiſſe Ditionem. Stetit diu Treuerorum authoritas & potentia, non
enim tantum negotij,niſi præpotentes fuiſſent,Romanis exhibere potuiſſent,
„ de quo audiamus Tacitum,lib.20. in hunc modum ſcribentem: Quin & loricã
„ Vallumque per fines ſuos Treueri ſtruxêre, magniſque inuicem cladibus,cum
„ Germanis certabant.Item Hirtius lib.8. bel. gal. Labienũ cum duabus Legio-
„ nibus in Treueros mittit, quorum Ciuitas propter Germaniæ vicinitatem,
„ quotidianis exercita bellis,cultu,& feritate non multùm à Germanis differe-
„ bat,neque imperata vnquam,niſi exercitu coacta faciebat.Poſterioribus quoq;
temporibus,poſt Cæſarem Conſtantinum Magnum,non parũ Treueri floruêre
potentia &opibus teſte Amm.Mar.lib.15.in hunc modum ſcribente.Poſt hunc
„ damnatorum ſorte Pœmanius raptus ad ſupplicium interijt,qui (vt ſupra retu-
„ limus) cum Treueri Ciuitatem Cæſari clauſiſſent *Decentio*, ad defendendá plæ-
„ bem electus eſt.Et paulò poſt:Poſt has Belgica Prima Mediomatricos prætẽdit
„ & Treueros domicilium Principum clarum. Cæſares hic multos fixiſſe ſedes
„ notum eſt,ſed idem Amm.Marcel.de Cæſare Valentiniano, eiuſque filio Gra-
tiano,id varijs locis apertiſſimè declarat,ac primùm lib.16.in hunc modum,ſub
„ initium ſcribens: Quibus vincendi primitijs lætus,per Treveros, hiematurus
„ apud Senonas,oppidum tunc oportunum abſceſſit.Et lib.27. Hiſque tali ca-
„ ſuum varietate peractis,miles ad hiberna,Imperatores Treueros reuerterunt.
In hac quippe Vrbe Cæſar Valentinianus, cum filio Gratiano, quamdiu in
occidente fuit,habitauit, Valenti orientis gubernationem relinquens, quod
„ etiam ex dicti Amm. Marcel. lib.29. conſtat, his verbis: Hac Valentinianus
„ gloria defraudatus, nec ſua culpa,nec Ducum, ſed intemperantia militis, quæ
„ diſpendijs grauibus, ſæpe rem Romanam aflixit, ad vſque quinquageſimum
„ lapidem terris hoſtilibus inflammatis,redit Treueros mœſtus. Et iterum lib.30.
„ Poſt fœdus tamen ſolemni ritu impletum,Treueros Valentinianus, ad hiber-
„ na diſceſſit. Et paulò poſt. Pubeſcente iam Vere, Valentinianus à Treueris
„ motus, per nota itinera, gradu celeri contendebat. Et iterum: circa dicti li-
„ bri finem: Hoc tentatores nouitatis adiuuante, quod geſtorum ignarus, etiam
„ tum Gratianus agebat apud Treueros, vbi profecturus morari eum diſpoſue-
„ rat pater. Ex omnibus his locis ſatis conſtat quanta fuerit olim Treuerorum
claritas ac potentia,quæ etiam poſteris temporibus eorum fama, ac authoritas.
Plura ex alijs adferri poſſent authoribus, ſed hæc noſtro inſtituto ſufficiant.
Tandem Treueri ad eam peruenêre petulantiam, luxum, ac immodeſtiam, vt
Deo diſplicens,Hunnos immitteret,qui eos cum Tungris,alijſque ad Rhenum
præclaris aliquot Ciuitatibus euertêre, hiſque ſuccedentes Franci, cum parum
Treueri reſpiraſſent, ſibi ſubiecêre,pertuleruntque horum Imperium,ad vſque
tempora Caroli Magni,qua ætate Imperio Germanico additi, pro parte liber-
tatem,cum vicinis ad Rhenum Ciuitatibus, ſacrorum Antiſtitum nutum re-
ſpicientes,

ſpicientes, quaſi poſtliminio recepêre, in qua ad huc hodie fœliciter agunt. De vocis Treuir etymo, agimus libro ſecundo, capite quinto.

Mediomatricum, vel vt alij ſcribunt *Mediomatricorum* Ditio non fuit tam ampla vt Treuerorum, ſed multò anguſtior, nomenque obſcurius, quum eorum Cæſar tantum bis: Tacitus ter, : Ammianus Marcellinus etiam ter, omnes tantum obiter, frigide, & quaſi per tranſennam, mentionem faciant. Cæſar eos ad Rhenum vſque habitaſſe ſcribit, ac proinde eo tempore, non ijs quibus nunc Lotharingiæ finibus Mediomatrices continebantur. Ita enim Cæſar bell: gall. libro quarto ſcribit: Rhenus autem oritur ex Lepontijs, qui Alpes incolunt, & longo ſpatio per fines Nantuatium (Conſtantienſes nunc eſſe volunt) Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Triboccorum, & Treuerorum, citatus fertur. Ex quibus verbis palam eſt, maiorem partem Mediomatricum, habitaſſe intra Rhenum & Moſellam, minorem partem trans Moſellam, minimam verò partem Lotharingiam nunc noſtram, quæ longius à Rheno abeſt obtinuiſſe. Certè limites eorum non admodum fuiſſe amplos ex eo conijcio, quod vniuerſali contra Cæſarem Galliarũ rebellione, non amplius ad communia caſtra Mediomatrices, quam quinque virorũ millia adduxerint teſte Cæſare bell. gall. libro 7. Quare nulla ratione ego eos vnquam Treueris potentia, limitumque amplitudine pares cum beato Rhenano credere poſſum ſed contra multo inferiores fuiſſe ſentio, quum nec primariæ eorum Ciuitatis Diuoduri celebrior vlla apud ſcriptores fiat mentio, ſed leuis, vbique ac frigida, vt etiam de vniuerſa Regione. Contraria omnia de Treueris legimus. Tacitus libro 20. ter, vt dixi Mediomatricum facit mentionem, ſed tantum obiter in hæc verba: Legiones à Noueſio, Bonnaque in Treueros vt ſupra memorauimus traductæ, ſeipſas in verba Veſpaſiani adigunt ac in Mediomatrices, ſociam Ciuitatem abſcêſſere. Et paulo poſt: Eo rapidius Cærealis, miſſis in Mediomatricos qui breuiori itinere legiones in hoſtem verterent, contracto quod erat militum Moguntiaci. Quæ Aociti verba Cæſaris prædicta confirmant, ſcilicet quod maior Mediomatricum pars, verſus Rhenum habitarit. Loquitur eum hic Tacitus, de duabus legionibus quæ dolo Ciuilis, à Romanis ad Batauos defecerant, Eiuſque iuſſu Treueros proficiſci coâcti fuerant. Sed aduentu Petilij Cærealis Ducis Romani, denuo ad Romanos reuerſi, in hoſtem ducebantur, Cæreali eos breuiori itinere in eoſdem conuerti cupiente, dum ipſe ab alia parte, ſuis cum copijs Batauos eſſet inuaſurus, quæ paulò poſt eodem libro Tacitus ſic ſcribens confirmat: Conuertit inde animos accitarum è Mediomatricis, legionum miſerabilis aſpectus. Ex quibus omnibus clariſſimè conſtat Mediomatricos, pro maxima parte habitaſſe, inter Moſellam & Rhenum: Primaria Ciuitas cum tota Gente, Batauica defectione, Romanis fida manſit. Vnde apparet Mediomatricos, eos poſſediſſe agros vbi nunc eſt VVeſtreichium, pars Alſatiæ Baſſignia, Lotharingia Superior ad Francos, Germanoſque vergens,

Mediomatrices qui.

particula Ditionis Lutzenburgij, ad Treuerorũ vſque fines, ita vt ab Oriente habuerint Rhenum: ab Occidente Rhemos: à Meridie Sequanos, & Rauracos; à Septentrione Treueros & Vbios. Ammianus Marcell. Mediomatricũ mentionem facit libro 15. eos in Belgica prima cum Treueris collocans, deinde & lib. 17. vbi in hunc ſcribit modum: Vnde cum captiuis omnibus prædam Mediomatricos ſeruandam, ad reditum vſque ſuum duci præcepit, petiturus ipſe Moguntiacum. Loquitur de Iuliani Cæſaris præda parta poſt obtentam ad Argentoratum contra octo Alcomannorum Reges, ingentem celebremque victoriam, vnde quoque apparet Mediomatricum primariam Vrbem, haud procul Argentorato abfuiſſe. Quare facile etiam conceſſero, eam fuiſſe, quæ hodie Metis vocatur, tum quod ad moſellæ ripam condita conſpiciatur, tum quod triginta tantum Argentorato maioribus, quadraginta minoribus ſeu horarijs diſtet milliaribus. *Diuo-Durum* Tacitus nominat vt videtur pro primaria Vrbe, in qua vna tantum militum Romanorũ ſeditione ad quatuor hominum milla interfecta ait, Ducumq; interceſſione factum, ne Vrbs excinderetur. Vbi hæc fuerit, aut quando, & qua ratione nomẽ mutarit, nil hactenus reperire potui. Mediomatrices cum Treueris, ac Tungris ſeneſcente Romano Imperio, eodem tempore in Francorum conceſſere poteſtatem, quorum opibus ad Pippinorum, ac Carolinorũ ſtirpem tranſlatis, duo Regna, eorum ſucceſſores, in eas partes erexêre hoc Auſtraſiæ ac Auſtriæ: alterum Weſtriæ, ac Neuſtriæ Regnum appellantes. Sed cum breuis æui hæc Regna extitiſſent, in varios deuiſa Principatus, pars melior Lothario è Caroli Magni ſtirpe nato ceſſit, à quo Lotharicia, Lotreichia, Lotharingia, ac tandẽ corruptiſſimè Loreina eſt dicta eandem adhuc hodie apud incolas appellationem retinens, nullibi Mediomatricum nominis remanente veſtigio, præterquam in primaria Vrbe, quã hodie Germani *Maitz*: Gallofranci *Mets* appellant, primam veteris nominis ſyllabam referentes ſi ſcriberent, *Meds*. Francogallica Vrbis *Mets* appellatio nil ſignificat: Germanica Virginem ſonat & hodie ipſa Vrbs pro gentilitio inſigni, in clypeo Virginem repræſentat, quod an aliquid cum Mediomatricibus commune habeat, aut ſaltem ad vocem alludat, quibus otium eſt, quærendum relinquo, mihi non omnino diſplicet, aliam tamen adferens etymi rationem infra lib. 2. cap. 5. Sed iam ſatis de Belgica ac Germania Prima, quæ & Superior fuit appellata, & etiamnum hodie dicitur. Nunc ad Secundam ſeu Inferiorẽ Belgicam ac Germaniam, quæ multo plures continet Populos, magiſque ad inſtitutũ noſtrum facit, tranſeamus.

De Belgica Seu Germania Secunda, quæ & Inferior olim eſt dicta, & adhuc hodie appellatur, deque eius Populis, ac Primum: De Vbijs, & Colonia Agrippina.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

VBIOS ante Iulij Cæſaris in Gallias aduentum Germanos fuiſſe ac trans Rhenum habitaſſe, ex eius verbis quę mox adferemus, clarum, apertumque eſt. Occuparant verò ea loca, vbi nunc eſt Comitatus Marchæ, Weſtfalia, ac Ducatus Bergenſis. Poſtea à Sueuis (qui ſuccedentibus, temporibus, etiam Alemanni dici voluere) hæc loca pro maiori parte fuere occupata habitataque. Stetiſſe autem Vbiorum primariam Ciuitatem ad Tranſ-Rhenanam Rheni ripam, vbi hodie eſt Tuitium, aut inde non procul verſus Bonnam Oppidum, veriſimilibus probari poſſe videtur rationibus. Scribit enim Cæſar bell. gall. lib. 4. paulò poſt principium, agens de Vſipetibus, & Tenchteris, à Sueuis è Germania in Galliam pulſis, in hunc modum: Ad alteram partem ſuccedunt Vbij, quorū fuit Ciuitas ampla & florens, » vt eſt captus Germanorum. Et paulò poſt: Qui ſunt eiuſdem generis etiam cæ- » teris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos merca- » tores ventitant, & ipſi propter proximitatem gallicis ſunt moribus aſſuefacti. » Hos cum Suevi, multis ſæpe bellis experti, propter amplitudinē, grauitatemq; » Ciuitatis finibus expellere non potuiſſent, tamen vectigales ſibi fecerunt, ac » multò humiliores, infirmioreſq; reddiderunt. Et paulò poſt: Vbij autem qui » vni ex Tranſ-Rhenanis legatos ad Cæſarem miſerant, amicitiam fecerant, ob- » ſides dederant, magnopere orabant, vt ſibi auxiliū ferret, quod grauiter à Sue- » uis premerentur. » Ex quibus locis clare apparet, etiā Cæſaris tempore Vbios fuiſſe Tranſ-Rhenanos, ac proinde inter Germanos, non Gallos numerandos. Verum cum difficulter Suevorum Vſipetum, ac Tenchterorum, vicinorū ſuorum, vim, quotidianaſque inuaſiones ſuſtinerent (qui eo acerbius eis bellum faciebant, finibuſque pellere conabantur, quod inito cum Romanis fœdere, communē germaniæ libertatem primi deſeruiſſe viderentur) accepta à Cæſare Auguſto poteſtate, Rhenum magna manu traiecerunt, ac in fines agroſq; Treuerorum, Menapiorum, maximéque Eburonum conſederunt, primaria Ciuitate, ad gallicam Rheni ripam extructa, quem agrum eo tempore Treuerici iuris fuiſſe, pro certo habeo. Tranſierant quidem & antea, ſub Iulio Cæſare Rhenum non ſemel Vbij, ſed non figendarum ſedium cauſa, vt tempore Auguſti, ſuadente M. Agrippa eſt factum. Nouam verò, vt contra cæteros Gallos facilius tuerentur Ciuitatem, libera voluntate in clientelam dicti M. Agrippæ Cæſaris Auguſti generi conceſſēre, iſque Vbios in fidem, patrociniumque receptos, à vicinorum Gallorum iniurijs facilè tutos reddidit. Sed cum noua Ciuitas, dilabentibus in proximos agros colonis, non ſatis frequenter habitaretur Agrippina, dicti M. Agrippæ, ex filio neptis, mater Cæſaris Neronis, apud Gallicos Vbios nata, coloniam veteranorum Italorum militum in Ciuitatem deduxit, multíſque beneficijs ciuibus affectis, Ciuitatéque inſigniter exornata, facile obtinuit obliterata Vbiorū appellatione, à ſe Colonia Agrippina diceretur, qua

Vbij qui, ac primū de Trans-Rhenanis Vbijs.

Vbij Cis-Rhenani.

" tur,qua de re sic lib.12.Tacitus: Sed Agrippina quo vim suam socijs quoque
" Nationibus ostentaret,in Oppidum Vbiorum,in quo genita erat, veteranos,
" coloniamque,deduci imperat, cui nomen inditum è vocabulo ipsius. Ac fortè
" acciderat,vt eam gentem Rheno transgressam,auus eius Agrippa in fidem acciperet.Duo ex his verbis discimus. Primùm veteres Vbios fuisse Trans-Rhenanos,hoc est Germanos,vt suprà etiá apertissimè ex Cæsare constitit,dicens:
" Vbij qui vni è Trans-Rhenanis,ad Cæsarem legatos miserant.Vnde mirũ Se-
" bastianum Munsterum dicere M.Agrippam gallicum Vbium instaurasse,quasi diu ante eius ætatem in gallica ripa fuisset conditum, cum tum primùm esset ædificatum,authore,suasoreque M. Agrippa,eosque in clientelam,protectionemque suam recipiente,quo confidentius Rhenũ transirent,nouumque Vbiũ extruerent.Nouos verò Vbios Cis-Rhenanos fuisse,ac proinde Gallos Belgas, eorumque Ciuitatem primùm Vbium appellatum, sed posteà Agrippinæ beneficijs inductos nomen mutasse vnde nil mirum si Romani nominis odio, facile à Germanis,ac Gallis deleti fuissent, nisi eos Romana Maiestas protexisset.Ægerrimè enim inter omnes Treueri(in quorũ agro nouum Vbium ædificarant)ferebant quòd contempta,desertaque Germanica appellatione,nomẽ Romanum admisissent, eosque in nouæ Ciuitatis partem recepissent.Quamq; enim supra quinquaginta millia familiarum,ex Vbiorum Trans-Rhenana Regione ac Ciuitate,in Gallicam oram migrassent, maior tamen pars in proximis agris confidens,Oppida potiùs,Vicos,ac Pagos condere,agrumq; quem à Romanis acceperant colere ac exornare, quá nouum Vbium inhabitare malebat, vnde adhuc hodie in agro Iuliacensi (qui tum eorum erat) Pagus extat *VVich*, ab ijs eo tempore in memoriam veteris patriæ Vbij nominatus.Non enim minùs in agris quam Ciuitate, Romana amicitia,ac clientela tuti erant. Vnde factum est, vt nouum Vbium,à suorum parte desertum,necessaria Romanorum, aut aliorum hominum colonia indigeret, qui exinde nuptijs, affinitateque veteribus Vbijs coniuncti mixtique, facilè deposita ferocia, Romanos mores, & leges recepêre.Habebant Cis-Rhenani Vbij ab Oriente Rhenum & Germaniam:ab occidente Treueros,& Eburones:A Septentrione Menapios ac Batauos:A meridie Nemetes,ac Vangiones,quarum plagarum limites,non eam cõtinuere agrorum amplitudinem,qualem olim Vbij Trans-Rhenani possederãt, etiam tum quum parte agrorum à Sueuis essent exuti, idque non sine causa à Romanis factum videri potest.Quum enim vniuersam Trans-Rhenanam Ditionem,veteremque patriam Vbij non deseruissent, sed aliquot tantũ vt diximus familiarum millia trans Rhenum in Galliam migrassent,ijsque Agri essent assignati,& Colonia agrippina,seu noui Vbij (vt è primis eius apparet, etiam hodie muris)non admodum esset ampla,cogitabant Romani,satis eos fore potentes,possesione vtriusque Rheni ripæ,ac veteri, nouaque ad eas Ciuitate, etiam si in Gallia agrorum amplitudine,magna cum inuidia,illustrioribus Populis non æquarentur.Quod autem prçter multos alios in hac sum opinione,vt

post

post conditam Coloniam Agrippinã, Vbiorum, Romanorumq; Colonijs in ea deductis, veterẽ adhuc Vbiorum Trans-Rhenanã Ciuitatẽ, diu permansisse ac à frequenti Populo habitatã fuisse existimẽ, tres me præcipuè inducũt rationes. Primò quod mihi persuadere nulla ratione possim, tã fuisse Vbios in veterem, eamq; vetustissimã Patriã iniquos ac crudeles vt nulla coacti vrgẽte necessitate (Romana enim eis amicitia, ac auxilio contra Sueuos non deerant, quos bis Iulius Cæsar, traductis Rhenum legionibus in interiores Germaniæ Paludes, ac Syluas fugere coëgerat) eam diruendã, suisque manibus impiè solo æquandam censuerint, sed contra post nouæ Ciuitatis, Cis-Rhenanę non admodũ amplæ ędificationẽ, Vbiũ vetus vt tum stabat reliquisse, data Ciuibus, ac Agrestibus facultate in nouã qui vellent cis Rhenum Ciuitatẽ ac agros migrarent, nemine inuito id facere coacto. Altera est ratio quod Tacitus satis indicet, Vbios suo etiã tempore fuisse Trans-Rhenanos, Anno nimirũ post conditã Coloniam Agrippinã seu nouũ Vbiũ, paulo plus quã centesimo. Floruit enim Tacitus tempore Cæsaris *Neruæ*, ac *Traiani*, historiamq; suã scripsit ferè centesimo ac vigesimo post Iulium Cęsarẽ anno, quod cum horũ Imperatorũ temporibus quadrat. Ita is loquitur in libello de Morib. Ger. Vbij quidẽ quamq; Romana Colonia »
esse meruerint, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, ori- »
gine non erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei, super ipsam Rheni »
ripam collocati, vt arcerent, non vt custodirentur. Nulla hic mentio eos vel mi- »
nimum oppidum, taceo ipsum vetus Trans-Rhenanum Vbium ab ipsis In, aut ante trangressionem, dirutum, excisumque fuisse, imo vel vllum eos incommodum, veteribus habitationibus intulisse, sed simpliciter transgressos dicit, nimirum pro parte. Nam cum à nemine migrare cogerentur, quis tam absurdi erit iudicij, vt vniuersum Populum, vetustis desertis Laribus, munitionibus, oppidis, ac Sedibus, nemine remanente, quasi vi coactum, in aduersam migrasse ripam existimet. Transiere igitur ad nouum, in gallica ripa Vbium, nouosque agros, complures, manereque etiam veteribus in Sedibus non pauci. Non enim si se res aliter habuisset, scriptores tacuissent, præcipuè diligentissimus Tacitus. Obiter mihi hic est admonendus Lector Beatum Rhenanum lib. 3. Commentariom Rer. Germanar. de Vbijs scribentem, ac iam allegatum Taciti locum citantem in ea esse opinione vt censeat Agrippinenses, seu gallicos Vbios puduisse Germanicæ Originis. Sed qui verba Taciti attentius legerit & probè considerant, ex eorum constructione, contrarium animaduertet sensum, ac proinde mendum in Taciti lectione esse, facile admittet, & vt Iustus Lipsius, rectè monet, desiderari vocem: *Non*: ac hoc modo legendũ: origine non erubescunt. Etenim nisi ita legamus constructio verborũ Taciti, nõ satis erit latina. Quo enim modo hæc verba (quamq; Romana Colonia esse meruerint, ac libẽtius, &c. Origine erubescũt) apto & latino sensu coherebũt? melius certè multo si legas: *Non erubescunt*. Sed iam ad institutum. Si igitur in Vbiorũ fuit potestate, ad tẽpora vsque Taciti trans Rhenũ contra Germanos,

se,

se, suósque agros, Vicos, Pagos, ac possessiones defendere, quæ eos coëgisset necessitas, charissimam, antiquissimamque excindere patriam, quæ tot sæculis dubijs maxime temporibus, certissimum', tutissimumque maioribus suis præbuisset asylum. Imo fieri vix potuit, vt trans Rhenum agros, Vicos, Pagos, ac Oppida defenderent, nisi primaria vetustaque, Vbiorum in Germanica ripa Ciuitas, clientes, subditosque suos protexisset. Quo autem tempore ea diruta sit, certò affirmare non possum. Existimo cum non paucis germaniæ præclaris Ciuitatibus, Alemannorum sæuitia perijsse, paulo ante Cæsaris Iuliani tempora, aut si diutius stetit, non dubium est ab Attila Hunnorum Rege deletam, vtramque Rheni ripam miserè vastante, quique in Gallijs Treueros, Tungros, Argentoratum, Moguntiacum, Wormatiam, Nemetes, Augustam Rauracorũ, multasq; alias præclaras Vrbes, aut penitus deleuit, aut grauiter afflixit, cõmunesq; veteris nouiq; Vbij ciues, clade elapsos solam restituisse Coloniã Agrippinam, fecisséque priore nonnihil ampliorem. Ego ab Alemannis (sic se posterioribus temporibus Sueui, cum ad Rhenum migrassent, Galliæque Imperio inhiarent, nominari voluêre) excisum vetus Vbium reor. Alemanni Cæsari ac Tacito incogniti (quod nondum eo tempore nouũ almanni nomen asciuissent) Ammiano Marcellino, (qui vbi Tacitus desijt, scribere cœpit) sunt notissimi, eorúmque atrocia contra Romanos describit bella, Coloniámque Agrippinam, vt mox dicemus, excidisse, cum alijs ad Rhenum Vrbibus, affirmat. Municipiũ *Tuitsch* aut *Duitsch*, quòd *Diuitionense* nonnulli appellant, aliquid cum Vbijs cõmune, ac affine habere videtur, in germanica Rheni ripa, è regione Coloniæ Agrippinæ, etiam hodie extans, quod ante postremam à Casimiro Palatino Bauaro anno Christi 1584. acceptam cladem frequenter adhuc habitabatur, multaque vetustatis illustria monumenta, insignes demonstrant ruinæ, ita vt non dubitem, aut hic, aut hinc non procul, antiquam fuisse Vbiorum, TransRhenanorum Vrbem ac Sedem. Nec obstat Cæsarem M. Fl. Val. Constantinum, hoc loco aduersus Francos, Munimentum ędificasse, id enim facile in fundamentorum eius ruinis fieri potuit, alludit, enim vox valde ad *Vbium*, vel vt fortè Germani tum loquebantur, *VVisch*, *Duitsch*, ac *Tuitsch*, *Diuitiacum*, ac *Diuitense*, acceptumque mihi persuadeo à Cæsare Munimenti nomine, à veteri, ac antiquo loci ipsius nomine, nouum verò nomen ab eo non inuentum, nec datum neque etiam nouum mirumque videri debet, olim ab vtraque Rheni ripa Vbios habuisse Ciuitates, Oppida, ac Agros, cum eadem ratione suo tempore, habitasse Menapios scribat Cæsar, & postea etiam Sicambros. Videmus & nostro tempore Geldros, Cliuios, Frisios, & Hollandos vtramque Rheni ripã habitantes, multosque alios Populos, tam ad Rheni, quam aliorum fluminum, vtramque consedisse ripam. Tertia ratio est quòd Coloniam Agrippinam, aliquoties prolatis pœmerijs, auctam, ampliorem que factam, ex antiquis eius muris & Turribus conspicimus, tandemque in eam excreuisse amplitudinem, vt nulla hodie ad vtramque Rheni ripam, nec in vniuerso Belgio (vbi tamen

amplis-

amplissimæ sunt Vrbes) imo vix in tota Germania, Vrbs cũ ea de magnitudine, in certamen descendere possit. Hanc pœmeriorũ eius extensionẽ, cœpisse dubitandũ non est, mox post veteris Vbij excisionẽ ac ruinam, cum eius clade superstites ciues, ad Coloniã Agrippinam, tanquã alteram patriã ædificare cœperint, ac tandẽ extructas ædes nouo muro, veteri Oppido coniunxerint. Ad probandã eorũ quæ à me dicta sunt veritatẽ, non parũ facit quod etiam hodie Coloniæ Agrippinæ, Sacer Princeps, Antistes Septemuir, non pauca trãs Rhenũ oppida ex antiquis Vbiorum Trans-Rhenanorũ agris, ac limitibus, apud Vuestfalos, Bergenses, Marcanos, Cliuiosque adhuc possideat. Neque mirũ est Romanos persuasisse Trãs-Rhenanis Vbijs, missis trans Rhenũ aliquot familijs in gallica etiã ripa oppidũ conderẽt, & munirent. Non enim Augusti tẽpore quo primum ædificata, ac Claudij Cæsaris, quo primum ab Agrippina in eam noua Colonia est ducta, vlla erat ad Rhenũ Ciuitas, magis Romano Imperio amica, ac fidelis, quęque constantius, fortiúsque tã contra Germanos quã Gallos, Romani nominis dignitatem, authoritatẽ, ac Maiestatẽ, defenderet, tuereturque. Hinc in vtraq; Ripa potentiã Vbiorũ confirmari, stabiliriq; volebant, certũ sibi in eorũ fide amicitiaq; pręsidium cõstituentes, qua in re Vbij opinionẽ Romanorum non fefellêre. Bello enim Batauico, quod sub Cęsare Vespasiano, à Cl. Ciuili Batauo est excitatũ & gestum fortiter ac diu pro Romanis tenuêre, quamquã fortuito igne grauiter afflicti, parum tum temporis possent. Sed tandem à Rebellibus Batauis subacti, inque fœdus recepti, Romanam amicitiam eiurare sunt coacti, cum prius diu inter rebelles esset disputatũ, euertenda ne Colonia, an cõseruanda foret, quã historiã Tacitus lib. 20. prolixè ac disertè perscribit. Treueri enim ac Tres-Rhenani vt dirueretur summopere adlaborabãt, Cl. verò Ciuilis cum Batauis ne fieret contra nitentes rem tandem obtinuêre. Certe Tacitus lib. 20. honorifice de Vbiorum ergo Romanos fide sentiens, hoc modo scribit: Nec quieuêre Vbij quo minùs prædas è Germania peterent, ›› primò impune, deinde circumuenti sunt, per omne id bellum meliore vsi fide, ›› quam fortuna. Qua autem ratione postea desertis rebellibus Batauis in Roma- ›› norũ redierint fidem, paulo post eodẽ libro Tacitus, his exponit verbis: Orabãt ›› auxilium Agrippinenses offerebantque vxorẽ ac sororẽ Ciuilis, & filiã Classici, ›› relicta sibi pignora societatis, atque interim dispersos in domibus Germanos ›› trucidauerant. Largius enim epulis vinoque sopitos germanos, clausis foribus, ›› igne iniecto cremauêre, simulque Cerealis subuenit. Passi etiã sunt Colonien- ›› ses insignem cladem tempore Cæsaris Constantij, vt scribit Amm. Marcel. lib. ›› 15. his verbis: Indicati autem Coloniam Agrippinam, ampli nominis Vrbem in ›› Secunda Germania pertinaci barbarorũ obsidione reseratã, & magnis viribus ›› deletã. Et iterũ sub initium li. 16. Nullo itaq; posthac repugnãte, ad recuperandã ›› ire placuit Agrippinã ante Cæsaris (scilicet Iuliani) in Gallijs aduentũ excisam. ››
A Tacito ac alijs scriptoribus inter Cis-Rhenanos Vbios, hæc numerantur Oppida: Tolbiacũ, nunc Pagus Zulpich: Bonna Romanorũ clade famosa hodie

nomen retinet, Marcodurũ nunc Dura: Nouesiũ Legnorum Oppidum Vbijs attributũ, nunç Nucium: Tiberiacũ nunc Carpen: Gugernum, nũc Gulic ac Iuliacum: Gelduba nunc Geldra insigni quoque Romanorum clade nobilitata. Ordeonium à Flacco Hordeonio Romanorum Duce eius conditore appellatum, nunc Ordingen de quibus consule Tacitum lib. 20. Asciburgum nunc Vicus exilis, tribus Rheno ac Nucio distans milliaribus, hodie dictum Asburg: Calo, nunc Calcaren, alijs Berica ac Burica: Vetera Castra, nunc Sancten, ob memoriam christianorũ, è Thębea Legione, iussu Cæsaris Maximiani hic trucidatorum sic postea denominata in quorum honorem Helena Cæsaris Constantini Magni mater, insigne ibidem Templum extruxit. Ante Vbiorum in Galliam traiectionem, dicta loca Menapijs paruisse dubium non est, vt & Coloniam Traianam, de qua hodie adeo parum extat, vt locus vbi steterit, pro certo demõstrari nequeat. Fuisse tamen medio inter Sanctũ ac Cliuiam. Oppida loco, doctiores asseuerãt, minoresque Ciuitates ac Oppidula hodie his *locis* extantia, ex hac, ac alijs excisis ad Rhenum præclaris Ciuitatibus, orta esse non est dubiũ. Vbij etymon è duabus germanicis vocibus petitur. V, (tibi) bij (vicini) V-bij id est, tibi (subaudi Rheno) vicini. Solam enim eam olim Ciuitatem ad Rheni ripam fuisse conditam legimus. Nunc ad reliquos Inferioris Belgij ac Germaniæ Populos, pergamus.

De Tungris, Eburonibus, horumque Clientibus.

CAPVT NONVM.

Tungri, ac Eburones qui.

IVlio Cæsare, ac Cornelio Tacito authoribus Belgæ Cæsaris tempore ad Rheni ripam habitantes, pro maxima parte à Teutonibus, Trans-Rhenanis ortos se confitebantur, diuersisque temporibus Maiores suos, traiecto Rheno Gallicam ripam armis, veteribus Gallis pulsis aut subactis occupasse palam ferebant. Ex his Tungros omnium fuisse primos Tacitus est author, ita scribens in libello de moribus Germanorum: ,, Cæterum Germanię vocabulum recens, ac nuper additum, quoniam ,, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Ger- ,, mani vocati sunt, ita Nationis nomen, non Gentis eualuisse paulatim, vt ,, omnes primùm à victore ob metũ, mox à seipsis inuento nomine, Germani vocarentur. Ex his verbis palam fit primos è Trans-Rhenanis Populis seu Teutonibus, Tungros traiecto Rheno, armis in Gallia sedes cœpisse, dein metus incutiendi causa, nouum, insolensque Germanorum nomen, primos omniũ assumpsisse, ac ita se vocari à Gallis, suisque voluisse. Vnde patet Germani appellationem, primò in Gallijs ortam vsurpatamque dein à Romanis vniuersę Teutoniæ attributam, ita vt postea Teutoniã Germaniã: Teutones Germanos appellarint, quod verissimũ esse ex eo apparet, quia in hodiernum vsque diem, vernacula Germanorũ lingua Regio Teutonia, incolę Teutones anti-

antiquissima seruata denominatione nuncupentur, Germanus enim ac Germania, Almannus, ac Almanna, adhuc hodie Regioni plane sunt incognta, & ab exteris tantum, latinisque in libris vsurpata. Sonat autem German, aut Garman Teutonibus duo. Primò, Virum absolutum: Deinde Virum conuerrendi, congregandi, ac rei faciendæ studiosissimum. Primo etymo respondet vox *Alman*, à Sueuis Galliæ inhiantibns excogitata vsurpataque, vtraque arrogans fastuque plena appellatio, quasi cæteris Populis & nationibus, fortuna inferioribus, animus, corpusque virile deesset. Sed si quis eius temporis Germanorum Barbariem considerare voluerit, nil admirabitur, cum eorum conatibus successus sequeretur, eos victorias propriæ prudentiæ ac fortitudini adscripsisse, omniaq; excogitasse, quæ ad terrendos Gallos, metumque incutiendum (cum alijs destituerentur regendi artibus) facere poterant, ac proinde interrogatos quinam essent, animi ferocia respondisse, Tungros, Germanos, Alemannos, &c. quæ voces cũ & cæteris postea Teutonibus tam Trans-Rhenanis quam Cis-rhenanis placuissent, obsolescentibus alijs nominibus pars se Tungros, Germanos, pars Alemannos appellari voluêre, quanquam domi inter suos vetera seruarent nomina. *Tungaren* verò idem significare apparet, quod Garman secunda interpretatione. Compositum enim videtur, *e*, *tho-hun-garen*, tribus germanicis vocibus in vnum coëuntibus, quæ separatæ sonant: *tho*, ad: *hun*, se: *garen*, congregare trahere, ac conuerrere omnia. Hodie nec Germanorum, nec Alemannorum, vt diximus, vlla extat Ditio, sed nuda tantum in hominum ore, ac libris vox, cum Germania, seu Alemannia, ab incolis non his nominibus, sed Teutonia dicatur, Coloni Teutones, vernacula eorum lingua *Teutslant*: *Teutscher*. Quo autem tempore hæc primum fieri cœpta sint, quum à veteribus Teutonibus nil scriptũ extet neque Cæsar, Tacitus, alijque scriptores vetusti tradant, superuacaneũ fuerit, frustra quærendo se torquere ac defatigare, quum id vnum è Tacito constet, Tungros, eorumque socios, omnium primos superato Rheno, Galliæ Germanorum nomen, diu ante Iulij Cæsaris tempora, inuexisse, Alemannorum vero appellatio, multò est recentior, nata circiter annos, 150. post Iulij Cæsaris obitum, vt ex Amm. Marcell. liquet. Cæsaris enim ac Taciti tempore, nondum cogniti fuêre Alemanni, nec vspiam ea vsurpata appellatio, veteri Sueuorum nomine contenti, sed post Taciti mortem, vt Francorum, ita & Alemannorum audita est appellatio. Ante Cimbrorum in Galliam, ac Italiam irruptionem Tungros iu Belgio consedisse, agrosque occupasse ex eo apparet, quod Aduaticis Cimbrorum relliquijs antiquiores sint. Sed nescio an Treueri Tungris sint posteriores, cum è varijs constet scriptoribus, diu ante Iulij Cæsaris in Gallias aduentũ, Treueros traiecto Rheno inter Belgas locũ cœpisse, ac florentissimã, potentissimamq; habuisse Rempublicã, Tungrorũ sine dubio Cæsaris tempore multo clariorẽ, potentioremq;. Nisi enim id ita fuisset, nulla ratione Cæsar Tungrorũ potentiã & claritatẽ, Ciuitatisq; pri-

mariæ, antiquiſsimæque nobilitatem ſubticuiſſet, cum ſæpius tam præclare de Treueris, alijſque Belgarum Populis, minoris potentiæ, ac claritatis loquatur. Quod ſi Tungri Cæſaris tempore in diuerſos Populos diſtributi; comuni nomine Germani fuêre appellati, facile conceſſero inter Eburones Tungros tum fuiſſe comprehenſos, ſed vt exiguæ potentiæ Ciuitatem, humilia oppida habitantem. Non enim vt dixi tam ſupina obliuione, ne dicam negligentia, diligentiſsimus in exponendis rebus à ſe geſtis Cæſar amplam copioſamq; Tongrorum Ciuitatem ac Gentem (vt eam ſua ætate fuiſſe affirmat Ammianus Marcellinus) cum cæteris Germanis ac Eburonibus deuictam tacuiſſet, nec tam alto ſilentio præterijſſet, ſed eos cum Condruſijs, Eburonibus, Cæreſis, ac Pœmanis libro ſecundo bell. gall. inter Germanos quoque annumeraſſet. Qua igitur (dices) de cauſa Tungros Germanorum in Gallia antiquiſsimos, tam profundo ſilentio Cæſar inuoluit vt ne ſemel quidẽ eorũ nec ipſe, nec A. Hirtius fecerit mentionem? quia cæteris Ciſ-Rhenanis Germanis ſuo tempore ſine dubio obſcuriores fuêre. Neque hic neceſſe eſt Tacitum mentiri (vt argumentatur Diuæus) quum dicit: Tungros primos Tranſ-Rhenanorum in Belgis habitaſſe, ſi hæc ſententia eſt admittenda. Taciti enim ætate Tungri antea obſcuri ex clade Eburonum, ac crebris rebellionibus Treuerorum creſcere cœpêre, quum Cæſar Eburones funditus & ad internecionẽ deleuiſſet, vt ſcribit libro 6. bell. gall. ea de cauſa, quod contra initi fœderis leges, ſe abſente Legionem Romanam cum quinque cohortibus ac duobus Legatis, dolo caſtris eductam circumuentamq;, interfeciſſent. Etenim vt plærumq; humilia Oppida è clade nobilium Vrbium emergunt, inq; eorum locum ſuccedunt, veriſimile omnino eſt, quod poſt Eburonum excidium Tungri creuerint, innoteſcereque iterum cœperint. Ita enim de Eburonibus, Cæſar dicto lib. 6. ſcribit:
„ Cæſar ad finitimas Ciuitates nũtios dimittit, omnes euocat ſpe prædæ, ad diri-
„ piendos Eburones, vt potius in ſyluis Gallorum vita quam Legionariorũ peri-
„ clitaretur, ſimul vt magna multitudine circumfuſa, pro tali facinore, ſtirps, ac
„ nomen Ciuitatis tollatur. Caput igitur tum Ciſ-Rhenanorum Germanorum eo loci habitantium erant Eburones non Tungri. Nomen enim Ciuitatis Cæſar vult tolli. Ciuitatem autem pro Gente, ac Populo, Cæſarem pro maxima parte accipere notius eſt, quam vt ſit demonſtrandũ. Tungri igitur eo tempore humiles, ac obſcuri fuêre, Eburonũ clientes. Proinde cum Tacitus ſcribit Tungros, primos Tranſ-Rhenanorum Belgium habitaſſe, oculos, ac mentem in ſua tempora quo primum emerſerint coniectos habuit, non in Iulij Cæſaris ætatẽ, qua adhuc erant obſcuri & humiles. Quum igitur dicit Tungros primos fuiſſe, intelligendum eſt ex illis Germanis, qui olim habitarunt, vbi ſuo tempore florebat Tungrorum Vrbs, ac Reſpublica. His adde quod Cæſaris tempore, duo viuebant Eburonum Reges, Ambiorix, ac Cativulcus, qui (quæ hominum eſt ambitio) nonſolum Eburonũ Reges voluiſſent appellari, ſi ea tum Tungrorũ fuiſſet claritas, quæ tempore Cæſaris Neronis fuit, ſed vnus eorum ſe Eburonũ,

alter

alter Tungrorũ Regẽ,ſine dubio nominaſſet,idq; eo maxime,quod tam exiguũ horũ fuerit Regnũ, vt in Treuerorũ clientelá ſe dare cogerentur, teſte Cæſare lib.4.bell.gall. ita loquente: Qua ſpe adducti Germani, latius iam vagabantur, ,, & in fines Eburonũ,& Condruſiorũ, qui ſunt Treuerorũ clientes peruenerant. ,, Id verò adhuc erat eo tẽpore,quo nondum à Cæſare Eburones propter Legionis,Cohortiumq; cędem fuerant deleti, inter quos tum pro certo numerabatur obſcurũ Tungrorũ Oppidũ, cum cæteris Eburonibus, à Treueris cõmunibus Patronis defenſum. Sed poſteaq; Treuerorũ Reſpublica ob crebras rebelliones à Romanis eſſet afflicta,ac adenpta agrorũ parte in ordinẽ redacta,Tungri emerſêre, auctaq; Ciuitate & potentia,non minus Treueris clari ac potentes euaſẽre,ita vt ob has cauſas facile mihi perſuaſerim, vno fere tẽpore Tungros,Treueros,Eburones,Condruſios,Cęreſeos,Segnos,Pęmanos,multoſq; alios Teutoniæ Populos tranſmiſſo Rheno,in Gallijs vi locum cœpiſse, occupatiſq; a ſe agris,ſingulos nomẽ indidiſse,conditaſq; Ciuitates Germanorũ nomen,Gallis formidabile,ac metuendũ,facile admiſiſſe,inter quos paulò poſt Treueri ſupra omnes potẽtia euecti,authoritate emicuêre,cęteroſq; Ciſ-rhenanos Germanos (exceptis Neruijs,Morinis, Menapijs,Aduaticis,ac paucis alijs,potentibus Populis,de quibus eorumq; Clientibus,volente Deo,mox ſigillatim agemus) pro maxima parte ſibi clientes,ac tributarios fecêre. Sed poſt Induciomari Treueri cum maximo Ciuitatis numero, omniũq; Eburonũ (exceptis humilibus Tungris) cõtra Cæſarẽ rebellione,de qua is belli gall.lib.5.circa finẽ,ac in initio lib.6 agit,totiuſq; Gallię vniuerſali defectione,de qua ſcribit lib.7.& 8.Treueri deletis Eburonibus agrorũ parte,ac multorũ clientela multati,non exiguá Imperij partẽ amiſêre. Vnde factum eſt,vt qui antea ignobiles,obſcuri, ac etiá tributarij fuerãt, liberi,clari,ac potentes ſint effecti. Inter hos non dubiũ eſt Tungros primum emergere cœpiſſe,deinde Cęſaris Auguſti tẽpore Vbios Ciſ-rhenanos ſeu Coloniá agrippiná,eoſq;,vt & Tungros in Agrorũ Eburonicorũ,Treuerorum, ac Menapiorũ parte receptos,qui indies magis magiſq; creſcentes,ad eam tandem peruenêre claritatẽ,qua eos tẽpore Neronis,ac Veſpaſiani fuiſse Batauica Cl.Ciuilis rebellione Tacitus lib.20.ſcribit. Quibus hæc non ſatisfaciunt,concedant neceſse eſt Tungros, ante Eburonum cladẽ obſcuros, ijs deletis in Imperio,ac authoritate ſucceſſiſſe, quod ſe nulla ratione Coniuratis iungere, nec fœdus cum Cæſare initum violare voluiſsent,ſuppreſsoque Eburonum, Germanorumque odioſo nomine,Tungrorum antiquam, prætuliſse appellationẽ, conniuentibus ad hæc Romanis,ſperantibuſque hac ſua liberalitate, in poſterum Tungros Imperio vtiles, ac fideles ſocios futuros, vt euenit. Atqui hac ratione Cæſar de Tungris ſuo tempore obſcuris iuſte ſiluit, & Tacitus vere eos Tranſ-Rhenanorum primos Belgium habitaſse dixit, nec malè ſenſiſſe de veterum Eburonum potentia, quidam noſtri temporis videtur, dicens eos cæterorum Tranſ-Rhenanorum Germanorum obſcuraſse nomen. Certè Eburonum ſui temporis potentiam (quanquam Treuerorum Clientes) non

„ ſiluit Cæſar, bell. gall. libro 5. ita loquens: Vnam Legionem quam proximè
„ trans Padum cõſcripſerat,& Cohortes quinq; in Eburones,quarũ pars maxi-
„ ma eſt inter Moſam & Rhenum, qui ſub Imperio Ambiorigis, & Catauulci
„ erant miſit. Cum dicit partem maximam habitaſſe inter Moſam & Rhenũ, intellige Ditionem Leodienſem,Iuliacenſem, Limburgenſem, Valkenburgenſem,Dalemiam,Aquiſgranenſem, & Colonienſem. Intellige & eos cis Moſam,agros poſsediſſe,nimirum partem Hannoniæ, Gallicæ Brabantiæ, Comitatum Namurcenſem,Ditionem Tungrenſem, Traiectenſem ad Moſam,& ibidem Leodienſem,vſque ad Aduaticorum & Treuerorum limites, imperaſſeque his Regionibus duos iam nominatos Reges. Neque his obſtat quod paulo poſt Cęſar,eodem loco Ciuitatem Eburonũ ignobilem, ac Oppidum humile vocet.Nobile enim Regnum è multis humilibus, exiguiſque conſtare poteſt oppidis,Pagis,Vicis,ac Municipijs,carereque primaria Ciuitate clara ac famoſa, vt olim omnia Germanorum Tranſ-Rhenanorũ, fuére Regna,quæ claras Vrbes non habebant,ſed vicatim inter ſe habitabant,Regnaque nomina ſua,non è primarijs Oppidis,ſed è Gentibus ducebant.Si quis me velit vrgere,Cæſarem hoc loco non oppidũ muro, valloque clauſum per Ciuitatem intelligere,ſed ſuo more vniuerſum Populum Eburonum admitto.Sed quid Regnum hoc erat cum vniuerſo imperio Romano collatum, cui ſoli tum temporis Gallorum bellum inferre velle videbantur.Regnum Eburonum locum munitum nullum habebat, Populi frequentia cùm vno è vicinis Populis,nimirum cum Treueris,Neruijs,Morinis,aut ſimilibus,ne dicam cum Romanis conferri non poterat.Accedit quòd olim Belgarũ Regna,Reſpublicæque, imprimis ea quæ à Germanis erant ortæ,non in Oppidis,ſed limitum amplitudine,Populique frequentia potentiam, claritatemque ponebant.Vnde facile colligi poteſt Eburonum olim limites,ſatis fuiſſe amplos,ac mediocriter habitatos,ſed incoluiſſe eos Oppida humilia,ac ignobilia, vt Gẽtem coactam è varijs Teutonum Populis, ſcilicet Eburonibus,Tungris,Cæreſis,Pæmanis,Sequis,Condruſijs,alijſq́, qui Cæſaris ætate vno nomine Eburones ac Germani vocabantur,exiguaque humilia, ac ignobilia, incolebant Oppidula,inter quæ tum maximè eminebat Oppidum Eburonum, præclaris Galliæ Vrbibus collatum humile, ac ignobile,quos eam ob cauſam ſolos in Gallijs Populo Romano bellum velle facere, Cæſar libro 6. teſtatur, vix fuiſſe credibile,Regnum tamen duobus Regibus fuiſſe diuiſum, apertè in hũc
„ modum profitetur:Catiuulcus Rex dimidiæ partis Eburonum,qui vnam cum
„ Ambiorige(nomen eſt alterius partis Regio)conſilium inierat, ætate iam con-
„ fectus,cum laborem aut belli,aut fugæ ferre non poſſet,omnibus præcibus de-
„ teſtatus Ambiorigem,qui eius conſilij author fuiſſet(rebellionis ſcilicet contra
„ Romanos)taxo,cuius magna eſt in Gallia & Germania copia,ſe exanimauit.
„ Si talis fuit,ac tam exigua,ætate Cæſaris Eburonum Ciuitas,quid tũ Tungros fuiſſe exiſtimabimus? Certè ſi primarium Eburonum Oppidum Tungrũ non,

fuit

fuit, ſine dubio, eo multo humilius extitit: Sin idem: quid mirum ſuppreſſo nomine Oppidi Tungrici, Eburonici Populi appellationem inter Belgas locũ obtinuiſſe. Etenim ſi Eburones Vrbem aliquam habuiſſent claram quo tẽpore tam ſæuè, ac atrociter, in eos Cęſar animaduertit, ſine dubio extremũ remediũ, non in fuga, armorumque proiectione ſed vt plærique omnes rebelles Galliæ fecêre Populi, in munitiſsimum, clariſsimumque Regionis Oppidũ confugiſſent, reſque cariſsimas eodem contuliſſent, idque ſummo ardore ac contumacia firmo cùm præſidio inſediſſent defendiſsentque. Sed nullum eo tẽpore habebant Oppidum, cui ſe ſuaque committere audebant. Quare non dubito diuerſas fuiſſe Eburonum, ac Tungrorum Ciuitates & oppida, vtraque humilia & ignobilia. Quum igitur appareat Tungros poſt excidium Eburonum primũ innoteſcere, emergereque, ex antiqua humilitate cœpiſſe, agroſque eorum ac limites, pœna rebellium Eburonum, Treuerorum, ac Menapiorum vicinorum ſuorum auctos eſſe, factum eſt, vt nonnulli noſtri temporis ſcriptores ſenſerint Tungros Taciti tempore, eos adeptos fuiſse agros, qui ab Vrbe Treuerorum, ad confluentem vſque Moſæ ac Rheni continerentur, quod mihi nulla ratione probari poteſt. Non enim exiguam Inſulæ Batauiæ partem, hac ratione poſsediſsent. Facilè credo quàm plurima vt diximus ob rebelliones Treueris, ac Menapijs, fuiſse per Romanos adempta, ac Tungris, Vbijſque Ciſ-Rhenanis, à Iulio Cæſare, eiuſque ſucceſsoribus attributa, Batauis tamen tam arcto amicitiæ vinculo Romanis coniunctis, vt poſtea fratres, ſocijque appellarentur, aliquid Tungros adimere auſos fuiſse, nulla mihi ratio perſuadebit. Protenſos igitur Tungrorum fines Taciti æuo verſus Moſæ ac Rheni confluentẽ in Menapiorum agros, facile conceſsero, nequaquã autem vſque ad confluentem. Nam etſi Cæſar. bel. gal. lib. 6. ita dicat: Partito exercitu T. Labienum cum legionibus ” tribus, ad Oceanum verſus, ad eas partes quæ Menapios attingunt, proficiſci ” iubet non ſequitur eas partes, quę Oceanum attingebãt, veterum Eburonum, aut poſtea Tungrorũ, fuiſse agros, limiteſque, expreſsiſset enim id Cæſar. Quicquid enim iuxta Oceanum, ad confluentem vtriuſque fluminis, intra eorum continebatur ripas, Batauis eorumque ſocijs, non Eburonibus neque Tungris parebat, teſtis eſt Cæſar lib. 4. bel. gal. ita ſcribens: Moſa profluit è monte Vo- ” geſo, qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam è Rheno recepta, quæ ap- ” pellatur Vuahalis, Inſulam efficit Batauorum, neque longius ab eo millibus ” paſsuum octoginta, in Oceanum tranſit. Sed iam ſatis de *Tungris*, & *Eburonibus*, deque Cæſaris ac Taciti, hac de re, vt apparet controuerſia, ſit dictum. Vbi verò habitarint eorum Clientes, ac primùm Sequi & Condruſij, deínde & alij iam inquiramus additis etymis. Eiburen hodie Heiburen dicimus Teutonicè, id eſt, Myricis vicini. Becanus eos vult dici Eetburen, hoc eſt vicini prẹſtito iuſiurando certis locis admiſsi. Cæſar bel. gal. lib. 6. ita ſcribit: Sequi, Condruſij de Gente & numero Germanorum ſunt, inter Eburones, & Treueros. Quamquã hæc ſatis manifeſta prima fronte appareant plurimũ tamen habẽt obſcuritatis,

& diffi-

& difficultatis, quod Cęsar hoc loco non satis exactè (vt & alijs quamplurimis) fines Populorum distinguat, nec explicet, ac proinde veritas est inquerenda, varijs eius, aliorumque scriptorum, inter se collatis, ac examinatis locis, quod quum fit, alia subinde alijs placent, hic ratione verisimili, ille probabili coniectura, se duci sinit. Quare non ægreferent, qui ante nos de Belgis scripserunt, si subinde ab eorum sententia recedamus, idem lubenter in nos admissuri, cum veriora tradiderint. Conferant quibus est otium authorum loca, instituti enim nostri breuitas id non permittit. Quare dictorum Clientum limites indicabimus, monstratis vestigijs veterum nominũ, multis adhuc se locis clarissime offerentium. Existimo igitur olim cum maxime florerent *Eburones*, ab Oriente eorũ fines attigisse Rhenum: ab Occidente Aduaticos & Neruios: à Septentrione Menapios: A Meridie Treueros possedisseque eos Ditionẽ Leodiensem, trans & Cis Mosam inter quos ac Treueros versus Meridiem ac Orientem teste Cæsare lib. 6. bell. gall. fuere *Condrusij*, quorum nomen hodie manere videmus ad Mosam versus Lutzenburgenses Regione hodie dicta *Condrous*, & *Condretz*, quorum primarium est hodie Oppidum *Houium* vox disillaba *Segnorum* relliquias quidam esse volunt, *Soignij* oppidum haud procul Bergis Hannoniæ situm: Alij *Chinci*, *Sinci*, aut *Segnei* apud Limburgios, quibus & ego accedo, aut, Chini, in finibus Lutzenburgiorũ, ac Namurcensium Condrusij hoc est *Comt-druis*, sonat populum ingenti impetu aduenientem. Segni verò, hoc est, *Segt-niet*, contrariũ indicat, Populum scilicet, clam, sine impetu, ac inexpectatò irruentem. Quid obstat dicere ab vtraque Mosæ ripa Condrusiorum, ac Segnorum extare relliquias quũ ijsdem olim locis, quibus habitauêre, Eburones ac Treueri Sedes habuerint. Cæresi verò ac Pœmani vbi habitarint, ex Cæsare non ita clarè, vt de iam dictis constat. Sed cum non procul Mosa ac Leodio reperiatur Pagus, nomine Ebura, Sere, ac Arx Serei, quis non mecum pedibus in eam abibit sententiam, hæc esse vestigia dictorum Populorum, quum corrupta nostri temporis pronunciatio literæ: C. (quam veteres latini ante omnes vocales, vt græci, *K*. nostrates: *ka*: protulêre) fere cum litera: S: vna fit ac proinde nil mirum hanc illi successisse. Pœmanos quidam volunt fuisse *Pemontios*, hodie ad Sjluam Arduennam habitantes. Alij, *die Pele*, ac *Pelant* in parte Campiniæ Brabanticæ, cis Mosam sitæ commorantes. Alij Pellam in Gallica Brabantia ad Mosam vergens. Ego quum nil quod afferem habeam, liberum Lectori relinquo iudiciũ. Fieri enim videmus, vt deletæ Nationis relliquiæ, in varias partes sparsæ, veteris semper Regionis ac Patriæ, aliquod vestigium seruent, non minus *hac* re curiosi quam olim Romani, vetere sque omnes florentes Respublicæ in deducendis fuêre Colonijs, ijsque patriæ varijs nominibus decorandis. Nonne idem nostro æuo Hispanos, apud repertas non ita dudum cum Oriente, Occidente, & Meridie Insulas, ac Continentis Ditiones, summa cum diligentia facere videmus? Vnde nil mirum si etiamnum hodie, ab vtraque Mosæ ripa Eburonũ, Condrusiorum, Cæresiorum, Segnorum, Pæmanorum, ac Tungrorum relliquias

Eburones.

Condrusij.

Segni.

Cæresi, qui.

Pæmani qui.

quias varijs Vicis, Pagis, Castris, ac Oppidis, restare videamus. Neque ego eius sum opinionis, cuius sunt plærique (vt bona eorundem cum venia dicam) facilè vt coniecturis verisimilibus fidem derogem, in quęrendis, constituendisque veterum Regionum, ac Oppidorum locis, cum aliqua ratione situs, nominisque appellatio, inter se congruant. Dicti autem videntur, Cæresi quasi *Seer-ras* hoc est valde citi ac festinantes, alijs verbis idem sonans quod Condrusij. Pæmani à *Peelmannen* siue *Pailmannen* in vtroque manente prima in syllaba diphthongo sonatque Viros certos limites occupantes aut rogantes. *Vatucam* verò *Varoux* nunc factam mihi persuadere non possum, quum de Castelli huius vera appellatione antiqua, inter doctos non conueniat. Alij enim legunt Vatuca, alij *Atua*, ac *Atuatica* vt Ptolomeus. Hubertus Thomas Varuca legit, vt ad Varoux detorqueat, sed vetusti exemplaris testimonio cum se non muniat, fidem non meretur. Alij legunt *Vertua*, alij *Varuta*, alij *Ratuca*, ita vt dubium non sit corruptũ omnino esse vocabulum, nec facilè ad nostri temporis vocem aliquam trahi posse, existimandumque sit nomen cum Castello plane intercidisse. Hic status *Eburonum* ac *Tungrorum* fuit Iulij Cæsaris tempestate, quos Tungros si tum inter illustriores Belgarum Populos sub nomine Eburonum, aut Germanorum, floruisse cum Petro Diuęo diligenti, ac docto, veteris Belgij enucleatore, sed nimis succincto, cõtendere quis velit non repugnabo, modò mihi concedat Tungricũ nomen ac vocabulum primum sub Cęsare Nerone, à Romanis scriptoribus, ac historicis celebrari cœpisse, antea inusitatum, an & incognitum dubito, credo potius contemptum iacuisse. Neque enim post Iulij Cæsaris mortẽ diminuere res Tungrorum, sed contra inclarescere, è vicinorum miserijs, ac calamitate, vt diximus cœpêre. Certe translatis è Germania in Belgas Vbijs, Tungri parte agrorum Eburonicorũ cedere sub Augusto, ac Tyberio Cæsaribus sunt coacti, non ob promeritam aliquam pœnam, sed vt Romanis gratificarentur, Vbijs partẽ agrorum, forte adhuc ex postrema Eburonum clade incultã concedẽtes, factumque hac de causa vt conniuentibus Romanis, rursum è Menapiorum agris, versus Oceanum, Mosæ, Rhenique confluentem, partem aliquam occuparent. Potentiã, enim ferociamq; Menapiorum minui ob crebras grauesq; rebelliones Romani cupiebant. Eodem fere tempore Tungri, ac Vbij Cis-Rhenani, seu Colonia Agrippina nosci, ac inclarescere, inter belgas cœpêre, agrorũq; limites proferre. Sed bello Tungri Vbijs semper clariores extitisse reperiumtur, fuereque Tungrorũ Iulij, Augustiq; Cæsarum mortẽ, ijdem fines qui veterum Eburonum, nisi quod ab oriente nõ Rhenum sed Coloniã Agrippinam, eiusq; agros limitẽ habuerint: Ad Septentrionẽ prętergressi antiquos Eburonũ limites, pulsisq; multis locis Menapijs (qui sensim à Rheno versus Mosam, ac Scaldim demigrabant) propinquius Batauis, Morinis, ac Oceano fines extenderunt. Primariã Tungrorum Vrbẽ, hodie locum, situm ac nomen seruantem, olim ad Mosæ ripã stetisse, hoc est Mosam tenue Tungrorũ nostri tẽporis Oppidum attigisse, admodum est verisimile. Nõ raro enim hodie rustici, terrã fodientes,

Vatuca, quid.

dientes, ac aratro proſcindentes, nauium fragmenta, integras anchoras, ferreos annulos, aliaque armamentorum fragmenta, ignari effodiunt. Oceanũ enim illic omnia occupaſſe, etiam hodie ſibi Accolæ perſuadent. Ego id à veritate procul abeſſe ſentio, cum ſitus loci, terręque natura, ac veteres ſciptores planè repugnent. Moſam verò interea tẽporis ad tria mediocria milliaria brabantica à Tungrorũ Vrbe, nouo facto alueo receſsiſſe, curſumque mutaſse, admodum eſt veriſimile, in quem Moſam hodie fluens Amnis *Ieckelus* alij *Iecoram* appellãt, haud procul Oppido Borchwormio oriens, ac Tungrorum Vrbem interſecãs illabitur. Quo loco olim Tungri apud Romanos fuerint, ac quã lubenter eorum armis, iuuentuteque vſi ſint Tacitus, quique poſt enim ſcripſere hiſtorici, diſertè narrant. Batauis duce Cl. Ciuili contra Romanos rebellantibus, primũ Tungri reſtitêre, deinde arma coniunxêre, pauloque poſt iterũ authore Fabio Priſco deſertis Batauis in veterem Romanorum amicitiam, ſocietatemque conceſſêre. Poſtea cum Batauis, non ſolùm Romana arma diu, ac conſtanter iuuauêre, ſed etiam Cęſarum corporum cuſtodes, cum Batauis fideliſsimi extitêre. Seneſcente Romano Imperio Tungri à Frãcis inſigniter nõ ſemel vexati, tandem circa annum Chriſti quadringenteſimum quadrageſimũ, planè in eorũ poteſtatem conceſſêre manſereque ad tempora vſque Hunnica. Attila enim Hunnorum Rege in Galliam ac Germaniã cum quingentis millibus pugnatorum irrumpente, omniaque deuaſtante Tungri quoq; expugnati, ac exciſi fuere. Ad voluptates enim dudum conuerſi, imbelles, molles, ac effœminati erant facti. Quare funditus deleti, nunquam reſurgere potuerunt, ſed in hunc vſque diem, humile, ac ignobile, manet Oppidum, Haſbaniæ Leodienſi annumeratum, quatuor Brabanticis milliaribus Leodio diſſitum. Ciues Agriculturæ, ac quæ huic dependet mercaturæ ſunt dediti. Extant etiamnum hodie varijs locis Tungrici nominis, ac claritatis, veſtigia, Vrbe excepta non pauca, vt ſunt: Tongrenheim, Tongerlo, Tongrin, Tongren, ac in Comitatu Namurcenſi, Tongren, &c, Tongreuille. In Hannonia Tongre noſtre Dame, Tongreſainct Martin & alia, alijs locis his ſimilia veterum Tungrorum clara veſtigia, Coloniæ, ac amplitudinis eorum Ditionis apertiſſima teſtimonia.

De Menapijs Sicambris Morinis, ac Taxandris.

CAPVT DECIMVM.

Menapij qui.

NVnc de Menapiorũ Regno aliquid reſtat dicendũ. Sępiſſime enim ſuperioribus capitibus eorum mentio eſt facta, amplamque Ditionem ante Iulij Cæſaris aduentũ eos poſſediſse in aperto eſt, vt etiã quod germanica ſit Gens, cum adhuc Cæſaris tẽpore, ad vtramq; Rheni „ ripã habitarent. In hunc enim modũ lib 4. bel. gal. ſcribit: In eadem cauſa fue- „ runt *Vſipetis* (quidam hos Zutfanienſes eſſe putant) & *Tencbteri* (hos *Drentios* eſſe

esse volunt) quos supra diximus, qui cum plures annos Sueuorum vim sustinuerint, ad extremum tamen agris expulsi, & multis locis Germaniæ trienniũ vagati, ad Rhenum peruenerunt, quas Regiones Menapij incolebant, & ad vtramque fluminis ripam, Agros, Ædificia, Vicosque habebant. Sed tantæ multitudinis aduentu perterriti, ex his ædificijs quæ trans flumen habuerant, demigrauerunt, & Cis Rhenum dispositis, præsidijs, Germanos transire prohibebant. Quibus è verbis clare apparet, Menapios Cæsaris tempore, è Germanica Rheni ripa ab Vsipetibus & Tenchteris fuisse depulsos. Qua autem ratione, quoque dolo Teuchteri ac Vsipetes, mox Rheno traiecto, etiam Gallicam Menapiorum ripam occuparint, audi eundem, eodem loco Cæsarem: Illi omnia experti, cum neque vi contendere propter inopiam nauium, neque clam transire, propter custodias Menapiorum possent, reuerti se in suas Sedes, Regionesque simularunt, & tridui viam progressi, rursus reuerterunt, atque omni hoc itinere vna nocte equitatu confecto, inscios, inopinantesq; Menapios oppresserunt, qui de Germanorũ discessu per exploratores certiores facti, sine metu trans Rhenum in suos Vicos remigrauerant. His interfectis, nauibusque eorum occupatis, priusquam ea pars Menapiorum, quæ citra Rhenum erat certior fieret, flumen transierunt, atque omnibus eorum ædificijs occupatis, per reliquam partem hiemis, se eorum copijs aluerunt. Hac ratione pulsi, vtraque Rheni ripa Menapij primo Vere (victis cæsisque à Cæsare ad Confluentem Mosę ac Rheni, ad internecionem Tenchteris, ac Vsipetibus, vt eodem Cęsar scribit libro) veteres agros qui amplissimi erant Menapij recipiunt. Sed tantorum Cęsaris beneficiorum mox obliti, quum is cum exercitu in Britanniam traiecisset, arrepta absentiæ eius occasione, cum vicinis Morinis rebellant. Domiti mox à T. Labieno Morini, euastatique à Q. Titurio, ac L. Cotta Cęsaris Legatis Menapij, densissimis se syluis abdentes in contumaci hostilitate perstiterunt teste Cæsare lib. 4. bel. gal. & in principio libri sexti, vbi scribit se tripartito exercitu Menapios acriter oppugnasse, eosque traditis obsidibus, acceptoque præsidio, pacem petere coëgisse. An vero communi totius Galliæ rebellione Duce Vercingetorige Aruerna contra Romanos inita (de qua Cæsar & Hirtius toto lib. 7. & 8.) Menapij se miscuerint incertum est. Nam quum eodem libro septimo Cęsar Populos enumeret, qui ad Alexiæ liberationẽ certam militum manum adducere debebant, nominatis Neruijs, Morinis, Bellouacis, Ambianis, Atrebatibus, Eburonibus, Rauracis, ac Mediomatricibus, nullam Menapiorum facit mentionẽ, forte quod cum vicinis Morinis eos comprehendat, aut quod superiore anno datis obsidibus in Romanorũ fide persisterent, cũ tamen Atrebatũ præsidium, à Cæsare Menapijs impositũ, ad rebelles defecisset ex quo tempore nulla amplius apud Cæsarem Menapiorum, quod memini fit mentio. Sed ex ijsqui Cęsarẽ secuti sunt scriptoribus cõstat, creberrimas, molestissimasq; Menapiorũ rebelliones, nõ exigua agrorũ multa fuisse punitas, quẽadmodũ & Neruiorum, Morinorũ, Treuerorũ, aliorumq; Populorũ rebelliones

 à Ro-

à Romanis insigniter fuêre castigatæ. In Eburones verò quo modo Cæsar sæuierit, abundè superiori capite exposuimus. Fuêre autem cum primùm Cæsar in Gallias veniret Sedes Menapiorum, ad vtramq; Rheni ripam, vt hodie sunt Geldrensium, Cliuensium, & aliquot aliorum Populorum, extendebanturque versus Orientem ac Meridiem, ad vsque Treueros & Eburones: In Occidentẽ ad Morinos: In Septentrionẽ versus Batauos, horũ socios, ac Mare Oceanum. In Germanica verò Ripa ad meridiem Vbios: ad Septentrionem Sicambros attingebant, ita vt inter hos medij conspicerentur. Sicambri verò à Trans-Rhenanis Vbijs, ad Oceanum vsque, secundũ rectam Rheni ripam, fere omnia versus Occidentem & Septentrionem possidentes, nunquam Cęsaris tempore, nec diu postea Rhenum transire, habitandi causa sunt ausi. Sed Augusto Cæsare iubente (vt scribit Suetonius) traiecto Rheno inter Belgas Sedes recepére. Semel quum Eburones à Cæsare proscripti, omniũ prædę essent expositi, cum duobus equitum, ac aliquot peditum millibus Rhenum transiêre, non exiguam ex Eburonibus prædam cogentes. Sed postea cõcitantibus Eburonum captiuis, ad Vatucã Romana castra, quibus præerat Q. Tullius Cicero, acriter oppugnauêre, accurrente verò mox in auxilium, cum Legionibus Cæsare, conuasata præda, trans Rhenum ad veteres Sedes rediêre, nec postea, nisi permittente iubenteq; Cæsare Augusto, in Galliam reuertêre. Post hæc Menapij ab Eburonum finibus, vsq; ad ostium fluvij Scaldis omnia occupauêre nimirũ Cliuiam, ac Geldriam Cis-Rhenanam, traiectoq; Mosa, eam quoque Brabantię partem, quę hodie intra Mosam ac Demeram Amnes conspicitur, sui iuris fecêre. Oritur autem Demera circa Oppidum Ditionis Leodiensis nomine Bilsen præterlabensq; Hasseletum, Diëstam, Arschotum, ac Mechliniam, hinc non procul Scaldim influit, quẽ quoque tandem Menapij traijcientes, eam Flandriæ partẽ, vbi nunc Ditio VVazana est, cum vicinis locis subegêre, Imperiumq; Menapicum ad Morinorum, ac Neruiorum vsq; fines extendere (qua de re vide plura infra lib.2.cap.14.& 15.) Regionẽ certè amplissimã occupantes, sed ob ingentes paludes, densissimasq; syluas male habitatam, ac pro parte incultam. Amplum hoc Menapiorum Regnum, irruentibus Trans-Rhenanis Germanis, aduenienteq; Cæsare, diu firmum stare non potuit. Pulsis enim vt diximus à Cæsare Vsipetibus ac Tenchteris, Romani potentiã Menapiorum ob continuas rebelliones diminutam cupiebant. Quare deletis Eburonibus, quum Tungricum nomen Regnumq; crescere inciperet, lubenter Romani ferebant, sensim Tungros Menapiorum carpere, inuadereq; agros, eosq; à Rheno trans Mosam pellere, quod è Taciti lib.20. clarè colligi potest, cum suę ætatis Menapios Cismosanos fuisse
„ disertè dicat, Tungricis scilicet armis à Rheno trans Mosam detrusi. Ita enim
„ Tacitus dicto lib.20. scribit: Ille vt cuiq; proximum vastari Vbios, Treurosq;
„ & alia manu transire Mosam amnem iubet, vt Menapios, & Morinos, & extre-
„ ma Galliarum quaterent. Et Plinius: A Scaldi incolunt externi Taxandri plu-
„ rimis nominibus, dein Menapij, Morini, Oromansaci, iuncti Pago, qui Gessoria-

Sicambri vbi, & qui.

cus vocatur. Et Strabo lib.4. Nouissimi Menapii Galliarum, ac hac parte, fluminis. Ptolomeus quoque eos sua ætate facit Cismosanos, Oppidumq; ad Mosam tribuit Castellum, quod nunc *Kessel* vocari plærique volunt, de quo & Amm. Marcell. lib.17. hoc modo scribit: Retento milite, circumuallare disposuit Castellum Oppidum quod Mosa fluuius præterlambit. Occuparant id tempore Amiani *Franci*, quos tandē deditionem facere coëgit Cæsar Iulianus, vnde facilè colligitur veritas sententię Beati Rhenani, qui Francos Regem, nec Regnū tum habentes, è VVestfalia, Ditione Trans-Isalana, horumq; olim maritimos vicinos, confluxisse docet, ac sibijpsis nouum Francorum nomē, veterum Teutonum more, imposuisse. Tandem Menapij è Ditione quæ est iuxta Mosam ac Scaldim, à nouis hostibus *Toxandris*, seu *Taxandris* pelluntur, qui vnde venerint non legi, sed occupasse eos pulsis Menapijs totam Campiniam Brabanticam, è collatione veterum scriptorum, facile colligitur. Etenim Amm. Marcell. lib.17. horum mentionem faciens in hunc modum scribit: Quibus paratis petit omnium primū Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellauit, ausos olim è Romano solo apud Toxiandriam, locum habitacula sibi figere prælicenter, cui cum Tungros venissent, occurrit Legatio prædictorū. Ac ne quis dubitaret de nostra Ammianum agere Toxiandria, sciat Salios Francos (sic dictos à flumine Sala, qui nunc Isala dicitur) has partes occupasse, venientes vt diximus è VVestfalia, ac Ditione Trans-Isalana, vbi adhuc hodie Salandiæ est pars, & Oppidum veterum Saliorum, nunc dictum *Oldensal.* Nam nisi in has partes Franci Saly habitassent, indeque Campiniam Brabanticam, Toxiandriam tunc dictam occupassent, ad quid Cæsar Iulianus, è Parisiorum Ciuitate vbi hiemarat, ad Tungros venisset, indeq; Chamauois, paulo ante Bructerorum Sedem, vicinosque eorum Francos inuasisset? Mosæ fluminis Castella à Francis euersa restituisset? indeque contra Alemannos Rheni ripam Belgis obuersam inhabitantes, bellū trastulisset? Quare verissime Beatus Rhenanus, atq; ex eo Adrianus Iunius Popularis meus, hic in sua Batauia, ille in Cōmen. Rer. Germ. demonstrat, dictis è locis ortos primos Francos, Rhenum sensim transijsse, ac subinde repressos, eiectosque (vt & Ammiani Marcell. tempore á Iuliano Cęsare è Taxandria Brabantica) tandem pulsis Romanis, Alemannis, ac Burgundis, Nobilissimum in Gallijs Regnum condidisse. Extat, vt dixi, etiamnum hodie apud Trans-Isalanos Ditio Salandiæ, quod Salæ Regionem germanis sonat, ac Sala fluuius, qui postea vnica adiecta vocali, Isala, est dictus & hodie dicitur, quæ abunde huius rei veritatem euincunt. Sed vt redeamus ad Toxandriam (de quibus & Plinius agit Nat. hist. libro 4. cap.17. his verbis: A Scaldi incolunt extra Toxandri pluribus nominibus) extat adhuc hodie apud Brabantos Pagus *Tessenderlo*, haud procul Oppidis *Diesta*, ac *Beringa* situs in Campinia. Cæsarem quoque Ottonem primum anno Christi 974. qui vitæ eius fuit postremus, Monachis Gandaui montis Blondini, nunc Abbatiæ D. Petri dono dedisse reperitur, Vicos *Noordwijc*, ac Itegem in Pago Tessandria

Kessel quid.

Toxandri ac Taxandri.

 sitos,

sitos, vt eorum docent archiua. Sunt autem dicti Vici haud procul Pago Tessenderlo, ac Oppido Herentals, in dicta Campinia siti. Quaauté de causa hęc Brabantiæ pars, oblita Menapiorum ac Taxandrorũ, Campinia, Campania, aut Kempenia postea sit dicta fateor me ignorare. Vulgatis enim Belgarũ Annalibus, in rebus vetustis (nisi probatos allegent authores, quod eis rarum est) fidem adhibere non soleo, ac proinde eorum fabulas nunquam recito. Si cui placeat inditam appellationẽ à Præfecto quodam Romano nomine Cãpano, aut eiusdem nominis Tungrorum Principe de quo Tacitus lib. 20. per me licet nam neque ego ab hac opinione horreo. Cum auté è dicto Taciti lib. 20. palã constet, fuisse eo tẽpore inter alios Tungrorum Principes hunc Campanum, quis negabit & antea, & postea, plures eius nominis extitisse, inter quos forte vnius tanta erga Romanos fuêre merita, vt hic Menapiorum (nunc Brabãtię) tractus illi dono fuêrit datus ac ea forte de causa in posterũ ex eo denominatus. Hæc coniectura est mea vt & plæraq; alia de quibus lectori liberũ manet iudiciũ. Pulsi itaque fuêre Menapij à Tungris ditione quæ est inter Rhenum & Mosam, ante Taciti tempora & postea à Taxandris ijs agris qui sunt inter Mosam & Scaldim. Quare posterioribus temporibus in sola admodum diu cogniti mansere Flãdria, eo etiam tempore cum ibi rerum Franci potirentur, dictaque est illo tempore eorum ibi Regio, *Pagus Menapiscus* continebaturque ripa Scaldis, ac Morinorum finibus, perdurauitque ac notum mansit, *Menapiorũ* in Flandria nomen, ad Annũ vsque Christi octingentesimum, octogesimum secundum, quo tempore primùm Flandri Principẽ, quem Foresterium, deinde Comitem appellaruut, à Carolo Caluo Cæsare accepere, vt patet apud Gisbertum Gemblacensem, qui sub hunc annum Menapiorum, Morinorum, ac aliorum veterum Populorum, mentionem facit. Et quis scit an hodie Municipium Menene, Comene, Messene, Vuastene ad Leiam seu Lisam Amnẽ siti, veterum sint vestigia Menapiorum. Dicti vero vidẽtur Menapij quasi *Me-nap.* Me simul ac vna sonat: *Nap* verò poculum potatorium, esculentorum, imo & manticam, designantes voce *Menap*, se non aduenire vt Raptores ac Oppressores sed Socios res necessarias vna secum adferentes. Toxandri verò dicuntur quasi *Tassanders*, hoc est accumulatores arenæ, siue arenosorum agrorum occupatores. Nunc ad Morinos transeamus. Docte demonstrat Petrus Diuæus in libello, de Galliæ Belgicę antiquitatibus, contra multorum doctorum virorum opinionem Menapios, ac Morinos, non solum Iulij Cęsaris tempore sed ad vsque ferè annum Christi millesimum, notos, confines, limitaneosque fuisse, quamquã primæ Menapiorum Sedes ad Rhenum: Morinorum verò ad Oceanum Gallicũ fuerint, totius Belgij ea in parte latitudine, inter se separati. Sed postea promotis ac etiam mutatis hinc inde finibus, interiacentes subegerunt Populos, occuparuntq; agros, facti hac ratione Morinis ac Neruijs affines, quod ex authorum diligenti lectione clare constat. Continet auté Belgij hoc loco latitudo paulo plus ac minus, centum quadraginta Brabantica milliaria.

Morini qui.

Vnde liquet quam amplum Morinorum ac Menapiorũ tum fuerit Imperium, quamquam non habitatum à tam frequenti Populo, vt noſtra videmus ætate, idque vt ſupra docuimus propter denſiſsimas ſyluas, continuaſque paludes. Quare mirandum non eſt, tam difficiles fuiſſe ad eos Cæſaris tempore Legionum Romanorum acceſſus, difficillimeq; Morinos, ferme Galliarum poſtremos, colla Romano iugo, ſubdere voluiſſe. Hinc eſt quod facile pedibus in Diuæi ſententiã eo, qui Morinos à Belgis dictos exiſtimat: *Moureinen*, hoc eſt, Paludum, Lacuumque habitatores. Hodie enim adhuc iſtis, multiſque alijs locis Palus ac Bacus, *Mour*: dicitur; Inde Palus maxima, quæ haud procul Oceano, ac Neruiorum finibus, inter Duinkerckam, Winoxbergam ac Vuernã Oppida, hodie conſpicitur, vernacula ibi lingua dicitur: *Die groote Moure*: quod Paludẽ ſeu Lacum maximum ſonat. Neque id eſt mirum. Habuere enim Morini ab Occidente (vnde ex eorum finibus teſte Cæſare lib.4.bell.gall. breuiſsimus in Britanniam eſt traiectus) & ſeptentrione mare Gallicum, & Britannicum: Ab Oriente menapios: A meridie neruios, Ambianos, Atrebates, ac Veromanduos, continebantque olim Morinorum fines, ea quæ noſtra ætate poſſident Dixmudij, Niportij, Veurnij, Duinkerkij, Grauelingij, Borbourgij, Winoxbergij, Caſſelij, Poperingij, Bellani, Iperani, Meſſenij, Caletenſes, Guineſij, Bolonienſes, Monſtreulij, Crotoij, Abbevillij, Dorlani, Heſdinij, Terouanenſes, Comitatus fani. D. Paulij, Ponty, cum eo Picardiæ tractu, qui citra flumen Somonam conſpicitur, tum etiam fanum Audomari, Airam, cum locis vicinis, quibus Ditionibus adhuc noſtra ætate multis locis continuæ ac difficiles viſuntur Paludes, ſyluis pro maxima parte excisis, terraque ſementi accipiendo, aut pecoribus paſcendis idonea reddita, manentibus tamen varijs locis veterũ ſyluarum, paludiumq;, nõ obſcuris veſtigijs, vnde materia accolarũ foco, ac ædificationibus idonea eruitur, flumina verò, Stagna, Paludes ipſeq; Oceanus, tã artificioſis ac vaſtis molibus cõſpicitur nunc ſeptus, vt nec aquarũ ſtagnationes, nec tempeſtatuũ irruptiones timeant. Cogente tamẽ neceſſitate, ruptis ſtudio aggeribus contra irruentiũ hoſtiũ vim, immiſſis per agros, fluuiorum, paludium, ac Oceani aquis egregie ſe defendere norunt. Quam verò inuicem vicini fuerint, *Morini* ac *Menapÿ*, Cęſar ſub finem lib.3.bel.gal. his verbis declarat: » Eodẽ fere tempore Cæſar, etſi prope iam exacta æſtas erat, tamen quod » omni gallia pacata, *Morini*, menapijq; ſupererã qui ſoli in armis eſſent, neq; ad » eum vnquã de pace legatos miſiſſent arbitratus id bellũ celeriter confici poſſe, » eo exercitum adduxit, qui longe alia ratione, quam reliqui Galli bellum gerere » cœpere. Quis ex his verbis non facile animaduertit, Morinos & Menapios fuiſſe affines, & limitaneos? libro belli gallici ſecundo, ſub initium Cæſar recenſens Belgarum copias, quas quæque Natio, ad comune contra Romanos ſuſceptum bellum, eſſet in aciem eductura, ait Morinos quindecim millia Virorũ, Menapios ſeptem tantum fuiſſe pollicitos, è quibus colligi datur, tum temporis Morinorum fines, Menapiorum fuiſſe ampliores, aut frequentius habitatos.

Quid

Quid verò vterque Populus contra Romanos sit ausus,& quantum ijs negotij fecerint,antequam amissa libertate,iugum Romanum admiserint. Cæsar belli gallici lib.2. & maximè tertio diserte exponit. Fine verò quarti libri Morinos propter æstatis siccitatem à T. Labieno ferè omnes in potestatem Populi Rom.redactos mox libro septimo cum cæteris Gallis,iterū coniurasse narrat. Quàm verò eo tempore fuerint Morini,eorumque vicini imbecilles ac exhausti,ex eo patet,quod singuli tantùm quinque virorum millia,ad communia castra adducere potuerint, erantque ob superioris anni rebellionem Morini,à Cæsare attributi,ac subiecti Regno Commij, Atrebatū Regis, cuius fideli,vtilique opera superioribus annis,Cęsar in Britannia erat vsus,vt eodem lib.7.his scribit verbis: Huius opera Commij,ita vt antea demonstrauimus, fideli ac vtili,superioribus annis,erat vsus in Britannia Cæsar,pro quibus meritus Ciuitatem eius immunem esse iusserat, iura, legesque reddiderat, atque ipsi Morinos attribuerat. Fuêre etiam Morinis vicini,& contigui aliquot Populi,partim à Cæsare,partim ab alijs authoribus recitati, inter quos sunt Caleci,Cæsari Caletes appellati, à quibus *Cales* Oppidum, hodie Angliæ ad Icciū Portum,oppositum,nomen sine dubio retinet,finesque eorum fuisse amplos apparet,quod ad commune Belgarum contra Cæsarem bellum, decem millia virorum sint polliciti,teste Cæsare bel.gal.lib.2.ac proinde facile eorum accedo sententiæ,qui Calecum fines, ab amne Canchena, ad Sequanæ vsque ostium protendunt,restareque ex ijs apud Nortmannos hodie Ditionem appellatam Francis *Le Caux*: quorum vicini Essuy fuêre, nunc Comitatus, *Deu*, populus Cæsari lib.bel.gal.5.appellatus quietissimus,totiusque Galliæ pacatissimus, idque his verbis:Præter eam quam,L.Roscio,in pacatissimam, & quietissimam partem deducundam dederat.Paulo supra Cæsar scripserat,se L.Roscium cum vna legione collocasse in Essuos.Sequitur *Itius* aut *Iccius* Portus quem quidam esse volunt,oppidum nunc Bolonia dictum,quidam fanum Audomari,alij oppidum hodie Caletum dictum. Dicti autem censentur quasi Ca-lec, hoc est littus inundās,instabile,malè sudum:Iccij verò quasi: *Ic Sie*, hoc est, ego video: scilicet Portū,aut Insulam britanniam. Gessoriacū,ac Plinij lib.4.cap.17.Oromansaci,ac Ptolomei Gessoriacum Nauale,eosdem esse plærique volunt.Meā de his sententiam require infra lib.2.cap.18. Sunt qui contendant dictos Populos,Calecorū clientes & subditos,in quā & ego sententiā inclino, quod solummodò Calecorū vt præpotentiū,authoritateque præcedentium mentionē Cæsar,alijque pro maxima parte faciant.Becanus deducit Gessoriacum à quatuor monosyllabis Teutonibus his : *Ges-oir-ryc-acht*, *ges* vilis abiecta: *or* soboles:*ryc* opum,diuitiarum:*acht*, admirator: ac si dicas ita natus ac viliter educatus,vt nil præter opes ac diuitias didicerit, nec putet admirandum, quærendumque Oromansacus verò à contrario sensu : *or-rom-mans-acht*. *Or* soboles *rom* fortis : *man* vir : *acht* æstimo, admiror : Ac si dicas:Ita natus educatusque vt nil præter viros fortes, ac animosos admirandum putarit existimo Calecos, à fluuio

Caleci. *Caletes qui.*

Iccius Portus.

Gessoriacū Oramansaci. *Gessoriacū Nauale quid.*

fluuio hodie AA, appellato (versus meridiem Occidentemque in oceanũ hodie Grauelinge cadente) secundum Oceani incurua littora, ad ostium vsque Sequanæ, omnia possedisse, eiseque Ptolomei Iulio bonam hodie, *Haure de grace*, aut *Harfleu*. Morinos verò ab eodem fluuio versus Occidentem, Septentrionemque cætera omnia, vsque ad Batauorum, sociorumq; eorum limites tenuisse, tam quæ hodie ibi Flandrici sunt iuris, quam Zelandiæ Insulas, eo tempore Flandriæ coniunctas, ac nondũ vt nunc videmus, irrumpente Oceano disiunctas, apud quas (vt paulo post ex Tacito, cap. 12. docebimus) nondum Mattiacorum nomen erat cognitum, sed tantũ Morinorum Augusti Cæsaris tempore iterum Morinos rebellasse, ac à C. Carino domitos fuisse author est Dion Cassius. Rebellione Batauica, Duce Claudio Ciuili Batauo, tempore Cæsaris Vespasiani mota Morini, ac Menapij teste Tacito non parum fuere vexati. Exinde à Vuandalis, alijsq; Barbaris Nationibus euastati, facile cum vniuerso Belgio, senescente Romano Imperio, in Francorum potestatẽ deuenêre, qui extincta ijs partibus Morinorum ac Menapiorum appellatione noua inuenêre, ac insolita, Gentium, Regionum, ac Præfectorũ nomina, vtpote Comitum, Ducum, Marchionum ac similium, quos postea secuti Pippiniani ac Carolini, maiorem vetustati ac antiquitati cladem, conuersionemque induxêre. Cum igitur nunc satis constare arbitrer Menapios, ac Morinos olim fuisse affines ac limitaneos tum etiam qui horum fuerint limites, quale Regnum, ac quis fortunæ supra quingentos annos cursus (tot enim Annis Romani Gallias ac Hispanias obtinuêre) ad cæteros Belgas pergamus.

De Neruijs, Aduaticis, Bethasijs, Ambibaritis, horumque Clientibus.

CAPVT VNDECIMVM.

NEruios Belgarum omnium fuisse fortissimos, ferocissimosque, ac amplissimum possedisse Imperium, Cæsar est testis lib. 2 bell. gall. scribens eos comuni Belgarum in Populum Rom. coniuratione, ad bellum fuisse pollicitos quinquaginta virorum millia. De moribus autem eorum in hunc modum eodem scribit libro: Nullũ aditum ad eos esse mercatoribus, nil pati vini, reliquarumque rerum, ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent. Esse homines feros, magnæque virtutis increpitare & incusare reliquos Belgas, qui se Populo Rom: dedissent vel patriam virtutem proiecissent, confirmare se, neque Legatos missuros, neq; vllam conditionem pacis admissuros. Latissimum fuisse eorum Regnũ ex veteribus historicis, ac Cæsare facile colligi potest: A Scalde enim, ac vbiis Oceano est proximus, ad Treuerorum vsq; fines imperarunt, clientesque complures, ac tributarios habuerunt

Neruij qui.

buerũt è quibus Cęſar lib.5.bell.gall.hos recitat: Centrones Grudios, Leuacos, Pleumoſios, ac Gordunos, finiebantque Neruiorum Imperium inter Orientē & Meridiem Eburones ac Treueri: Inter Occidentem & meridiem, Morini, ac Ambiani: A Septentrione Ciſmoſani Menapij, Bethaſij, horumq; vicini: A meridie Atrabates ac Veromandui. Qui his continebantur finibus, Neruiorũ, aut vicinorum eorum erant ſubditi & clientes, exceptis Aduaticis, qui inter Neruios, Bethaſios, Eburones, Atrebates, ac Treueros habitantes, ſoli abſolute liberi, nullius imperium agnoſcebant. Tranſ-Rhenanæ originis fuiſſe Neruios Tacitus & Strabo confitentur, eoſque tales cenſeri voluiſſe, Tacitus aſſerit in libello de Mor. Germ. ita ſcribens: „Treueri & Neruij, circa affectationem germanicæ originis, vltro ambitioſi ſunt. Sed è qua Germaniæ Regione venerint, ac quo tempore traiecto Rheno, in Gallijs ſedes fixerint, nemo prodit. Poſſederunt certè Cæſaris tempore Nerui omnem eum Flandriæ tractũ, qui intra Liſam Amnem, ac Scaldim continetur, ad morinorum vſq; fines, & trans Scaldim eam Hannoniæ & Brabantiæ Regionem quæ Treueros non agnoſcebat, inter quos cenſebatur Gandauum, Corteracum, Audenarda (quod ſonat veteres Neruios) Gerſberga, Aloſtum, Angianum, Condatum, Hallæ, Hannoniæ, Teneramonda, Mechlinia, Louanium, Bruxella, Montes Hannoniæ, Valencenæ, Bauaium, Mabuga, pars Comitatus Namurcenſis, tangenteſque Atrebates, ac Veromanduos, Ambianorum limitibus, fines eorũ claudebantur, cultæ tum temporis Regiones, ac frequentiſſimæ habitatæ, quanquam non ita vt hodie, ſed multis locis Paludibus, ac continentibus ſyluis inuiæ. Vnde enim aliter in aciem producere potuiſſent, quinquaginta millia pugnatorum, ac promittere centum millia, his exceptis qui fines ac imbellē ſexum tuerentur? Sabim quoq; flumen (hodie Sambre ab Hannonys dictum, iuris Neruiorũ pro parte fuiſſe, ac in eius ripis, proximiſque collibus, ingens illud, Cæſariq; periculoſiſſimum commiſſum fuiſſe prœlium, is ipſe aperte his verbis lib.2.bell.gall. ſcribit: „Cum per eorum fines triduo iter feciſſet, inueniebat ex captiuis Sabim fluuium, à caſtris ſuis non amplius, paſſuum decem millia abeſſe. Trans id flumen omnes Neruios conſediſſe, aduentumque ibi Romanorum expectare, vna cum Atrebatibus, ac Veromanduis finitimis ſuis nam his vtriſq; perſuaſerant, vt eandem belli fortunam experirentur. Expectari etiam ab his Aduaticorũ copias, eſſeq; in itinere, quique per ætatem inuteles ad pugnam viderentur, in eum locũ coieciſſe, quo propter Paludes, exercitui aditus non eſſet. Quod dicit trans Sabim flumen, omnes Neruiorũ copias conſediſſe, ſentio haud procul fuiſſe, vbi nunc ſunt Mabuga, Baumontium, Thuinum, Walcurtum, viciniſque in locis. Cætera quæ ſequuntur, horrendum inter Neruios ac Cæſarem commiſſum prœlium, eius euentum, fœliciſsimam Cæſaris victoriam, ac mox imbellis Neruiorum ſexus deditionem Cęſar exponens, facile declarat, qualis tum fuerit eorum potentia ac virtus idque his verbis dicto libro: „Hoc prœlio facto, ac prope ad internecionem Gente, ac nomine Neruiorum redacto, maiores natu, quos vna

cum

cum pueris, mulieribusque in æstuaria, ac paludes collectos dixeramus, hac ,,
pugna nunciata, cum victoribus nil impeditũ, victis nil tutum arbitrarentur, ,,
omnium qui supererant consensu Legatos ad Cæsarem miserunt, seque ei de- ,,
diderunt, & in commemoranda Ciuitatis calamitate, ex sexcentis, ad tres Se- ,,
natores, ex hominũ millibus sexaginta, ad quingentos, qui arma ferre possent ,,
se redactos dixerunt, quos Cæsar, vt in miseros & supplices, vsus misericordia ,,
videretur, diligentissime conseruauit, suisque finibus ac Oppidis vti iussit, & ,,
finitimis imperauit, vt ab omni iniuria & maleficio, se, suosque prohiberent. ,,
Tanta Cæsaris clementia non obstante, tertio post hanc cladem anno, nonni-
hil refectis viribus, vt scribit Cæsar lib. 5. bell. gall. rebellant, instigante Ambio-
rige Regis alteræ partis Eburonum, qui post deleta Romanorũ apud suos hi-
berna, trucidatam cum quinque cohortibus (vt supra cap. 9. scripsimus) duo-
busque Legatis Legione, Neruijs, Aduaticisque persuadet, sumptis armis idem
se authore quod Eburones fecerant, fœliciter tentent, ac Q. Tullij Ciceronis
Legionem, apud Neruios munitis castris, hibernantẽ expugnent, trucidentq;.
Cæsaris hæc sunt verba. Hac victoria sublatus Ambiorix, statim cum equita- ,,
tu in Aduaticos qui erant eius Regno finitimi proficiscitur, neque diem, neque ,,
noctem intermittit, peditatumque se sequi iubet. Re demonstrata, Aduati- ,,
cisque concitatis, postero die in Neruios peruenit, hortaturque ne sui in per- ,,
petuum liberandi, atque vlciscendi Romanos, pro ijs quas acceperant iniurijs, ,,
occasionem dimittant. Interfectos esse Legatos duos, magnamque partem ,,
exercitus interijsse demonstrat, nihilque esse negotij, subito oppressam Le- ,,
gionem, quæ cum Cicerone hiemet interfici, se ad eam rem profitetur autho- ,,
rem. Facile hac oratione Neruijs persuadet. Itaque confestim dimissis nun- ,,
tijs ad Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Gordunos, qui omnes sub ,,
eorum Imperio sunt, quam magnas possunt manus cogunt, & de improuiso ,,
ad Ciceronis hiberna magna manu aduolant Eburones, Aduatici, Neruij, ,,
atque horum omnium socij, & Clientes, Legionemque oppugnare incipiunt. ,,
Bella hæc non sine ingenti animo à Neruijs, Aduaticisque esse suscepta,
quanquam paulo post insignem, haud procul castris Ciceronis cladem à Cæ-
sare acciperent, ostendit fine libri 5. bell. gall. vbi affirmat, post alteram hanc
cladem, Neruios, Aduaticosque bellum Romanis, instigatione Treuero-
rum, Ducisque eorum Induciomari tertio parasse, sed mox cæsis Treueris,
interfectoque Induciomaro, Neruios, eorumque socios, ab armis discessisse.
Anno insequenti (vt Cæsar initio libro 6. belli gallici: scribit) iterum
Treueri, Neruij, Aduatici, cum vicinis Menapijs alijsque aliquot Populis,
bellum contra Romanos renouant. Sed subito, inopinatoque Cæsaris cum
exercitu aduentu, oppressi Neruij, deditionem facere, obsidesque dare coä-
cti, in sequentem vsque Annum quieuere. Tum teste Cæsare lib. 7. bell. gall.
Duce Vercingetorige Aruerno, cum vniuersa fere Gallia contra Romanos
Neruios iterum coniurasse, ac ad comunia castra, liberanda obsidione Alexia,

cum cæteris Gallorum Populis, quinque millia] peditum adduxisse scribit (equitatu enim Neruios nil potuisse, nec vnquam studuisse Cæsar lib.2. bel. gal. est author) ex quo intelligere possumus, quam eo tempore ob continuas clades res Neruiorum, in tanta finium amplitudine, humiles ac exiguæ fuêrint. Quare nil mirum si apud Cæsarem nulla ampliùs eorum, post hoc bellum fiat mentio. Apud Tacitum lib.20. se miscuisse bello Batauico, variaque iactatos fortuna, pro maxima tamen parte pro Romanis stetisse non tamen fide satis firma reperiuntur. Ita enim Tacitus dicto libro, scribit: Et Neruiorum Cohortes, metu, an perfidia, latera nostrorum nudauêre. Plinius lib.4. cap.17. eos suo tempore liberos nominat Imperatoris Vespasiani scilicet gratia. Posterioribus temporibus cum ferè exhausti continuis bellorum calamitatibus Neruij, agrorum partem desertam reliquissent, consentientibus Romanis Francorum aliquot millia colonos authore Panegyrista, qui tempore Diocletiani & Maximiani Herculei Cæsaris scripsit, admisêre. Tandé cum cæteris Gallis à Francis anno Christi quadringentesimo quadragesimo quinto subacti, ab ijs nouas leges, nouum nomen, ac veram relligionem accepêre. Præcipua autem Neruiorum Oppida (si Itinerario Antonini credere licet, quod parum adhuc fidei apud me inuenit) memorantur Tornacum, Baganum seu Bagacũ nunc Bauai Hannoniæ oppidum, Valenchianæ nunc Valenchenæ. De Neruiorum Clientibus nil præter nuda nomina Cæsar, ac Tacitus recitant, ac proinde Doctorum tantum coniecturas, hic asscribemus, qui existimant Grudios nunc esse Brugenses aut Lannoios Gordinos Gaudenses: Leuaços Louanienses, alij Flandriæ Orientalis maritimos cultores: Centrones sunt qui asserant esse oppidum Leodiorum gallica lingua hodie dictum Centron, Brabantica verò lingua qua ciues vtuntur, *Sint Truien*, hoc est, fanum Trudonis, cuius est in oppido vetusta Abbatia cuius Præfectus siue Abbas totius est etiam oppidi Dominus, præestque quum hæc edo D. Leonardus *Betten*. Vir honesto loco natus, doctus, pius, ac ad humanitatem, morumque suauitatem natura factus, amicus mihi, ac Patronus summus, quemadmodum & omnes ei ac Collegio voto obstricti, deuinctique. Ridet hęc Petrus Diuæus asserens à Diuo Trudone oppidũ nomen accepisse, astipulante brabãtico etymo. Quod ad me attinet, ego Centrones Belgas hic habitasse credo gallica inductus appellatione, qui vetustissimum non deseruere vocabulum. Nam & ante denominationẽ Sarcinij (quod nomen habuisse oppidum, ante Abbatiæ coustructionem, idem docet Diuæus, sed vetus esse nomen demonstrare non potest) ibi antiquitus habitasse Belgarum Centrones, sustineri facilè posset cum tam apertè gallofrancica lingua, è corrupta latina nata, oppidum adhuc hodie *Centron* appellans cum antiquitate conueniat, ac magis sibi placuisse Maiorum denominationem, quàm recentis viri Pij memoriam, ostendere velle videantur. Nil enim ad rem facit quod hodie quidam scribere velint *Sainct Tron* & non *Centron* quum contra eos pro me faciant omnes vetusti codices ac Tabulæ, quas inspicere potui. Quod si hęc ali-

Grudij. Gorduci. Leuaci. Centrones Belgæ qui.

alicuius palato minus ſapiant, cum probare ex loci ſitu nil poſsimus, ſint Centrones Belgę vt quidam volunt Cortracenſes Flandri, aut certi ab his non procul extructi Vici deſinentes in, *Lo*, imo ſi vis ipſa Regio ac Pagus Lonenſis. Attuli coniecturas, libera vnicuiq; ſua maneat ſentētia. Mihi (vt dixi) omnino placet quod nunc eſt Brabantis *Sint Truyen* gallofrācis *Sainct Tron*, & *Centron*, mediæ ętati Sarcinium, veterū fuiſſe Neruiorum Centrones, ſeruaſſeque eam appellationem Romanos, ac ab his deriuatam gallofrancorum lingua appellationem. Vt enim diximus Centron, corruptum eſt, à *Kentrou* (id eſt, noſce fidem, ſis fidelis) indeque manſit vox, *Tru*, ſignificans fidem, & conſtantiam in dictis & factis, cuius nominis exiſtens Vir ſanctus Chriſtianus qui primus ijs in locis religionem ac pietatem Chriſtianam diſſeminauit, ac plantauit, gallofranci omnia germanica nomina & voces corrupta lingua ſua corrumpere aſſueti, adiecta vnica in fine ſyllaba, ex: *Tru*, fecère *Trudo*, latinè. Sua vero patria lingua, V, in N, mutantes ac adiecto, O, diphthongum facientes è *Tru*, fecerunt. *Tron*, dicentes ſanctus *Trudo*, ac *Sainct Tron*. In tanta enim rerum belgicarum conuerſione, non ſemel ſunt mutata varijs locis, vt in hiſtorijs liquet, Oppidorum honorumque nomina. *Pleumoſios*, &c. Eſpinoum quidam eſſe volunt, qua moti ratione aut coniectura ignoro. Alij vniuerſam Flandriam olim à Pleumoſijs inhabitatam contendere audent. At id pugnat cum ijs, quæ iam de Morinis, Menapijs, ac Neruijs attulimus. Hi enim tres Populi Flandriam nunc noſtram ferè totam olim obtinuēre. Quare circa Moſam Pleumoſios Neruiorum ſubditos habitaſſe omnino credo, indeque nomen ſortitos exiſtimo. Veteres enim Moſam ore pleniore quam nunc facimus, protulere, dicentes: *Die Moes, die Moos,* nunc *Maes*. Pleumoſios igitur eos fuiſse arbitror, qui habitant intra Sabim ac Moſam Amnes, Moſę tamen quam Sabi propinquiores, idque eo loci, vbi nunc ſtat recens ædificata, Philippouilla, Carlomontium, ac Marieburgum, iuſsu Cæſaris Caroli quinta erecta, ac ex ſe, filio, ac ſorore denominata. Huc vſque enim Neruij fines ſuos, ad Ambianos ferè extenderant. Becanus non recte aduaticorum fines ſtatuens eos tamen ſatis fœliciter deducit *Hat-vat*, aut *Haut-vaſt*, hoc eſt, tene firmiter quod habes & acquiſiuiſti. Grudios deducit à Gruitem que ſonat Foſſas purgare, hoc eſt huius numerus Præfectum. Gordunos à Gorduijn. Gor, enim hodie gorſen Paludem ſonat Duijn collem Gorduijm igitur Collis in palude ſitus, vt eſt ea pars Vrbis Gandenſis, vbi hodie ſtat abbatia D. Petri. Leuacos à *Leeh-vvaec*, hoc eſt depreſſiorum locorum excubiæ. Centrones idem tribus Becanus deducit à *Kent-trou*, hoc eſt, agnoſce fidem, ſis fidelis: aut à *Kent-rijc*, id eſt, agnoſce ac reuerere opulentos, indeque corruptum exiſtimat, *Cortrijc*. Pleumoſios, à *Leu-moes-by*, id eſt, tardam, lateque ſparſam vliginem habitantes. *Aduaticos* Cimbrorum fuiſſe relliquias, Cæſar bel. gal. lib. 2. his verbis teſtatur: Ipſi erant è Cimbris Teutoniſque procreati, qui cum iter in Prouinciam noſtram atque Italiam facerent, his impedimentis qui ſecum agere ,,

Pleumoſij qui.

Aduatici qui.

„ ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiæ ex suis,
„ atque præsidio sex millia hominum vna reliquerunt. Hi post eorum obitum,
„ multis annis à finitimis exagitati cum alias bellum inferrent, alias illatum de-
„ fenderent, consensu omnium pace facta, hunc sibi domicilio locū elegerunt.
Neruiorum Aduaticos fuisse confines, vel ex eo clarè apparet, quod nunquā Nerduij siue Aduaticis bellum Romanis sint moliti, sed semper coniunctis armis, auxilio inuicem sunt profecti, vt Morini, & Menapij. At Cæsaris tempore adeò Aduaticorum Respublica creuerat, vt communi Belgarum contra Cæsarem Coniuratione (de qua is initio lib.2. bel.gal.agit) ad communia castra se adducturos sint polliciti, virorum viginti, & nouem millia. Scio hoc loco apud Cæsarem legi Catuacos non Aduaticos. Sed rectè meo iudicio Petrus Diuæus admonuit, mendum esse, legendumque Aduaticos, cum nuspiam alibi apud Cæsarem, nec Tacitum, neque alium scriptorem Catuacorum, sed sæpissime Aduaticorum fiat mentio. Certè primo prœlio quo ad internecionem Neruij, ferè à Cæsare sunt deleti, quod se tardius venisse Aduatici viderent, à bello tamen non abstinuêre, pacem, nec amicitiam Cæsaris petiêre, nunquam prœlio tamen contra victorem suis solis nixi viribus certare audentes, sed omnibus desertis Oppidis in vnum natura ac arte munitum vires omnes contulêre, quod cum operibus ferme expugnatum à Cæsare viderent, malitiose deditionem promittentes, nocte in nil minus opinantes Romanos, omnibus viribus erumpunt. Sed magna cum cæde pulsi, reiectique, refractis Portis cum se nemo defenderet, Romani permittente Cæsare Oppidum diripuêre, venditis sub hasta, quinquaginta tribus hominum millibus. Nouam enim, adeoque nunquam inter Gallos auditam perfidiam, grauius Cesar puniendam censebat, ne simile alij aliquando sibi tentandum putarent Galli. Fuisse *Aduaticos* Eburonum quoque vicinos, eosque aliquando subegisse, ac ad tributū pendendū,
„ obsidesque dandos coëgisse Cæsar lib.5. bel.gal.his verbis significat, inducens
„ loquentem Ambiorigem alteræ partis Eburonum Regem, hoc modo: Sese pro
„ Cæsaris in se beneficijs, plurimum confiteri ei debere, quod eius opera stipen-
„ dio liberatus esset, quod Aduaticis finitimis suis pendêre consueuisset, quod-
„ que ei filius & fratris filius, abs Cæsare remissi essent, quos Aduatici obsidum numero missos apud se in seruitute & cathenis tenuissent. Quibus è verbis cum clarè constet Aduaticos inter Neruios & Eburones consedisse non est dubitandum quin ab Oriente habuerint Eburones & Treueros: ab occidente & meridie Neruios: A Septentrione Menapios, possederintque eum tractum vbi nunc est Gallica Brabantia cum vicina Hannoniæ, Hasbaniæ, ac Comitatus Namurcensis parte idque ad vtramque Sabis fluuij partem, nec eos trahi posse è Cæsaris verbis ad Buscoducenses, nec Antwerpienses, multo vero minus ad Duacenses. Plura de Aduaticis apud Cæsarem non habemus, quàm quod post hanc Ciuitatis eorum sectionem, hominumque venditionem, postea semel, atque iterum, cum Neruijs, & Menapijs (vt scribit Cæsar initio lib.6. bel.

bel.gal.(contra Romanos arma sumpserint. Quare non est dubium, nil meliorem fuisse Aduaticorum, quam fuerint Neruiorum, Menapiorum, Morinorũ, Eburonũ, eorumq; vicinorum fortunã & finis. Apud Tacitum nil de Aduaticis reperio. Bethasiorum mentionem nuspiam Cæsar facit, sed Tacitus li.20. duobus locis eos pro Romanis arma sumpsisse, tertio cum Neruijs defecisse narrat, agens de Batauorum rebellione. Vnde constat Bethasios, quemadmodum & Tungros, compluresque alios Ciuitates, & Pagos, Cæsaris ætate fuisse humiles, inopes, potentiorumque clientes subditos, aut tributarios, sed qui emergere, ac clarescere cœpêre, potentioribus clarioribusq; Populis, post varias bellorum contentiones, temporisque conuersiones in ordinem redactis, ac magna agrorum parte multatis, eorumque clientibus, subditis, ac tributarijs, in libertatem restitutis. Nam vt Physici aiunt: Corruptio vnius est generatio alterius, idemq; omnibus Regnis, Rebuspublicis, Ciuitatisbusq; indies vsuuenire videmus. Inter hos fuisse Bethasios, Neruiorum, vt è Tacito constat vicinos, & fortè etiam Cæsaris tempore subditos vt mihi pro certo persuadeo, alijs tamen relinquens suas coniecturas, existimoque cum Diuæo, Bethasiorũ fuisse Sedes in finibus Ditionis Leodiensis & Brabãtię, vbi olim Neruiorũ, Tungrorumque fuêre limites, inter quos eos cõsedisse iudicare videtur Tacitus vbi hodie visuntur oppida *Leeu*, *Halen*, horumque vicini, è quibus Pagi *Beets*, *Bees*, *Bosch* aliquid naribus nostris de veteribus Bethasiis odorandum relinquunt. Nulla enim se ratione fundant, qui eos collocant in ea Geldriæ parte quæ hodie dicitur: *Betouvve*: qui hæc Regio veteris pro certo Batauiæ, non Bethasiorum sit pars vnde & nomen sibi sumpsisse videntur. Sonat enim Bothaes, quasi dicas, *Beter-aes*, hoc est melior annona omniumq; rerum vitæ humanæ necessariarũ cõparatio ac Adeptio. Ambiuaritos & Ambibaretos diuersos fuisse Populos è Cęsare cõstat. In fine enim lib.7.bel.gel. Ambibaretos nominans, dubiũ est an eos inter Celtas, an inter Belgas numeret. In hũc enim modũ scribit: T.Labienũ cum duabus legionibus & equitatu in Sequanos proficisci iubet. Huic M. Semproniũ Rutiliũ coniungit C. Fabiũ, & L.Munitiũ Basiliũ cum duabus legionibus in Ruthenos collocat, nè quã à finitimis Bellouacis calamitatẽ accipiant, C.Antistinũ Reginũ in Ambibaretes, C.Sextiũ in Bituriges, C.Caniniũ Rebiliũ in Ruthenos cũ singulis Legionibus mittit. Quibus ex verbis colligi nõ potest inter Celtas ne an iter Belgas Ambibareti sint numerãdi nec etiã ex alijs locis, cum nuspiã amplius apud Cęsarẽ eorum fiat mẽtio. Hoc tamẽ dicto è loco colligimus non omnino humilẽ fuisse Populũ, nec Ciuitatẽ, quæ integræ legionis præsidio, vt in officio cõtineretur egebat, coniecturaq; est valde verisimilis fuisse Celtas, quod eorũ Cęsar, inter horũ Populos meminerit. Neq; enim suspicandum est mendũ hoc Cæsaris esse loco, legendumque pro Ambibaretis Ambiuaritis. Loci enim distantia exigit vt diuersos fuisse Populos admittamus. Ambibareti enim Rhemis, Bellouacis, ac Ambianis Belgis finitimi fuisse videntur. Quare si mendum hic est admittendum pro Ambibaretis, Ambianis potius

Bethasij qui.

Ambiuariti.

Ambibareti qui.

potius legendum quam Ambiuaritis existimarem, vt locorum ratio constaret. Cæsar enim Celtas qui elapsa æstate grauissime rebellarant, dictis hibernorum præsidijs continendos in officio, frenandosq; iudicabat. Ambiuariti verò procul Rhemis, Bellouacis, ac Ambianis dissiti, in medio ferme Inferiorum Belgarum habitantes, Neruiorum, Menapiorum, ac Aduaticorum erant vicini, testis Cœsar lib.4.bell gall. in hunc modum scribens : Cognouerat enim magnam partem equitatus, ab ijs, aliquot diebus ante prædandi, frumentandique causa, ad Ambiuaritos trans Mosam missum, hos expectari equites. Quę verba aperte indicant Ambiuaritos procul à Rheno, trans Mosam, interque eam ac Scaldim Sedes habuisse. Cum enim ex dictis verbis aperte constet Vsipetes ac Tenchteros Germanos (in quibus tum Cæsari bellum erat, quosque equitatū in Ambiuaritos, trans Mosam prædandi causa misisse dicit) intra Rhenum ac Mosam castra habuisse, non mirum est Cæsarem qui cum Romano exercitu ad eos peruenerat Ambiuaritos nominasse Transmosanos. Id enim faciebat intuitu situs hostilium, suorumque castrorum, reuera enim Ambiuariti cæteris Belgis Cismosani, ac Trans-scaldani erant, inter hæc duo flumina habitantes, ac proinde cum ijs sentio, qui olim eorum fuisse agros asseuerant, vbi hodie habitant Buscoducenses, Bredaënses, Bergij ad Scaldim, Rosendalij, Hoohstratij, Tournoutij, Antwerpiani, horumque Clientes ac vicini. Certe cum ex historijs martyrum christianorum constet Andowerpos non minus Populū aut Pagum, quam oppidum olim significasse, cognitosq; fuisse abhinc mille ferme annos, non immerito Diuæus dubitat, an ex Ambiuaretis, temporis lapsu factum sit, Ampvarten, ac Antverpten. Asserit enim Andoverporum Gentem ante annos mille & centum Francorum Chronographis cognitam fuisse. Ridiculum enim ac fabulosum est quod Ciues Antverpiani, per manus sibi aliquandiu traditū, hodie exteris pro re certa narrant, habitasse olim hac Oppido (nunc re vera Vrbs amplissima ac splendidissima) Virum inmanis vastæq; magnitudinis, qui ciues exterosque omnes eo venientes graui premebat seruitute, obedireq; recusantes, dextera truncabat, hinc Oppidum primo dictum: *HantVVerpen* : (quod manus abiectionem Belgis sonat) asserunt. Sed facessant fabulæ. Antiquos esse Antwerpios ex eo etiam constat quod sub initium Imperij Germanici, constitutis eius limitibus Antwerpiorū Ditio Imperij Prouincia sit facta, Oppidoq; Ditionis relicta appellatione, Regioni (qua de causa ignoro) Merchionatus Rhiensis donarunt titulum (nisi velis mansisse ab Ambivaritis, tribus prioribus reiectis syllabis) Marcgrauiumque ei præesse voluerunt, qui etiam, hodie apud eos non sine fastu Dignitas exigua tamen cum potestate conspicitur. Certe Imperatorem patrocinio Ducum Brabantiæ Andowerpij, vsque ad tempora Anthonij Burgundi Brabantiæ Ducis agnouere cuius pater Philippus Audax Burgundiæ Dux, vt dictum filium Anthonium successorem magnæ materteræ Ioannæ agnoscerent, scriptumque illi dicerent, obtenta potestate Andowerpiam Brabantiæ coniunxit. quartumque eius membrū esse iussit.

Deducit Becanus Ambiuaritos ab: *Ambt-by-vaert-rien*, id est, officium curandarum nauigabilium Canalium. *Ampt* enim est officium: *by* prope, iuxta, *Vaeren* nauigare, *Rijen* & *Reien*, Canales ac fossæ nauigabiles manu factæ. Hęc de Ambiuaritis dicta sufficiant. Si cui placet etymon Ioannis Goropij Becani Viri doctissimi, qui Andowerpen, dictum, compositúmq; vult, é duobus Belgicis vocabulis, hoc modo elatis: *Andevverue*: per me illi licet. Neque enim obstat ex hac compositione à Romanis Cæsareque non intellecta factum Ambiuariti. Quid vero significet *Andevverue*, illi sciunt, qui Germanicam Belgicã linguã intelligũt, aut dictum Becanũ legere velint. *Ande* enim hic sonat prępositionem: *Ad*: *VVerue*, significat vacua loca inter flumen ac Oppidorum muros extructa, silicibusque strata vt aduenientes admittant naues eorumque onera excipiant, ac ad Oppidum onerarijs plaustris, aut Baiulorum humeris transmittant. Nunc ad eos pergamus Belgas, qui olim, & hodie, vtramque Rheni Ripam habitarunt.

De Batauis, Caninefatibus, Marsacis aut Marsis, Mattiacis Cauchis, horumque Socijs.

CAPVT DVODECIMVM.

Batavi qui.

BAtauos Cæsaris tempore intra pijramidalem habitasse Insulam, quam Rhenus, VVahalis, ac Mosa efficiunt, notius est, quam vt multis scriptorum testimonijs egeat. Verum cum nostra ætate Rhenus, alijs atque alijs excauatis alueis, quibus diuersa sunt indita nomina, per eos aquas suas in Oceanum euoluat, inquirendũ nobis est quorum alueorum complexus olim Batauorum fecerit Insulam Romanis scriptoribus post Iulij Cæsaris tempora celebratissimam. Rhenus igitur teste Cæsare lib. 4. bel. „ gal. ex Lepontijs qui Alpes incolũt oritur, hoc est inter fines Ciuitatis Curien„ sis, & Tridentinæ, non longè à Fontibus Danubij Italiæ propinquis, perque fines Constantiensium, Heluetiorum nunc Suitzerorum, Basiliensium, Argentinensium, Spirensium, VVormatiensium, Moguntinorum, Confluentium, Bonnensium, Coloniensium, Nucianorum, Ordinganorũ, Berckensium, Sanctorum ad gallicam ripam omnia sita Oppida, paulo infra Emmericũ ac Cleuam Oppida ad Arcem Lobecanam vbi nunc est portorium Ducis Cliuiæ, in duo se diuidit brachia seu Alueos, quorum vnus qui ad Oceanũ tendenti sinistrum latus seu gallicam ripam obtinet, VVahalis est, sic olim & hodie appellatus, accolis verò: *Die vvael*, dictus, habetque in gallica ripa præclaram Ciuitatẽ Neomagum, infra quàm ad quartam milliare Mosę se iungens, ac mox iterum ab eo se separans, denuoque ad Arcem Louvvesteiniam coniungens, Insulam efficit Bommelanam, alluensque à dextera ripa, seu ad germanicum littus Oppidum Tiletum, prope Gorinchemum, primùm ab ea parte Hollandiæ oppi-

dum Mosa, VVahalis, & Linga vno alueo recepti, aquas commiscent, Meruæque nomen accipiunt, Dordrecumque ac Roterodamum tendentes, hic Mosæ appellationem recipiunt, ac in mare mox Oceanum, ad Oppidum Brilanum, vastissimo ostio communes aquas exonerant. Alter Alueus Rheni nomen seruans, ab Arce Lobecana, in dextrum latus, ad germanicam ripam tendēs, habet Oppidum Arnhemum Taciti Arenacum: VVareningam eiusdem vadam: Rhenam, eius Grinnes vt quidam volunt: Vuicam, olim Vicum Durostadiorum, ac Batauodurum dictum, deinde perlabens Vrbem Vltraiectensem, habet VVordam, Castra alfena, Castrum Romęburgum, oppidum Leidam, arcem Rhijnburgicam vbi inter Catwicum & Nortwicum, eo loci quo aliquando stetit Arx Britannica, seu Armamentarium Romanum, versus occidentē & Septentrionem in Oceanum olim influebat. Quicquid autem terrarum, Insularumque his duobus nominatus Rheni alueis, iuxta Emmericum, Cleuam, ac arcē Lobecanam se separantibus vsque ad oceanum continebatur Cæsaris tempore Batauorum erant Sedes, veraq; Insula, quam is lib. 4. bel. gal. his verbis describit: Mosa profluit è monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Wahalis, Insulam efficit Batauorum, neq; longius ab eo millibus passuum octoginta in Rhenum (alijs in Oceanum) transit. De Gente autem Batauorum cum Cæsar nil dicat, neque vspiam sibi cum ijs, aut bellum fuisse, aut fœdus fecisse commemoret, audiamus Tacitum lib. 20. in hunc modum scribentem: Bataui donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, seditione domestica pulsi extrema Galliæ ora cultoribus vacua, simulque Insulam inter Vada sitam occupauêre, quam mare Oceanum à fronte (hoc est ab occidente & septentrione) Rhenus amnis tergum ac latera circunluit (hoc est meridiem & orientem) nec opibus Romanis, societate validiorum attriti, Viros tantum, armaque Imperio ministrant, diu germanicis bellis exerciti. Idem fine lib. 21. ita scribit: Respicerent Rhætos, Noricosque, & cæterorum onera sociorum, sibi non tributa, sed Iuuentutem, & Viros indici, proximum id libertati. Et in libello de moribus germ. hæc scribit: Omnium harum Gentium virtute præcipui Bataui, non multum ex Ripa (intellige Trans-Rhenana, ergo & ibi olim Bataui non minus aliquid, quàm nunc possedêre) sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam Populus, seditione domestica) in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperij fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne. Nam nec tributis conteruntur, nec Publicanus atterit, exēpti oneribus, & Collationibus, & tantum in vsum prœliorum sepositi, velut tela, atque arma, bellis reseruantur. Prior Rheni alueus quem wahalim vocari diximus, coniunctus Mosæ, versus occidentem, Septentrionemq; in Oceanum labitur, vocareq; id Plinius ostiū Hælium videtur: Alterum vero Alueū, quem Rheni nomen seruasse (vt etiamnum hodie facit) ac paulo supra Vrbem Leidam in Oceanū se exonerasse demonstrauimus, an eius finem Fleui, ostium Plinius vocet, an vero illū alueum

qui

qui versus septentrionẽ ab Vltraiecto sub Vehtę nomine fluens, Mudę Oppido in sinum nunc meridionale vocatum incurrit, dubito. Certũ enim est è dictis Taciti verbis, ac quæ mox adferemus ex Plinio, ante Sacri Nemoris à marina inundatione, vastationẽ, quod maximã dicti Sinus partẽ olim occupabat) nominatũ Amnem Vehtam, Rheni quoque tunc alueum non exiguũ extitisse, & quod nunc non facit, aquarũ eius partem versus oceanũ in Lacus propinquos euomuisse, quod Plinius lib. 4. Nat. hist. cap. 15. his verbis, Tacito apertius, & clarius indicat. In Rheno ipso prope centum millia passuum in longitudinem nobilissima Batauorum Insula, & Caninefatum (alia exemplaria habent Cannenifatum) & aliæ Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturionum, Marsacorum (alijs Marsatiorum) quę sternuntur inter Hęlium & Fleuum. Ita appellantur ostia in quæ effusus Rhenus ab Septentrione in Lacus, ab occidente in Amnem Mosam se spargit, medio inter hæc ore, modicum nomini suo custodiens alueum. Ad Fleuum vero Ostium olim Romanos contra Frisiorũ rebelliones, Castellum nomine Fleuum condidisse author est Tacitus, lib. 4 ita scribens: Olennius infensos fuga præuenit, receptus Castello cui nomen Fleuum, & haud spernanda illic Ciuium, sociorumq; manus, littora oceani pręsidebat. Quibus è verbis clare apparet Fleuum Castellum munitũ fuisse ac amplũ, sed ab Oceano diu haustum, stetisseque existimo, ad Insulam hodie dictam *Flielant*. Dicta Plinij verba à Tacito comprobãtur lib. 2. quanquam Hælij ac Fleui nullam faciat mentionẽ, idque his verbis: Nam Rhenus vno alueo continuus, aut modicas Insulas circumueniens, apud principiũ Agri Bataui (hoc est, ad Arcẽ Lobecanã) veluti in duos amnes diuiditur, seruatque nomen & violentiã cursus quam germaniam (hoc est, Oppidũ Arnhenium) pręuehitur, donec Oceano misceatur. Ad gallicam ripã latior & placidior adfluens (nimirũ ad Neomagũ) verso cognomento Vahalẽ accolæ dicũt, mox id quoq; vocabulũ mutat Mosa flumine, eiusq; immenso ore, eundem in oceanũ effunditur. Vide quã egregie Cæsar, Tacitus & Plinius, inter se de prima Rheni diuisione, & Insulę Batauię vero situ conueniant. Sed hunc modicum cuius Plinius mentionẽ facit Rheni alueum, quidam esse volunt eum, qui ab Vltraiecto per Wordam ac Leidam Hollandiæ nunc oppida, olim Catvvuici (hoc est Cattorũ Vicus) in Oceanum defluebat: Negant alij asserentes hunc præcipuũ semper Rheni fuisse alueũ, ad ostij eius obstructionem, idque etiamnũ docere, eius amplitudinẽ, stagnantes quamuis tantum aquas nunc continentem. Testari & id Arcem Cattorum, ad defendendũ Rheni ostiũ extructã, posterisque tẽporibus à Romanis restitutã, ampliorem q; factã, constitutumq; in ea Armamentariũ & Portoriũ. Testari idẽ relliquias, duarum aliarũ Arcium, à Romanis ædificatarum, nomina etiam sua hodie, iuxta oppidũ Leidam seruantia, quamuis in fœminarũ monasteria sint conuersa, hoc: Ramburch: illud, Rhijnburch, dictum, multaque alia ad hunc alueum vetustatis vestigia ac monumenta, vt in Vico Alfeno, qui à Præfecto Romano nomine Alfeno, ibi cum legione ad Rhenũ hibernante nomẽ inuenit,

& alijs non paucis locis, è quibus adhuc indies tam vetera Romana nummismata, quàm pocula, sepulturęque, è terra eruuntur. Alij enim esse contendunt, hunc modicum Plinij alueum (quibus ego assentior) qui nunc Leccę nomine, aquarum Rheni tertiam partem, vt mox dicemus trahit, ac præterlabens oppida Vianam, Schoonhouium, ac Gaudam, ad Vicum Crimpen, Mosæ, VVahalisque aquis coniunctus, vno gurgite per Hęlij ostium in oceanum ad oppidū Brilam euoluitur. At qui Vehtæ aluei finem Rheni ostium, quod olim Fleuum appellabant, constituunt, iuuant se Plinij verbis, dicentis ab Septentrione in Lacus Rhenum fluere qui iuxta Leidam oppidum olim (vt nunc sunt) nō fuêre, nec adhuc hodie ad veterem eius alueum nomen seruantem visuntur, nec extitisse demonstrari possunt, qui Rheni aquas potuissent absorbere, antequā in oceanum deuoluerentur. Nam Palus Leidanus, illique vicini stagni, olim tales non fuêre & longiùs à veteri Catvvicano ostio absunt, ad cuius arenosos Colles & Vehtæ alueum defendunt sententiam, Insula oceano obiecta, hodie *Fliet*, appellata, ad quam Insulam, Rheni alueum nunc Vehtam appellatum aquas suas in Oceanum, cum dictarum Lacuum aquis egurgitasse, ideoque ibi veteris Ostij nomen restare affirmant. Quid enim inquiunt differunt *Fleuum*, ac *Fliet*, aut *Vliet*? Hælij verò ostij nominis vestigium extare hodie vix arbitror, nisi Vicum *Heide*, haud procul Oppido Sgrauezanda, ad Mosæ, VVahalisque ostium situm fuisse id asserere velimus. Verum omnis nostra difficultas in eo versatur, vt statuamus veteris Batauiæ, Sociorumque eorum, Sedes ac limites. Nam quum inter Rheni se ad Lobecam in duos alueos separantis, ac diuersis itineribus, ostijsque se in Oceanum exonerantis complexum Insulam Batauorum, Tacitus, Pliniusque constituere videantur, Cæsar vero lib. 4. bel. gal. (vt paulo supra eius recitauimus verba) multo angustiorem Batauorum Insulam, facere videatur, dicendum apparet tempore Cęsaris, Batauos consedisse, inter interiores Rheni alueos (quatuor enim reperiuntur, post eius ad Lobecam diuortium ac sectionem, qui Cæsaris tempore Romanis, non perinde fuêre cogniti) huic eius ætate contra Romanos arma non mouisse, sed sensim etiam ad exteriores Rheni alueos, Fleuique ostium, fines promouisse, transgressos quoque esse Hęlij ostij limitem. Neque enim à Batauorum amicitia defecisse vnquam Caninefates, Marsaci, ac Mattiaci leguntur. Batauorum igitur Insula, quę Cęsaris ætate pijramidis figuram præseferebat ab Hælij, ad Fleuij vsque ostium Taciti ac Plinij tempora producta, verè triquitra fuit cuius Basis oceani littora intra Hælium, Fleuumque ostium comprehensa constituant: Conus verò seu apex, fluminis Rheni prima ad Lobecam scissio, aquarumque eius in diuersos alueos abeuntium, voluntaria inter se, naturalisque secessio. Amplissimam igitur fuisse horum temporum, Batauorum Insulam necesse est, & non frustra à Plinio nobilissimam appellatam, multoque quàm nunc est Hollandiæ Comitatus maiorem, quum ad Arcem Lubecanam vsque omnia quæ Rheni ac VVahalis alueis continerentur comprehen-

prehenderit, vbi & hodie veteris Batauici nominis reſtare veſtigium videmus, peninſula illa ab incolis: *Die Betouvve*: dicta. Si enim ad oceanum, Bataui æ Inſulę limites hinc Catvvicano ad oppidum Leidam, inde Brielano Rheni oſtio, ad Brilam oppidum circumſcripti fuiſſent, exiguam ſanè Inſulam, in longum ſatis porrectan, ac latitudine carentem, Bataui habitaſſent. Quare dubitandum non eſt aut Cæſaris tempore Batauos limites, ſuos nondum ad Fleui oſtium promouiſſe, aut Cęſari eorum fines, non ſatis fuiſse notos, quod tamen de Viro oculatiſsimo, ac in appetendis rebus ignotis flagrantiſſimo, mihi perſuadere non poſſum, ac proinde magis credo, dicto Cęſaris loco, librariorum inertia mendum eſſe. Quid enim ſibi vult, quum ita ſcribit: Et parte quadam Rheni recepta, quę appellatur Vahalis, Inſulam efficit Batauorum. Moſa enim ac VVahalis, Inſulam tantum efficiunt exiguam hodie lingua vernacula *Bommellevvaert* appellatam, vnius Oppiduli Bommelij ac vix viginti Vicorum capacem, quàm nemo ſanę mentis, antiquis ſolam attribuerit Batauis. Deinde ſequitur: Neque longiùs ab eo paſſuum millibus octoginta in Rhenum tranſit. Neſcio quem ſenſum hęc verba habere debeant, etiamſi pronomen, *EO*, ad Moſam, aut VVahalim referas. Scio quoſdam legere, non in Rhenum, ſed in oceanum tranſit, quę lectio multo certior, ac verior eſt. Sed necdum locus, nec ſenſus ſatis ſibi conſtant. At è dictis Cęſaris verbis, quę mox eodem loco ſubſequuntur, diſcere poſsumus Rhenus eius tempore, plus quam duobus in Oceanum ſe exoneraſse alueis. In hunc enim modum dicto ſcribit libro: Rhenus autem oritur è Lepontijs qui Alpes incolunt, & longo ſpatio per fines Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Triboccorum, Treuerorum, citatus fertur, & vbi oceano appropinquauit, in plures diffluit partes, multis, ingentibuſque Inſulis effectis, quarum pars magna à feris, barbariſque nationibus incolitur, ex quibus ſunt qui piſcibus, & ouis auium, viuere exiſtimantur, multiſque capitibus in Oceanum influit. Capita hic vocat, quę ſupra, Partes, nominauit, alij Ora, ac Oſtia appellant. Certè ex ſuperioribus Taciti verbis clarè conſtat, Batauos eam inter vada occupaſse Inſulam, quam mare oceanum à fronte, Rhenus Amnis à tergo, & lateribus circumluit. A ſectione igitur Rheni prima paulo infra Lobecam, non vbi Moſa VVahalim recipit, initium Batauię eſt ſtatuendum, niſi partem tantum Inſulę Batauos habitaſſe (quod abſurdum eſt) aſſeuerare velimus. Non enim Bataui vnica Inſula inter vada reperta contenti fuère, ſed etiam extrema Gallię ora, cultoribus vacua, teſte Tacito, occupauère. Idem in libello de morib. Germ. ait his verbis: Bataui nō multum è Ripa, ſed Inſulam Rheni amnis colunt. Si non multum in Ripa Tranſ-Rhenana poſſederunt, certè aliquid igitur obtinuerunt. Non igitur tam anguſti Batauorum fuère limites, vt quidam exiſtimant, non ſolùm intra interiores Rheni ſe continuère alueos, ſed omnes inuaſere, ac inſedere. Rhenus igitur cum ſe infra Lobecam ſcindere incipit, duobus hinc magnis

fluit alueis: Vni Vahalis ad Gallicam : Alteri Rhenus, qui germanicam lambit ripam nomen est. VVahalis ad initium Iusulæ Bommelianæ Mosæ aquis suas inugens, communi Ostio Hælio, in Oceanum cadit: Rhenus ad VVicam Durostadiorum, aut Durocordiorum, iterũ in duo brachia scissus, eum alueum qui maximam aquarum partem aufert Rheni nomine in Leccam vt permutarent Batauis permisit, ac ad Vicum, vt diximus Crimpen, Mosæ, VVahalisque alueo coniunctus, comunes aquas per Hælij Ostium in Mare exonerat. Aliud Brachium paulo supra dictam VVicam è Rheno exiens recta Vltraiectũ tendit, solumque ex omnibis alueis Rheni nomen seruat, iterũque hic in duo diuersis scissus alueis stagnantes tantũ aquas hodie continentibus quod Rheni nomen seruat, Vltraiecto Leidam indeq; Catwici obstructo veteri Ostio in paludes se perdit: alter qui Vehtæ cognomine delectatur Vltraiecto Mudam contendens, indeque in Lacus Sinus Meridionalis se immergens per Fleui Ostium in Oceanum decurrit. Atque ita quatuor insignioribus alueis, Rhenus ad Mare, Cæsaris tempore contendebat, quorum hodie hæc sunt nomina: Rhenus, VVahalis, Lecca, ac Vehta, quæ vernacula hodie Batauorum seu Hollandorum lingua, ita efferuntur: *Den Rhijn*, ac *Rhein*: *Die VVael*, ac *VVale*: *Die Lec*: *Die Veht*. Accessit tempore Augusti Cæsaris, quintus Rheno Alueus, per flumen Isalam deriuatus, qui in Trans-Rhenana Germania ortus, à Druso Cæsaris Augusti priuigno, noua excauata inter vtrumque Amnem fossa, Rheno fuit coniunctus, quæ exinde fossa Drusiana est appellata. Rhenus verò tam liberaliter aquas suas Isalæ communicauit, vt is Alueum suum ampliorẽ facere coactus hodie de celeritate cum VVahali, Lecca, Mosa, ac ipso certet Rheno. Fossa autẽ Drusiana, Rheni aquis superbiens ab Oppido Huessen, Dousburgũ vsq; (hoc est, Drusiburgũ) decurrit, vbi inuenta veteri Trans-Rhenana Isala, tertiam ei Rhenanarũ aquarũ partem, ad Oceanũ deferendam tradit. Isala verò seruato antiquo Salæ nomine, eique euphoniæ gratia: I: Vocali præposita, commissas sibi à Rheno aquas leni itinere Bronchorstium, Zutfaniam, Dauentriam, Hattemium, indeque Campas defert, ac in Sinum Meridionalem (quem Plinius Lacus Septentrionales vocat) spargit, rectaque ad Fleui Ostij Insulam contendens communes aquas in Oceani Germanici insatiabilem gurgitem euomit. Inuenta veterum Batauia, demonstratis, descriptisque Rheni hodie quinque alueis, scire lectorem oportet, ex his hodie quatuor tantum aquas eius ad mare Oceanũ deferre idque duobus veteribus ijsdẽ Ostijs Hælio, ac Fleuo. In Hælium ad Oppidũ Brilam (hic enim vere statuendum est Hælij Ostium) influunt aquæ Rhenanæ, quas VVahalis, Lecca, ac Isala Cis-Rhenanus, Mosæ commixti, præterlabentesque Dordracũ, Roterodamũ, ac Sciedamum, in Oceanum deferunt. Isala autem Cis-Rhenanus ad Oppidum Vianam (olim Dianæ fanum) è Lecca (veterum Rhenus) leniter fluens, petit Oppidulum Iselsteinium à se denominatum, Oudewateram, Gaudam, indeque ad Vicum Crimpanum, VVahalis, Mosæ, ac Leccæ coniunctus,

iunctus, ad Brilam per Hælium Ostium, vno alueo Oceano inmergitur. Quartus est Alueus Isala Transf-Rhenanus, qui ex Rheno Campas vsque, vt diximus, fluens tertiam aquarum eius partem, Sinui Meridionali inuectam, ad Fleui ostium nunc *Flielant* dictum, in mare exonerat. Cæteri duo aluei è Rheno in Vrbe Vltraiectina, olim nascebantur. Ibi enim iterum, in duas diffluebat Rhenus partes, diuersisque Vijs ac Ostijs in Oceanum influebat. Pars vna Vehta dicta, rectaq; Mudam Oppidum petens in Lacus Septentrionales, nunc Sinum Meridionalem, versus Fleuum Ostium olim in Oceanum cadebat: Altera pars seruato Rheni nomine (& merito quidem quum hic rectus olim fuerit, à prima ad Lobecam sectione, ad Oceanum vsque Rheni Alueus, maximā aquarum eius partem deferre solitus, ac cuius leuandi causa, Drusus excauata fossa, Isalæ Transf-Rhenanæ, quarū eius partem communicauit, ex quo etiam Alueo Vehta nascitur) Leidam Hollandiæ Oppidum contendens, Ostio Catwicano, Oceanū petere solebat. Id autem ab aliquot sæculis, naturæ opera est obturatum. Hodie vterque alueus stagnantes tantum habet aquas quemadmodum & ille qui haud procul Leida ad Arcem Zilanam ad sinum pergit meridionalem, & olim Rheni quoque aquarum partem detulisse quidam volunt, tectis tamen onerarijs, homines, mercesque deferunt, ac insigni piscatione, vtilitatem, commoditatemque non vulgarem accolis præbent. Comprehendit igitur olim mea sententia Insula Batauia quicquid à prima Rheni ad Arcem Lobecanam sectione hinc Wahalis alueo, Hælij ad Occidentem Ostio inde Rheni per Vehtam decurrentis fundo ad Fleui vsque Ostium versus Septentrionem terrarum includitur, nimirum vniuersam Betouwam, Insulam Bommelanam, Ditionem Vltraiectinam intra Vehtam ac Oceanū cōprehensam, vniuersam Hollandiam, quæ Brila, Flielandio, indeque tracta ad Vehtam vsq; recta linea includitur. Reliqua enim Hollandia, ante Fossę Drusianę ductionē cū Transf-Rhenanis Frisijs, eorumq; vicinis cōnumerabatur. Quæ præterea de Rheno dici deberent ac possent quære infra libro secundo cap. 22. vbi plura de cæteris Rheni membris adferuntur. Hæc nunc de Batauia, Rheni sectione, ac Ostijs sufficiant. Scio me hoc capite non semel Lector, rem eandem repętijsse, idque condonabis. Studio enim duas feci ob causas. Primo quod viderem omnes nostri sæculi exteros qui de his rebus scripsēre, rem non plane cognitam perspectamque cum explicare conarentur, insigniter implicasse, sibique ac Lectoribus tenebras offudisse: Deinde quo Adolescentibus Belgis, hæc vti ego non semel feci, oculis perlustrantibus, vt rem melius, clariusque intelligerent, repetitis verbis, aut sensu, quid vellem apertius declararem. Singularis enim, rei descriptio naratioque non raro Lectori diuersam inijcit sententiæ, sensus, ac intellectuum opinionem ab authoris mente aliquando alienam. At Res subinde repetita, hūc tollit, scrupulū. Dicūtur verò Batauj à *Baet-Auen*, id est, Vtilis Portus, vnde & nomen habet Patauia, idemque Germanis sonat. *Baet* enim, seu *Paet*, significat vtilitatem, commoditatem, ac oportunitatem.

tatem. *Auen-Flandris, Hauen* cæteris Belgis, Portum nauium stationi aptum. *Caninefatum* Sedes, ac fines vbi olim fuerint, inter doctos hodie controuersia est non exigua. Adrianus enim Iunius Popularis meus libro de Batauia cap. 3. eos collocat Harlemum inter ac Leidam clara nunc Hollandiæ Oppida Ditione hodie dicta à fluuio *kinheim, kinheymerlant*, ac vulgo corrupte *kennemerlant*. Alij (inter quos est Petrus Diuæus) id ex Tacito refutare conantur, kenemerlandos, non à veteribus Caninefatibus (quos citeriorem, ducto è Tacito argumento, non vlteriorem Batauorum Insulæ partem habitasse vult) sed à fluuio qui eorum vernacula lingua *kinheym* dicitur, ac proinde potius enuntiandum censet *kinheymerlanders*, quam *kennemerlanders*, qui fluuius non in anteriore Batauiæ parte, sed in posteriore supra Harlemum, iuxta Oppidum Alcmariam, quam & hodie alluit fluere cognoscitur quo loco Accolæ kinheimianæ, habitare conspiciunur. Tacitus vero lib. 20. aperte scribit Cl. Labeonem batauum, Cl. Ciuilis æmulum, eius metu apud Batauos nil ausum, tumultuaria Neruiorum, Tungrorum, ac Bethasiorum manu Caninefates ac Marsacos infœstasse. Neruios autem, Tungros, ac Bethasios eo tempore partes Flandriæ, Brabanticæ, ac Leodij tenuisse, supra docuimus. Quare Tabulam Topographicam inspicienti, liquido apparet, necesse fuisse Cl. Labeonē cum collectitijs harum nationū copijs, magna audacia, ne dicam temeritate, traiecisse Mosam, Lingam, Leccam, Rhenum, tum præcipuam Batauiæ latitudinem, ferocioresq; eius Populos, esse emensum, antequam ad Iunij nostri Caninefates ac Marsacos peruenire potuerit, eorumq; depopulatis agris Vicisque, oneratum præda, tantum itineris, at tot Amnes impune, nullo accepto incommodo, iterum confecisse necesse est. Quid? an non hæc ostenta, portentaque Regionis ignaro, merito videbuntur? Profecto non possum rationibus omnibus mecū recte perpensis ac examinatis, à Diuæi sententia omnino discedere, quanquam eum Iunius noster, suo more insigniter proscindat, obiurget, ac non sine conuitio reprehendat, quod sæpe eum & contra alios facere doleo. Reddit Iunius incursionem Cl. Labeonis factu facilem. Accedere illi possem, si eo tempore Batavi molles, ac pro maiori parte imbelles fuissent. Sed cum ipsa tum tēporis apud Batauos omnes viguerit ferocia non tam impune Cl. Labeonē cum collectitijs copijs venire & abire permisissent. Mouere aliquos posset quod Iunius adfert de Caninefatū etymo valde verisimili & mihi probabili, dicens dictos Caninefates, quasi *Conijnenfretters*, hoc est, Cuniculorū comestores, quod Agri, Campi, ac Colles, inter Leidem, & Harlemum etiam hodie siti, supra alias Batauiæ Regiones, horum animalium copia abundent. Sed hodiernus Hollandię, viciniæque eius situs, toto cœlo, ab antiqua, multis locis discrepat Batauia. Migrarunt cum hominibus illa animalia sæpissime interea temporis, vt adhuc quotidie faciunt, coäcta maris, fluminunque inundationibus, ita vt vbi hodie nulla, impedientibus aquis visuntur, olim ibi plena fuerint: Vbi nunc agri his scatent, olim fuerint nulla. Sed maior (inquit Iunius) Caninefatum pars, domo,

Caninefates qui.

mo, Duce brunone erat profecta, ad Cl. Ciuilis castra, ac proinde facilior, tutiorque Cl. Labeoni inuasio. Sit ita: An non erant adeo rerum imperiti Bataui, ac Caninefates, quin domi relinquerent, sufficientẽ iuuentutem, defendendo imbelli sexui, & ad tutandum fines, remque familiarem, saltem contra fortuitos hostium incursus, ac subitaneas recens collecti militis inuasiones, ad quos propulsandos, non opus erat datis nominibus, cogere ad signa milites, sed tantum subitario Colonum concursu. Omnes enim eo tẽpore erant milites, semper domi arma parata stabant, quisque sibi tali necessitate Dux, Rectorque erat, pro Aris, ac focis pugnantes stipendia nulla, sed tantũ à latronibus ac prædonibus vindictã requirebant. Igitur Caninefates, ac Marsaci (si non potius legendum sit *maetsaci*, à *maet* quod sociũ: ac *zaet*, quod inter alia causam ac partem significat, vt sit *maet sace*, quasi vnius causæ, partis, ac factionis Socij) ad Insulæ Batauiæ aliquod latus videntur statuendi. Id olim si eo loci fuerit, vbi nũc inter Gorinchemũ, & Dordracum, omnia aquarũ inundatione obruta videmus, aut trans Mosam, VVahalumque, inter Dordracũ, eamque Zelandiæ partem, quę hodie vocatur Duuelandia, ac Scouuina (si non huc vsq; Morini, olim rerum sint potiti) aut alijs nunc Hollandiæ propinquioribus Insulis, olim pro maxima parte cum Batauis, Flandris, ac Brabantis, terra continens, asserenti non valde repugnabo. Mattiacos enim ibi non habitasse mox è Tacito docere conabimur. Certe Caninefates, Marsacos, ac Batauos, inter se Socios, Insulas intra vada sitas teste Tacito lib. 20. occupasse certum est. Vnde non vanis rationibus trahi coniectura posset, eos posteà è Batauorum Insula, Mosam, Wahalim, ac Hælium ostium transgressos, eas quoque occupasse Insulas, quæ inter VValachriam Zelandiæ hodie Insulam, olim cum Flandria continentem, ac Batauiam maris æstus effecerat, & quotidie adhuc faciebat. Cæsaris enim, ac Taciti tempore VValachria Insula non erat, quod etiamnum hodie è Hollandorum, ac Flandrorum vernaculis Chronicis discere licet, quũ non adeo multis retroactis sæculis, maris inundatione, Zelandia à Flandria, ac Brabantia sit dissecta. Has olim maritimas Ditiones Morini, Menapij, Bataui, horũque socij, ac clientes occuparant, indiesque in eas partes limites augere pulsis barbaris non desinebant. Sed posteaquam Morini, Neruij, & Menapij à Cæsare plane fracti, debilitatique agrorũ parte fuissent multati, facillimum fuit Batauis, Caninefatibus, Marsacis, Mattiacis, horumque socijs ac vicinis, quibuscum Cęsari nunquã bellum fuisse legimus, fines, ac limites ijs in partibus proferre, adeo vt nihil mirũ sit, Batauos Romanæ militiæ disciplinã edoctos, cẽtesimo post Iulij Cæsaris mortem anno, tempore scilicet Vespasiani Cæsaris, auctis è vicinorum calamitatibus, non parum limitibus, Romanorum Imperatorum legatis, tandem quoque bellum inferre, ac ad Imperiũ totius Galliæ aspirare ausos fuisse. Florebat enim eo tempore Batauia supra omnes Gallię Prouincias bellicę laudis gloria, militum copia, eratque Romanorum inexhausta peditũ equitumque fortissimorum officina, quorum virtute, ac fideli opera vniuersam Galliam in

officio continebant, Britanniam domuerant, contumacibus Germanis metum, ac pro parte frenũ iniecerant, non pauci Cæsares Batauicis auxilijs Imperium adepti fuerant, stabilierant, conseruarant, ac auxerant. Quibus de rebus cum diserte ac honorifice Corn. Tacitus, Ammianus Marcel. quique horum tempore ac postea scripsere, mentionem faciant, plura hoc loco adferre superuacuum duxi. Quæ autem de Caninefatibus iam dicta sunt, ita accipi velim, vt lector liberam sibi relinqui, quam sequi velit sententiam Iunij, vel Diuæi sciat. Non enim sum is qui violenter coniecturas pro re explorata admitti cupiam, meas tantum inter alias audiri rogo. Nunc *Heinrici Menarij* opinionem de Caninefatibus, paucis examinemus, ne ignaris Batauiæ situs imponatur. Non enim satis mirari possum, eum Virum cuius extat de Gallia Belgica commentariolus non indoctus, non solum integram Veluam (hodie Geldriæ annumeratam) sed quicquid Lecca, ac veteris Rheni alueo continetur, olim Caninefatum fuisse Insulam, affirmare non veritum. Id enim si verum fuisset, non solum minorem, sed maiorem Batauis Insulam Caninefates possedissent, ›› quod non conuenit cum Tacito, hunc in modum scribente: Ea Gens partem ›› Insulæ colit, origine, lingua, virtute pares Batauis, numero superantur. At Mẽnarius eis maiorem non Insulæ partem, sed Insulam ferè Batauia maiorem assignat, quo modo igitur hominum numero fuissent inferiores. Verum si reiecta Velua Caninefatibus, ab Vltraiecto Catwicum vsque omnia concessisset, quæ veteris Rheni alueo per Leidam fluentis, ac Lecca continentur, tollerari etiam vix potuisset, concessa eis Ditione hodie appellata Rhijnlandia, Delftlandia, [illegible]landia, ac quicquid Isalam Cis-Rhenanam, è Rheno (exiguo alueo) fluentem, ab vtraque ripa alluit. Sed rursum non video quo modo hæc cohærebunt cum ijs quæ Tacitus scribit lib. 20. Caninefates Romanorum classe aggressos pro maiori parte depressisse ac cœpisse, & Neruiorum multitudinem sponte pro Romanis arma capescentem, fudisse. Nam ab hac qua diximus parte, non Nerui eorumque vicini, sed Menapij antea habitarant, hoc vero tempore à Rheno trans Mosam pulsi, teste eodem libro Tacito in hunc ›› modum scribente: Et alia manu Mosam amnem transire iubet, vt Menapios ›› & Morinos, & extrema Galliarum quaterent. Hanc sibi Regionem Ci- ›› uilis, rebellesque Bataui subijcere conati, concurrentibus in auxilium proximis Romanorum præsidiarijs fuère prohibiti. In hac enim Prouincia fuère Arenaci nunc Arnhemij, Batauoduri nunc Vnica Durostadiorum, Vadani, nunc VVageninga ac alij, hisque ab vna (ignoro qua Rheni ripa) Vadanorum vicini Taciti Grinnes, ita vt iam planum esse non dubitem hos longissimo interuallo distare à veterum Caninefatum Sedibus, neque sententiam dicti Menarij, vlla ratione consistere posse. Dicti verò sunt Caninefates *Coninenfretters* hoc est comestores Cuniculorum. *Canijn* enim est Cuniculus: *fretten*, edere. Marsacos, Caninefatum fuisse vicinos ac limitaneos palam est è Tacito, ac proinde de ijs his multa in medium adferre non est opus, quum neminem

Marsaci qui.

viderim

viderem scriptorem qui id negarit appellati videntur *marstsaten* hoc est malorum ac antennium curatores seu nauium. Marst, nunc, *mast* nauis malum sonat. *Saet*, inter alia curatorem. An verò Maersdiepium ab ijs sit denominatum, affirmare, nec refutare volo. Alludit certè ad vetus non parum nomen. Quare si eo loci aliquando Marsaci habitarunt, posterioribus eos temporibus, extremam eam oram occupasse aut antiquissimum deseruisse locum, relicto ibi suo nomine, nouumque iuxta Caninefates, cœpisse verisimile est. Sæpe enim Nationes, ac Populi, inuentute abundantes nouarum rerum cupiditate inducti, vel leui aliqua domestica, externaque cogente necessitate sedes mutabant, aut iuuentutem emittebant. Non enim minus Pagus *Mersen*, haud procul Vltraiecto situs, Narsacorum esse, aut referre potest vestigium, quàm Maersdiepium. At de *Mattiacis* maior est difficultas vbi olim habitarint. Scio tritum esse inter omnes Doctos, consedisse Mattiacos in Zelandia Belgica. At id è Tacito, nec probari, nec doceri potest, Cæsar enim ne semel quidem eorum facit mentionem. Tacitus in libello de moribus Germ. hunc de ijs in modum scribit: Est in eodem obsequio & mattiacorum Gens. Protulit „ enim magnitudo Pop. Roman. vltra Rhenum, vltraque veteres terminos Im- „ perij reuerentiam. Ita Sede, finibusque in sua Ripa: mente animoque nobiscum „ agūt, cætera similes Batauis, nisi quod ipso terræ suę adhuc solo & cœlo acrius „ animantur. Ex his Taciti verbis, apertè patere arbitror, Mattiacos suo tempore „ non intra Insulam Batauorum, nec iuxta Caninefates, Marsacosque, sed trans Rhenū habitasse, hoc est, Trans-Rhenanos fuisse, eius tamen Ripa proximus, ac tantum eius alueo, à Batauis separatos, proinde inseparabiles eorū socios. At quid enim aliud diceret. Protulit enim magnitudo Populi Romani, &c. Loquitur enim vt in Gallia, imo vt in ipsa consistens batauia Tacitus, ne quis hic erret. Proinde apertè voluit indicare, Mettiacos, non in nostra nunc Hollandia, nec Zelandia sed vltra Rhenum habitasse, hinc mox addit: Ita sede finibusque in sua Ripa (scilicet germanica) mente animoque nobiscum agunt, nimirum cum Batauis, ac Romanis. Postremo addit, cætera similes Batauis, quod ex ijsdem orti essent Cattis ac proinde lingua, moribus, institutisq; similes, Rheni tantum alueo distincti. Hæc omnia nulla ratione consistere poterūt, si Mattiacos eo tempore constituas, vbi hodie Zelandorum apud Belgas sunt Insulæ. Comprobat mirū in modū hanc sententiam, suaq; iam allegata verba Tacitus, lib. 11. in hunc modum scribens: nec multo post Curtius Rufus, eundē „ honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus, quærendis venis „ argenti, vnde tenuis fructus nec in longum fuit. Certè nullus est qui non scit, „ apud Hollandos, Zelandos, Frisios horumq; vicinos, paludosos, vliginososque agros incolentes, natura prohibente nulla effodi metalla, sed aquæ satis. Frustra quidam hoc loco, non Mattiaco, sed Mazaco, aut etiam aliter legendū admonent, quum variæ illæ lectiones, nullis alijs Taciti locis sint cognitæ, nec etiam ab alijs scriptoribus memoratæ, ac proinde merito mendosæ habendæ,

Mattiaci qui.

legendumq; hoc loco in agro Mattiaco, quos inter Batauos, Caninefatesque, habitasse fieri non potest, sed in parte aliqua Trans-Rhenana, Rheno propinqua, eiusque vt diximus ad Ripam, ac maxime, vt mihi videtur in ea parte nűc Geldriæ annumeratæ, quę vocatur Veluwa, cuius superior pars, à fundi Batauię natura alienissima, in nonnullis locis metalla, venasque, argenti tenuis fructus ferat doctioribus excutiendű relinquo. Mihi non improbabile videtur, sufficitq; hoc loco demonstrasse, Mattiacos (quorű etymon à *Maet* ac *Maeten*, quod germanis socium coniunctissimum sonat, deducunt) nulla ratione constitui posse inter Batauos, seu Hollandos, multoque minus inter Zelandos, eosque Populos qui depressos, stagnantesque colunt agros camposq;. Attamé inficias ire nolim, post Taciti Ammianiq; tempora, Mattiacos aut eorum partem, continua vicinorű germanorű iniuria, motos, coăctosque, maxime cum Alemannorum Francorumque res crescere, Romanorű verò, sociorumque eorum senescere, inclinareq; inciperent, relictis pro parte veteribus Sedibus, ad Oceani Insulas, nunc Zelandicas dictas, forte tum habitatas à semi feris hominibus migrasse, ibique Sedes fixisse, de quibus Lector pro arbitratu suo iudicabit nominati autem sunt, à summa inter se animorű coniunctione. Etenim in hunc vsque diem nobis *maet* fidum, ac intimű sonat socium. *Cauchos* quoque fuisse Trans-Rhenanos dicto Taciti lib.11. ita scribentis apparet, Batauis tamen ac Caninefatibus, ad Rheni Ripam Oceanumq; vicinos certum est: Per idem tempus *Cauchi*, nulla dissentione domi & morte Sanguinij alacres, dum Corbulo aduentat, inferiorem Germaniam incursauere, Duce Gaunasco, qui natione Caninefas, auxiliaris, & diu meritus, post transfuga, leuibus nauigijs prædabundus, Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus Dites, & imbelles esse. Et lib.20. Namq; & Ciuilis illuc intenderat non inualidus, flagrantissima suarum Cohortium, integra manente, & è Cauchis, Frisijsque composita. Idem lib.21. Ciuili Cauchorum auxilia venere. Idem in Libello de Morib. germ. honorifice de Cauchis in hunc modum scribit: ac primo statim Cauchorum Gens, quanquă incipiat à Frisijs, ac partem littoris occupet, omniű quas exposui Gentium, lateribus obtenditur, donec in Cattos vsque sinuetur, tam immensum Terrarum spatium, non modo tenent tantum Cauchi, sed & implent, Populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suă malit iustitia tueri sine cupiditate, sine impotentia, quieti, secretique nulla prouocant bella, nullis raptibus, aut latrocinijs populantur, idque præcipuum virtutis, ac viriű augmentű est, quod vt superiores agant, non per iniurias assequűtur, prompta tamen omnibus arma, ac si res poposcat exercitus plurimű Virorum, equorumque, & quiescentibus eadem fama. Elogium certe quauis gloria excellentius. Hodie in Cauchorum Sedibus habitare putantur Groningani, Oostfrisij, Bremenses, horumque vicini. Fuère & olim maiores, minoresq; Cauchi. Minorum partem Plinius inter Hæliű & Fleuum, batauis vicinos statuit lib.4. cap.14. & 15. Item lib.6. cap.1. Cauchi videntur dicti, Causte-zy, hoc est, frigido

Cauchi qui.

frigidū, Regionis latus. Caut enim sonat frigidū: *Sy* latus, ac partē. De Frisiabonibus, quos quidam rediculo etymo, sed tamen à veritate, vt puto non alieno, *Friesebouren*, hoc est, Vicinos Colonos Frisios, significare volunt, ac Sturijs, quos Iunius noster, Tusios dici deberi ac scribi asseuerat aliquid dicere, eorumque certas Sedes assignare velle temerariū mihi videtur, cum de ijs Cæsar, Tacitus, ac Amm. Marcell. nihil, Plinius verò dicto lib. 4. cap. 15. nuda tantum nomina recitet, eaque sterni, (vt loquitur) inter Hælium & Fleuum Rheni Ostia, simpliciter commemorat. Ne autem aliquis etymon Frisiabonū, pro *Friesebouren* plane ridiculum, ac commenticiū putet, sciat oportet, Germanicam vocē, *Bour*, nil in se habere contumelij, vt hodie multi imperite existimant. Significat enim, *Bour*, & hodie, & olim germanis, nil aliud quam vicinum, vnde *Bourman*, Virum vicinū sonat, *Friesebouren*, Frisios inuicem vicinos significat. Olim enim omnes Trans-Rhenani Germani Vicatim habitantes, Oppidaque ignorantes, se inuicē appellabant, *Bouren*, *gebouren*, ac *Bourman*, hoc est vicinos sine vllo conuitio, ac contimelia, transijtque tandem hæc vox è Pagis in Oppida ac Vrbes se mutuo vocantes, *Bourger*, quasi dicas vicinos vnius Oppidi ac Vrbis, latine. *Ciuis*. Egimus & hac de re lib. 1. cap. 1. Operis. Rerum Burgundicarum, quod Lector consulere potest, quemadmodū & Iunium nostrum de Batauia cap. 3. qui solus de *Frisiabonibus*, ac *Sturijs*, aliquid verisimile in medium adferre est conatus. Ego Sturios ab inhumanitate rusticitate, ac ferocitate dictos puto. In hunc enim vsque diem nobis, *stuir*, sonat, ferocem, fastuosum, morosim, rusticoque ingenio hominem. *Frisiorum* Ditionem Batauis fuisse vicinam extitisseque Cisrhenanos, & Trans-Rhenanos, maiores, & minores, ex Tacito, Plinio, ac Topographia clare constat, quemadmodū etiam quod horum tempore, bello præclari, ac nobiles fuerint. Consulatur de Frisijs, Tacitus libro 4. 11. 13. 20. & in Libello de morib. germ. Vide & infra libro secundo cap. 8. De Bructeris, Teuchteris, Tubantibus, ac Vsipetibus, Batauorum quoque trans Rhenum vicinis, Tacitum quoque ac Plinium consule, & infra libro secundo cap. 5. 6. 7. & 8. Inclinante Batauorum Republica, Frisij imprimis crescere cœpere, ac ad eam aliquando potentiam peruenêre, vt non contenti veteribus Trans-Rhenanis, ac Cis-Rhenanis limitibus, traiecto Amme, proximos Batauorum agros inuaserint, pulsique VViltis (feros agrestesque sonat Populos) qui deficiente Romano Imperio, Batauorum vicinorumque eorum pro parte Ditionem occuparant, eam sui iuris fecerint, cōpulsis veteribus Batauis, intra VVahalis, Mosæ, ac Rheni veterem confluentem, cuius pars Superior in hunc vsque diem Batauiæ nomen tuetur. Tandem quum circa annum Christi 734. Franci traiecto Rheno in Gallijs Regnum condidissent, exactis Batauia Frisijs, ijsque cum omnibus vicinis domitis, maritimas quoque Regiones omnes subegêre. Frisiam verò in Orientalem, & occidentalem diuisêre, manente, vt diximus, Batauiæ appellatione in Superiore Insulæ parte etiamnum dicta: *Die Betouvve*: Durauit hęc Francorum diuisio, ad vsque aduentum Donorum & Norman-

Frisiabones Sturij, qui.

Frisij qui.

Normannorum, quod fuit circiter Annum Christi 900. Tum noua Hollandiæ & Zelandiæ inducta nomina, ijsque adiuncta Frisiæ pars quæ hodie Septentrionalis Hollandia, ac VVaterlandia dicitur, reliqua Frisiæ Occedentali ab altera Sinus Meridionalis, parte sunt relicta, Batauia, vt diximus Superiori Insulæ suæ parte contenta in hodiernum vsque meæ scriptionis Annum.

De Grinnibus, Sunicis, Gugernis, Leucis, horumque Vicinis.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Grinnes qui.

DE Grinnibus Populis eorumque Sedibus, vt de plærisque alijs duæ præcipuè doctorum extant sententiæ. Sunt enim qui opinantur Gruninganorum Ciuitatem, hac appellatione venire, ea inducti ratione quod etiam num hodie Frisij vernaculo sermone Groninganos: *Die Grinnen* appellent, ac proinde Ditionen vocandam *Grinningen*, non *Gruningen*, nec *Groningen* vnius tantum vocalis mutatione contendunt. Diuæus cum plærisque alijs constanter hæc negat, dicens loci interuallum quod Tacitus sis tribuit Grinnibus & vbi hodie visitur Groninga, nimium dissidere. Certe fateri cogimur, Tacitum loqui de Grinnibus eorumque vicinis non longe à Rheni gallica Ripa habitantibus, ea in Regione, ac Insula, quam facta fossa Drusiana Rhenus, Isalaque Trans-Rhenanus iunctis aquis efficiunt, vocaturque hoc nostro æuo Veluwa, ab Oriente habens Amnē Isalam, ab Occidente flumen Vehtam, A meridie Rhenum, à Septentrione Lacum seu Sinum Meridionalem, suntque in ea Ciuitates aliquot præclaræ, vt, Vltraiecti pars altera, Amersfortium, Vnica Taciti Batauodurū, VVageninga eius Vadæ, Arnhemum seu Arenacum ac Rhena: Ad Sinum Meridionalem sunt Muda, Narda, VVesopum, Harderwicum, Elburgum, Hattenium, Campæ. Hæc Veluwa ac in ea Oppida, hodie non inter Trans-Rhenanos (vbi nunc visuntur nostri Groningani) sed Cis-Rhenanos, hoc est, non in Germania, sed in Gallia Belgica iam inde ante Taciti tēpora facta fossa à Druso sedes habent, quod aperte de suis Grinnibus declarat Tacitus, cum eos vicinos Arenaïcis, Batauoduris, Vadisque in Gallia Belgica haud procul Rheno habitantibus facit. Sic enim
» loquitur libro 21. Tantum belli superfuit, vt præsidia Cohortium, alarum, Le-
» gionum, modicis Vicis quadripertita, Ciuilis inuaserit, decimam Legionem
» Arenaci, secundam Batauoduri & Grinnes, Vadamque Cohortiū, alarumq;
» castra. It paulo post: Plus discriminis apud Grinnes, Vadamque. Vadam enim
» Ciuilis: Grinnes Classicus oppugnabat, nec sisti poterant interfecto fortissi-
» mo quoque in quibus Briganticus alæ Præfectus ceciderat, quem fidum Ro-
» manis, & Ciuili auunculo infensum diximus. Sed vbi Cærealis cum delecta
» equitum manu superuenit, versa fortuna, præcipites Germani in Amnē agun-
» tur. Ciuilis dum fugientes retentat, agnitus, petitusque telis, relicto equo,

transna-

transnatauit. Idem Germanis effugium, Tutorem, Classicumque, appulsæ Lintres vexere. Ex quibus Taciti verbis facile colligi potest, inter eos de quibus loquitur Grinnes, ac nostri temporis Groninganos magnam existere locorum distantiam. Statuit enim Tacitus Grinnes suos ac Vadam, adeo vicinos, vt vno, eodemque tempore, ab vno, eodemq; exercitu oppugnarentur, & ab vno, eodemq; Romanorũ adueniente cum equitatu Duce liberarentur. Quid his vicinius propinquiusq; excogitari potest? Quod autem haud procul Rheno habitarint ex eo constat, quod dicat Germanos præcipites in Amnem Rhenum actos, Ciuilem transnatasse, Tutorem ac Classicum Lintribus vectos effugisse. Groningam verò nostri temporis longissime à Rheno aliquot dierũ itinere abesse constat. Quod dicta quatuor loca, Tacitus modicos vocet Vicos, fateor me non satis intelligere, quum pro certo mihi persuaserim Taciti tempore, Arenacum, ac Batauodurũ nota, claraque fuisse Oppida. De Grinnibus, ac Vadis non æque constat, firma tamen, munita, ac non contemnenda fuisse præsidia, ex eo apparet, quod vtrinque summa cura, ac labore, pro ijs sit sudatũ ac certatum, Batauis vt ea caperent, cruenta oppugnatione annitentibus: Romanis, eorumque fidis socijs, vt conseruarent, rebellesq; batauos depellerent extremo conatu se opponentibus, ac tandem non sine fortissimorũ prę-sidiariorũ nece, equitatusq; Romani auxilio, rem obtinentibus. Atqui hęc esse acta, intra Rheni, Isalæ, Vehtæ, ac Sinus Meridionalis cõplexũ, siue Insulã Veluã nunc dictã, facile illi apparebit qui Tabulã Germaniæ, aut potius Geldrię Topographicã inspicere voluerit, ita vt Campæ, Hattemũ, Batauodurũ, Arenacũ, Amerfortiũ, Vada, Rhena, Narda, Harderwicũ, Elburgũ, ac Taciti Grinnes ante fossam à Druso factã Trans-Rhenani: Ea perfecta Cis-Rhenani, ac belgæ fuisse reperiantur. Ante enim excauatã à Druso inter Isalam ac Rhenũ fossam, Isala exiguo Alueo cõtentus, receptis in itinere aliquot riuulis ac torrẽtibus potius quã amnibus, ab Oriente versus occidentẽ, & Septentrionẽ fluens, tandem vbi nunc sunt Campæ Transisalanę in Lacus ingentes Sinus Meridionalis cum Vehta altero Rheni membro se condebat, ac per Fleui ostiũ aquas in Oceanum exonerabat, totumque eum quem iam diximus Veluæ tractum, ad Vehtam vsque (qui Taciti Plinijque ætate, etiam Rheni aquas vehebat) vt Trans-Rhenanum Germaniæ connumerabant; At perfecta à Druso fossa (vt veteres Rheni aluei, ijsque vicini Batauorum campi, agrique, aquarum Rhenanarum inundatione, pro parte liberarentur) Velua à Germania abscissa separataque, exinde Galliæ Belgicę est annumerata, ac pro maiori parte Batauis, eorumque socijs cessit, pars Romanorum Prouincia est facta. Quare iam planum esse non dubito Taciti Grinnes longissimo interuallo distare à nostri æui Groninga, spatio nimirum paulo plus aut minus octodecim maiorum germanicornm milliariũ, quę triduo expeditus pedes in flore ætatis constitutus vix conficiet. Neque tamen negare ausim etiam Groninganum agrum Taciti tempore fuisse Grinnes appellatum (quanquã Tacitus eorum mentionem nullibi

inter

inter Transf-Rhenanos faciat) ac vtroque tum loco Grinnium extitiſſe appellationē ortoſque forte fuiſſe Taciti Grinnes ab his, aut poſtea fortaſſe hos ab illis. Trium enim tantùm dierū itinere à Rheno habitantes, quid mirū ſi pars eorum inter Menapios Tranſ-Rhenanos, Sicambroſque, deſertis, aliquot in agris conſederit, nomenque Grinnium, ignobilis, humiliſque Populis ſeruarit, ac ſub potentiorum patrocinio, cum Vadanis horūque vicinis delituerit, aut deletis Taciti Grunibus, Ciuitateque eorū exciſa, ſuperſtites forte è clade Grinnes, traiecto Rheno in agro Tenchterorum nunc *Drent*, in qua & hodie Groninga conſpicitur, cōſederint, id quod ex Cæſare & Tacito, probari poſſe exiſtimo. Tubantum enim hodie *Twent* ſolus Tacitus mentionem facit lib. 1, & 13. Tenchterorum etiam Cæſar initio lib. 4. bel. gal. his verbis meminit: Ea quæ ſecuta eſt hieme, qui fuit Annus Cn. Pompeio, & M. Craſſo Conſulibus, Vſipetes (nunc Zutſanij, & pars VVeſtfaliæ) germani & itē Tenchteri, magna cum multitudine hominum, flumen Rhenum tranſierunt non longè à mari, quo Rhenus influit. Cum dicit eos Rhenum tranſijſſe non longè à mari, vbi Rhenus in id influit, hoc eſt non procul à Fleuo Rheni oſtio ſeptentrionali, veriſimile eſt his & alijs vicinis locis, eos habitaſſe. Cùm integris enim familijs, cum vxoribus, liberis, omnique ſupellectili, nouarum Sedium quærendarum cauſa, teſte Cæſare aduenerant, ac proinde ex interiori Germania veniſſe eos non eſt credibile. Ibi enim eorum capitales hoſtes Sueui tum habitabant, qui ad Rhenum vſque omnia occupare conati, vicinos Rheni accolas, ſedibus extrudere, pellereque, ac traiecto Amne, in Gallia nouos agros quærere cogitabant. Id paulo poſt, eodem libro ac folio Cæſar apertè indicat, dicens: Itaque vna ex parte à Sueuis, circiter millia paſſuum ſexaginta agri vacare dicuntur. Et paulo poſt: In eadem cauſa fuerint Vſipetes & Tenchteri. Qui cum neque ad mare germanicum orientale, neque in mediterraneis Germaniæ, locum, ſedeſque reperirent, cogente neceſſitate non procul à patriæ limitibus, cum per triennium erraſſent, ad Rhenum contendunt, & quum vi non poſſent, dolo traiecêre. Facit quoque Tenchterorum mentionem Tacitus lib. 20. & in libello de moribus Germ. Præcipui fuere Tenchteri qui rebellione Batauica, Coloniam Agrippinam diripi ac excindi cupiebant teſte Tacito lib. 20. Ex quibus admodum veriſimiliter apparet inter, hos veniſſe Grinnes eorumq; vicinos, quorum forte exigua pars, ad Rhenum (cæſis à Ceſare Vſipetibus, ac Tenchteris) manſit, qui potuere traiecto iterum Rheno in Germaniam reuertêre, vbi à Sicambris teſte Cæſare ac Tacito recepti, ad Rhenum ac Iſalam conſedêre. Si cui hæc diſplicet ratio, contrariam per me licet ſequatur. Ego ad coniecturas eo facilius deſcendo, quo Cæſaris verba fidem mihi fere faciant, tum quod varios Populos ſæpe libera voluntate, aut vi coáctos, colonos emiſiſſe reperimus, qui nomen Patriæ ſuæ alijs Regionibus inuexere ac communicauere. Attuli quæ mihi cum ratione facere videntur, liberum Lectori relinquens iudicium. Exiſtimant docti aliquot hodie Grinnorum ad Rhenum,

pauca

pauca quædam restare vestigia, in Oppidis Griet, ac Griethaus, piscatorum, ac agricolarum nunc tantùm paucorum Sedes, Cliuiæ Duci parentes. Grinnes videntur dicti quasi Grimmers m. in n. mutato. Sonat hodie etiam Grimmers morosos, superciliososac arrogantes fastuosos. *Sunici* autem qui fuerint, ex Taciti vno tantùm loco lib. 20. potest colligi, Cæsare eorum mentionem non faciēte, quanquam Plinius lib. 4. cap. 17. Runicos nominet, vbi mendum esse Beatus Rhenanus sentiens Sunicos restituit, an rectè, iudicent alij. Sunici à Sunic sunt dicti. Idem hodie etiam sonat Industrium sibique benè consulentem. Gugerni uerò à *goct* ac *gaerne*, quod sonat in lino filendo ac panno ex eo conficiendo egregium. Crescit & hodie in hac Regione lini magna copia. Propinquos ac vicinos fuisse Coloniæ Agrippinæ indicat Tacitus, lib. 20. ita scribens: Ciuilis societate Agrippinensium auctus, proximas Ciuitates affectare, aut aduersantibus bellum inferre statuit, occupatisque Sunicis, & iuuentute eorum per cohortes, composita, quo minùs vltra pergeret Cl. Labeo, Bethasiorum, Tungrorumque, & Neruiorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. E quibus Taciti verbis, cum vicinos Agrippinensium fuisse, luce clarius constet, quis dubitauit, eorum fuisse clientes, ac ijs locis habitasse, vbi hodie Oppidulum Zons, aut Sons, vestigiū seruat, tribus germanicis milliaribus maioribus, infra Coloniam Agrippinam versus Occidentem, ad Rheni Ripam conspicuum, ac duo tantum dicta milliaria infra se situm habens veterum Nouesium, nunc Nucium dictum. Fuisse autē Sunicos Trans-Rhenanorum olim Vbiorum clientes, mihi persuadeo, ac eorum partem cum his traiecto Rheno in vicina Gallię ripa cōsedisse. Cis-Rhenanosque Vbios seu Coloniam Agrippinam, etiam tum Patronos agnouisse. Quod ad *Gugernos* attinet, facile Beati Rhenani, ac Diuæi summæ accedo, qui hos olim Sedes habuisse autumant, vbi nunc habitant Iuliacensis Ditionis coloni, moti eorum vernacula appellatione, qua se non Iulien; sed Gulcheren, etiam hodie nominant, & à vicinis dicuntur. Oppidum vero quod nunc latinè Iuliacum (vt etiam Amm. marcel. lib. 17. nominat his verbis: Rhemos Seuerus Nigrū Equitum per Agrippinam petens, & Iuliacum) ipsi Gulich appellant, propinquūq; illi Nemus Iuliacense, *Gulichger VValt*, nuncupant. Quid propius quęso ad vocem Gugernen accedere potest? An vero aliquis Romanorum Præfectorum posterioribus sæculis, in memoria Iulij Cæsaris, aut suipsius, Gugernos Iuliacos vocum fortè consonantia delectatus, appellari voluit, fieri potest, neque refutare neque affirmare volo, maximè cum in Itinerario (quod falso Antonino Pio ascribitur) eius mentionem fieri videam, ac Amm. Marcel. lib. 15. etiam eius meminerit. Quam autem fallantur qui Gugernos statuunt vbi nunc est Oppidū Graua ad Mosam situm, ac aliud nomine Goh intra Rhenū ac Mosam cōspicuum Tacitus lib. 20. satis his verbis refutat: Additus Voculæ in partē curarum *Herennius Gallus Legatus*, nec ausi ad hostem pergere, loco Gelduba nomen est, castra fecêre. Ibi struenda acie, muniendo, vallandoq;, & cæteris belli medita-

Sunici qui.

Gugerni qui.

„ tamentis,militem firmabant.Vtque præda ad virtutem accenderentur,in pro-
„ ximos Gugernorũ Pagos,qui ſocietatem Ciuilis acceperant, ductus à Vocula
exercitus.Gugernos igitur ac Sunicos, Colonienſium fuiſſe finitimos Clien-
teſq;,ac cùm ijs contra rebellos Batauos primum pro Romanis pugnaſſe,mox
victos,coactoſque vt Colonienſes,arma cũ Rebellibus iunxiſſe,ex his, alijſq;
eodẽ Taciti libro verbis,diſerte liquet.Neque igitur Sunici in Zoonsbeec:nec
Gelduba quid. Gugerni Grauæ aut Goh ſunt quærendi. *Geldubam* olim Noueſio nunc Nucio
propinquã fuiſſe conſtat. Quare facilè credo,ex eius ruinis ędificatũ fuiſſe,à ſu-
perſtitibus Ciuibus,Oppidulũ Geldra hodie dictũ, non admodũ Rheno pro-
pinquũ,quanquã ſint qui contra ſentiant. Vide infra lib.2.cap.4. Non procul
Asciburgum quid. Noueſio ac Gelduba olim etiam ſitum fuit, *Aſciburgium* vt colligi licet è Taciti
lib.20.ita ſcribentis: Rapiunt in tranſitu hiberna Alæ Aſciburgi ſita. Et ſub ini-
„ tium lib.de mor.ger. Aſciburgumque quod in Rheni Ripa ſitum, hodieque in-
„ colitur, ab illo conſtitutum nominatumque. Hodie tantum Vicus eſt, dictus
„ Aſburg,infra Coloniam ad Rhenum,vbi multa vetuſtatis monumenta,indies
è terra eruuntur.Male Beatus Rhenanus Douſburgũ interpretatur,peius Al-
thamarus,Emmericum. *Leucorum* Sedes,communis Doctorũ conſenſus,procul
admodum Rhenum,inter Moſam Moſellam,ac Syluam Arduennã conſtituit,
habebantque ab oriente Treueros: A meridie Mediomatricos: Ab occidente
Neruios ac Aduaticos: à Septentrione Eburones, Tungros,ac Menapios,poſſe-
dereq; partem maiorem Ducatus Lutzenburgi, ac minorẽ Lotharingiæ,quod
„ palam fit vel ex vno Taciti loco lib.17.vbi in hunc ſcribit modum: Nuncium
„ de cæde Galbæ,& Imperio Ottonis,Fabius Valens in Ciuitate Leucorum ac-
„ cepit,proxima Lingonum Ciuitas erat,fida partibus. Lingones etiam hodie
Lutzenburgijs & Lotharingis vicini ſunt, Ciuitaſque eorum hodie vocatur
Langres.Plinius Leucos ſuo tempore liberos fuiſſe lib.4.cap.17.ſcribit, Lingo-
nes vero Romanorum fœderatos.Ptolomeus etiam Leucos nouit, adferens
eorum aliquot Oppida. Quin & Amm.Marcel.de Leucis ſub initium lib.16.
„ ita ſcribit: Alijs per arboroſam, quibuſdam per Sedes Leucorum iri, debere
„ firmantibus. Ex his patet Leucos vicinos fuiſſe Germanis, contra quos eo
tempore Cæſarem Iulianum, mouiſſe Ammianus ſcribit. Deinde & lib.20.in
„ hunc modum loquitur: Auxiliares milites ſe inde protinus abſtracturum, He-
„ rulos, & Batauos, cumque Petulantibus, Celtas, & Leucos. Oppida au-
tem quæ Ptolomëus & alij Leucorum adferunt, ſunt Tullius, ſeu Tullium,
nunc Toul: Naſium,nunc Nancij dictum. Lubenter Diuæo aſſentior (nam
veriſimilibus coniecturis, non facilè fidem abrogo,alijs rationibus deſtitutus)
Leucorum relliquias eſſe Lutzenburgum. Neque enim veteres Galli, vt nunc
Lutzenburgum,aut Lutzelburgum,ſed Leuceburgum,ac Luceburgum ſcrip-
ſere, teſtantibus veteribus manuſcriptis, ac inuenta primum typographia edi-
tis gallica lingua libris, imo & manu exaratis ante inuentam artem typogra-
phicam, quorum plæraque vidi & legi, ita vt facile crediderim Leucos olim
verna-

vernacula lingua fuisse appellatos: *Die Leuten*, vel *Leutzen* per diphthongum, vnde postea suauioris enunciationis causa, abiecta vocali, *e*, factum est, *Die Leuten*, ac tandem pronuntiatione aspera nostri tẽporis, germanica, *Die Leutzen*, ædificatumque Oppidulum vel Castrum, denominatum fuisse *Lucemburg*, vel *Lutzenburg*, hoc est, Castrum, Arx, seu præsidium Leucorum. Nuspiam enim reperiemus, à Barbara feritate, vel temporis iniuria, ita extinctam antiquitatem, quin solerter, ac cum iudicio, de ea inquirenti semper se aliqua vestigia, emunctæ naris homini, sentienda offerent. Plura de *Leucis* scripsimus infra lib. 2. cap. 12. Videntur autem nominiati à pigritia ac interia, quod forte vicinis suis minus essent industrij, diligentes, ac ad rem attenti *Leu* enim nobis & hodie pigrum inertemque denotat. Nunc ad Belgas longius à Rheno ac Mosa distitos, transeamus.

De Rhemis, Suessionibus, Bellouacis, Ambianis, Atrebatibus, Veromanduis, Calecis, ac Vellocassibus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Rheni qui.

RHemorum, Suessonum, vel vt alij scribunt Suessionum, ac Bellouacorum, inter Belgas Regna, ante Iulij Cæsaris in Gallias aduentum quam fuerint ampla, clara, ac potentia, varijs è locis Commentariorum eius belli gallici potest intelligi & colligi? Rheni certe Belgarum omnium primi, sine pugna Cæsarem Romanosque recepere, voluntariamque deditionem fecere, testis est Cæsar sub initium libri secundi bell. gall. in hunc modum scribens: Rhemi qui proximi Galliæ è Belgis sunt, ad eum » Legatos Iccium & Antebrogum primos Ciuitatis suæ miserunt, qui dice- » rent se, suaque omnia in fidem, atque potestatem Populi Romani, permittere, » neque se cum reliquis Belgis consensisse, neque contra Pop. Rom. coniurasse, » paratosque esse obsides dare, imperata facere, Oppidis recipere, frumento, cæ- » terisque rebus iuuare, reliquos omnes Belgas in armis esse. Hanc Rheni dedi- » tionem constanti erga Pop. Rom. fide dubijs etiam rebus ita coluere, vt po- » stea nunquam contra Pop. Rom. nec arma sumpsisse, nec belli consilia inijsse, reperiantur, quanquam vniuersa paulo post Gallia, sumptis pro libertate armis contra Romanos rebellasset. Hæc vera esse Cæsar his verbis lib. 5. bell. gall. aperte testatur: Pręter Hęduos & Rhemos, quos pręcipuo semper honore Cę- » sar habuit, alteros pro vetere erga Pop. Rom. fide, alteros pro recentibus belli » gallici officijs, nulla fere fuerit Ciuitas, non suspecta nobis. Amplũ fuisse Rhe- » morum Regnum, è Cæsaris aliquot patet locis. Scribit enim initio libri septimi bell. gall. Carnutes (hodie Chartres) Rhemorum fuisse clientes his verbis:

Eodem Carnutes Legatos, obsidesque mittunt, vsi deprecatoribus Rhemis quorum erant in clientela. Rhemorum Oppida Cæsar initio lib. 2. bell. gall. nominat Bibrax, nunc vt quidá volunt Bray apud Retelenses: Fine libri sexti Durocortum quod hodie quidam Rheims esse volunt, lectori relinquo iudicandum. Vniuersali totius Galliæ Duce Vercingetorige Aruerno contra Romanos rebellione, soli Rhemi, ac Lingones amicitiæ fideique causa abstinuisse Cæsar est testis lib.7.bell.gall.ita scribens: Ab hoc consilio Rhemi, Lingones, ac Treueri abfuere: Illi quod amicitiam Romaná sequebantur. Treueri quod aberant longius, & à Germanis premebantur. Non autem satis erat Rhemis, seruare Romanis fidem, & amicitiam inuiolatam, eorum nomine agrorũ populationes, à rebellibus pati, nisi etiam Cęsari peditum, equitumq; auxilia mitterent, testis est Hirtius bell. gallici lib.8.quo etiam bello se Suessiones abstinuisse reperio, secutos credo iudicium Rhemorum, quibuscum coniunctá habebant Ciuitatem & Imperium, testis Cæsar sub initium lib.2.bell.gallici, vbi loquentes adducens Rhemos, in hunc scribit modum: Tantum esse eorum omnium furorem, vt ne Suessones quidem fratres, consanguineosque suos, qui eodem iure, ijsdem Legibus vtuntur, & vnum Imperium, vnumque magistratũ cum ipsis habeant, deterrere potuerint, quin cum his consentirent. Ob hanc credo Suessonum rebellionem, Rhemorumque in fide, fœdere, amicitiaque constantiam, deuictos Cæsar vno prœlio Suessones, Rhemis attribuisse, ac subiecisse sentio, quod Hirtius lib.8.bell.gall. his verbis, aperte fatetur. Ipse enim cum crebris Legationibus Rhemorum certior fieret, Bellouacos, finitimasque ijs Ciuitates, Duce Corbeio, & Commio Atrebatensi, exercitum cõparare, atque in vnum locum cogere, vt omni multitudine in fines Suessonum qui Rhemis erant attributi facerent impressionem. Potentiam Suessonum Cæsar initio lib.2.bell.gall.non tacet hæc de ijs scribens: Suessones suos esse finitimos, latissimos fines, feracissimosque agros possidere. Apud eos fuisse Regem, nostra etiá memoria Diuitiacum, totius Galliæ potentissimũ (qui cum magnæ partis harum Regionum, tum etiam Britannię obtinuerat Imperium) nunc esse Regem Galbam, ad hunc propter iustitiam, prudentiamque, suam totius belli, omniũ voluntate deferri. Oppida habere duodecim numero, polliceri millia armatorum quinquaginta. Miror hæc Diuæum attribuere Bellouacis, contra aperta Cæsaris verba, nisi diuersum à meis nactus sit Codicem, quod non semel in Cæsare ac Tacito deploramus. Tum ita Cęsar pergit scribere: Cæsar obsidibus acceptis primis Ciuitatis, atque ipsius Galbę Regis duobus filijs armisque omnibus ex Oppido traditis, in deditionem Suessones accepit. Quid his verbis clarius & apertius? Præcedentia eadem diserte docent. Perstitere certe Rhemi in Romanorum amicitia constantissime, neque bello Batauico, quod tempore Cæsaris Vespasiani Cl. Ciuilis Batauus mouit, semel nutauere, quum vniuersa tamen Gallia ad rebellionẽ spectaret, teste Tacito lib.20 in hunc scribens modum: Sequanorum prospera acie belli impetus stetit, resipiscere paulatim Ciui-

Suessones qui.

tates

tates,fasque,& fœdera respicere,principibus Rhemis, qui per Gallias edixêre, „ vt missis Legatis in comune consultaret,libertas,an pax placeret.Deinde quæ „ toto folio sequuntur constantiam,fidem,summamque authoritatem Rhemorum,eo tempore inter Gallos declarant.Hæc de Rhemis ac Suessonibus dicta sufficiant,si addidero Plinij sententiam, qui lib.4. cap.17. vocat Rhemos Pop. Rom. fœderatos: Suessones liberos,vnde colligo cæteras Nationes, quas eodē capite recenset,inter absolute subditos, Imperijq; Romani tributarios fuisse habitos,inter quos numerat,& Bellouacos, quorum tamē etsi nulla alia quam ab Aulo Hirtio libro 8.bell.gall.allata extaret laus,sufficere certe deberet. Ita enim inquit:Bellouacos qui belli gloria, Gallos omnes Belgasque præstabant. Sed pro tantæ virtutis gloriæq; prædicatione, nullum apud Cæsarem,nec Tacitum eorum memorabile extat factum prœliū, bene rebelliones crebræ,quod & de alijs Galliæ Populis dicere licet, nisi cum ijs sentire velimus qui Cæsarē, omnesque Romanos,multū tribuere deuictis à se Populis,consueuisse dicunt, quo clariores suas facerent victorias. Sed adferamus & alia Cæsaris loca præclaram de Bellouacis mentionem, in vtramque partem facientia, virtutesque eorum,& rebelliones,aperte testantia. Ac primum sub initium lib.2.bell.gall. „ ita scribit: Plurimū inter Belgas Bellouacos virtute,& authoritate,& homi- „ num numero valere. Hos posse conficere armata millia centum pollicitos ex „ eo numero lecta millia sexaginta, totiusq; belli Imperium sibi postulare. Tantis tamen instructi viribus,vnico aduerso prœlio,cum cæteris fracti vicinis,se, suaque omnia in Oppidum, Bratusbantium,contulere,neque eo fidentes, cum exercitus Pop. Rom. in propinquo adesset,non distitere,donec deprecatoribus Hæduis,à Cæsare in fidē recepti essent, traditis sexcentis obsidibus omnibusq; armis. Exinde quieuere Bellouaci per sexennium,metu, non amicitia, in fide persistentes. Nam vt scribit Cęsar lib.7.bell.gal.comuni totius Galliæ contra „ Romanos rebellione, cum Bellouaci intellexissent & Hęduos contra Cęsarē „ arma sumpsisse (tandiu enim quieuerant,quod in Hęduorum fide, ac amicitia „ omni tempore fuissent, testis Cæsar lib.2. bel. gall. ita scribens: Bellouacos „ omni tempore in fide & amicitia Ciuitatis Hæduę fuisse. Quare miror plerosque his attribuere, quę Cęsar Rhemis & Suessionibus tribuit) nullam sibi moram facientes, hostilem & ipsi animū contra Cæsarem declarant, teste Cęsare lib.7. bel. gall. his verbis: Bellouaci defectione Hęduorum cognita, qui ante erant per se infideles, manus cogere atque aperte bellū parare cœperunt. Et paulo post: Namque altera ex parte Bellouaci quę Ciuitas in Gallia maximam habet opinionem virtutis,instabant. Alio Cęsaris loco videntur Bellouaci, sub nullius fuisse patrocinio, amicitiam quidem ac fœdus cum socijs coluisse,sui tamen iuris mansisse.Nam cum lib.7. bel. gall. Cęsar narrasset quas quique Populi copias, ad Alexiam obsidione liberandam, adducere debebant,atque inter hos Bellouacos nominasset,Rhemos, verò ac Suessones minime, paulo post hęc verba subdit:Ex his Bellouaci suum numerum non con-

Bellouaci qui.

» tulerunt,quod ſe ſuo nomine atque arbitrio, cum Romanis bellum geſturos
» dicerent,neque cuiuſquam Imperio obtemperaturos.Hæc Bellouacorum au-
» thoritas atque potentia,fine lib.7 clarè apparet,vbi Cæſar in hunc ſcribit mo-
» dum:C.Fabium,& L.Minucium Baſilium cum duabus Legionibus in Rhemis
» collocat,ne quàm à finitimis Bellouacis calamitatem accipiant. Permanebant
» enim poſt communem Galliæ ad Alexiam cladem in armis Bellouaci eorum-
» quevicini,de quo bello lib.8.ſcribit Hirtius & quidem de Bellouacis in hæc
» verba:Ipſe cum crebis legationibus Rhemorum certior fieret,Bellouacos qui
» belli gloria Gallos omnes Belgaſque præſtabant, finitimaſque ijs Ciuitates,
» Duce Corbeo Bellouaco, & Commio Atrebate exercitum comparare,atque
» in vnum locum cogere. Quo bello iterũ victi Bellouaci amiſſo Duce Corbeo,
ac à Commio deſerti,traditis armis,& obſidibus, rurſum Cæſari deditionem
fecere,qui in eorum Regione M. Anthonium Quæſtorem cum quindecim
Cohortibus pręſidio reliquit,ne qua rurſum nouorum conſiliorum,ad capien-
dum bellum,eis facultas relinqueretur. Tertio Bellouacos rebellantes,D.Bru-
tus Cæſaris Legatus ad obſequium redegit,teſte Floro, Epit.lib.114. Rhemo-
rum appellationem deducunt à Teutona voce Rhein, vnde & Rheno nomẽ.
Id autem & hodie ſonat munditiem elegantiam,nitiditatem, ac puritatem.
Sueſſones deducunt à forma pronuntiationis nam & hodie dicimus, *Suetzen*,
pro imitari ſuperiorẽ germanicẽ ſibilantẽ pronuntiationem. Bellouaci ſonat,
Belgarũ excubias,quaſi hi Populi pro omnibus vigilarent Belgis dictos:*Belgen-vvaec*. Ambianos deducit Becanus à *ampt-by-an*:quaſi dicas officiũ ſummo ma-
giſtrati vicinum,ac fere par. Atrebates vero ab: *At-re-baet* at tene: Re, paratũ;
Baet lucrũ,emolumentũ,quaſi dicas:Rebus domi tuæ ac terra tua naſcentibus
eſto cõtentus,Externa ne quæras. Hodie vero ſonat Atrecht vt belgice efferi-
mus Recte,decore,ac generoſe incede. Quaſi *gaet-recht*. Frácica enim vox arras
corruptiſſima nil ſonat. *Ambianorum* fines ſatis amplos fuiſſe ex eo apparet,
quod vniuerſali Belgarum, contra Cæſarem bello (de quo lib.2. belli gallici
pertractat Cæſar)ad communia adduxerant caſtra,decem virorum millia. Sed
mox vicinorum prima clade,ac Sueſſonum,Bellouacorumque deditione mo-
ti, quum primum ad eorum fines Cæſar exercitum admouiſſet, ſine mora,
ſe,ſuaque omnia ei tradiderunt,neque poſtea contra Romanos arma reſump-
ſere,niſi generali totius Galliæ rebellione, de quà Cæſar lib.7. Hirtius lib.8
belli gallici. Tum ſemper Bellouacis iuncti, eandem cum illis fortunam ſunt
experti. Ambianorum fines attingebant Neruij, *Atrebates* ac Veromandui,
ita vt hi tres Populi inter Bellouacos & Neruios potentiſſimas bellicoſiſſi-
maſque nationes,fere medij ſederent. Sed vt Ambiani ferè ſemper Bellloua-
corum: Ita Atrebates & Veromandui Neruiorum caſtra, fortunamque ſequi
malebant teſte Cæſare lib.2. belli gallici. Adduxere Atrebates contra Cæſarem
in aciem quindecim millia pugnatorum,vnde potentiores,aut ſaltem bellico-
ſiores Ambianis decem millia tantum adducentibus,fuiſſe apparet. Veroman-

Ambiani qui.

Atrebates qui.

Veromandui qui.

dui parem Ambianis numerum contulere, ac iuncti Neruijs, Atrebatibusque cnm Cæsare collatis signis (vt scribit belli gallici libri secundo) horribili, ancipitique prœlio, ad flumen Sabim, longè fortius, pertinaciusque, quam Suessones, Bellouaci, aut Ambiani fecerant decertauere. Quid exinde Atrebates, ac Veromandui gesserint, Aul. Hirtius lib. 8 belli gallici in hunc modum declarat. Nocte insequenti legati (scilicet Bellouacorum) responsa ad suos referunt, obsides conficiunt, concurrunt reliquarum Ciuitatum legati, quæ Bellouacorum speculabantur euentum, obsides dant, imperata faciunt. Cum dicit concurrunt reliquarum Ciuitatum legati, intelligit per Ciuitatem (vt fere semper Cæsar, & Tacitus) Regionem seu Ditionem, certumque Populū, cum Primaria Vrbe. Plura de Atrebatibus infra scripsi libro secundo, cap. 17. quæ lector cum his conferet. Plinius lib. 4. cap. 17. nominat Ambianos, Atrebates, Veromanduos nude, nulli tituli adiectione, quare eos vt Bellouacos, eius tempore inter subditos, ac tributarios fuisse habitos existimo. *De Vellocaßibus*, seu vt quædam habent exemplaria Verocassibus cum Dinæo sentio eos olim habitasse ad Sequanam, vbi nunc est Ditio Francogallis dicta: Le Veugassin ac Veuxiň oppidum habens primarium *Gisort*, ad *Epta* fluminis in Sequanam se exonerantis ripam situm, aut saltem paulo infra hos limites Bellouacis propinquiores, cum inter Belgas non cum Celtis numerentur, quanquam Plinius dicto lib. 4. cap. 18. eos constituat in Lugdunensi altera, hoc est, inferiori. Sed cum non pauca hic author habeat menda, relinquo lectori huius rei iudicium. Semel enim tantum apud Cæsarem libro secundo belli gallici eorum fieri mentionem memini, scribens eos vt Veromanduos, decem millia Virorum contra se esse pollicitos, vnde patet inter mediocres Populos fuisse cōnumeratos. *Caletes* vero seu vt alij scribunt Caleci, à flumine Canchæa ad Sequanū vsq; secundū obliquū Oceani gallici littus, habitasse censeo, de quibus, quod paucis agi non possit, ac cum nostri temporis Populis sint conferendi, necessario de ijs agendū putaui latius infra li. 2. ca. 18. quod Lector consulat. Copiose enim ibi ac prolixe de his, eorumque vicinis, ex Cæsare, ac Tacito agimus annotamus & quædā supra capite Decimo. *Belgarū Populi*, hoc capite à nobis breuiter perstricti (quod notissimi sint ac etiamnum fere idem nomen, eosdemque pro parte limites primariasque Vrbes teneant) ab oriente olim habuerunt Eburones, Treueros, ac Mediomatricos: Ab occidente eos Populos, qui ab Iccio Portu, ad Sequanæ vsque ostium habitabant à meridie flumen Sequanam, ac pro parte Matronam: A Septentrione Morinos, Neruios, Menapios, horumque vicinos ac Clientes, seruantque adhuc hodie ut dixi aliqua ex parte Veteres Sedes, antiquamque appellationem. Rhemi enim hodie Francogallis dicuntur Rheims, Germanis Reems, vt primaria Archi-Episcopalis Vrbs, quæ prærogatiuam inungendi Francorum Reges ab eo tempore quo Christianam recepere relligionem semper habuit, & hodie retinet, quanquā sint qui affirment in Rege Heinrico tertio Sacrum cœleste Oleum, tristi omine defecisse.

Vellocasses qui.

Caletes qui. Caleci, qui

Suessones, Soisons, germanice Suessen. Bellouaci Beauuoisin, Vrbs primaria *Beauuois.* Ambiani *Amiens.* Atrebates *Arras,* Germanis *Arthois,* Vrbs primaria, *Aras,* ac *Atrecht.* Veromandui Vermandois, Germanis *Vermandien,* Vrbs primaria Fanum Quintini. Veromandui dicti quasi, *Vermannen* hoc est, viri procul ac è longinquo venientes. Aut a, *Veer-mannen* è producto quod sonat viros transferendis per flumina naui hominibus operam dantes. Vellocasses nominat cęsar, hos Plinius velliocasses. Ptolomeus Veneliocasses. Becanus vult dictos à *Veen-Caßeiers,* hoc est, Paludosarum Viarũ silicum stratoribus. Ego putarem eos non male deduci posse, à *Velle cassen,* qua voce significantur homines manticis pelliceis iter facientes instructi à *Vel-ac-Cas.* quæ plurium modo (seu vt scholæ loquuntur pluraliter) elata vellecassem faciunt. Cæterorũ appellationes, superioribus capitibus scripsimus. Hinc apparet, quam parum vetera olim à Romanis vsitata apud Francogallice loquentes, interciderint nomina, & quanta nominum rerumque, sit facta commutatio, apud Belgas etiam hodie Germanice loquentes, quique nil cum lingua Latina comune habent. Atqui iam satis de Veterum Belgio. Conuertamus calamum ad nostra tempora.

AD AMPLISSIMVM CLARISSIMVMQVE VIRVM D. IOANNEM A DREINCVVAERT DORMALÆ BVRHGRAVIVM, ÆRARY PRINCIPIS BELGARVM THESAVRARIVM.

Authoris Epistola Dedicatoria.

PERPVLSVS *à doctis aliquot Amicis Vir Clariss. post scriptam Rerum Belgicarum historiam, aliquid de veterum, nostriq; sæculi Belgio commentarer, superioris, huiusq; temporis scriptores, qui de eo digna memoriæ reliquere cum percurrissem, neminem repperi qui desijderio meo, per omnia satisfaceret, etsi non pauca acute obseruata, docteque explicata, sed nimis succincte conscripta, aut pro parte tantum tractata reperiantur. Re igitur mature, deliberateq; perpensa, quatuor me Libris, veterum, nostriq; temporis Belgicæ descriptionem, absoluere posse iudicaui, alia ratione, quam meo fecit tempore Lodovvicus Giucciardimus Italus, qui potius suo sæculo placere, quam posteritati consulere maluit. Primus Liber quale fuerit Belgium tempore Iulij Cæsaris (50. circiter annos ante natum Christum) successorumq; eius, ad inclinationem vsque Rom. Imperij, qualesque eius Prouinciæ, sigillatim explicaret, situm, limitesque demonstraret, quid singulis per se, aut omnibus in vniuersum, antequam domiti, subactique essent, cum Romanis negotij fuerit aperiret, denique quo modo in diuersorum Principum potestatem ruente Imperio deuenissent. Secundus vetusta nomina hodiernis conferret, etyma quibus olim ac hodie singulæ Belgarū Prouinciæ, fuere, ac sunt cognitæ, qua ratione qua tempore, & occasione appellationes, limitesque mutarint, adferret, tandemq; in singulis Prouincijs, præcipuorum locorum distantias (quidam Itineraria vocant) annotaret, ac qualis fuerit vniuersæ Belgicæ anno Christi 1600. facies, quibus paruerit Regibus, Principibusq; doceret. Tertius, Superioribus Belgicæ aut Germanicæ (vt eam olim Romani diuisere) Vrbium eius, Ciuitatum, Oppidorum, Municipiorum, Abbatiarum, Arcium, illustriumq; Castellorū, descriptiones, Ortus, progressus, conuersiones, res gestas, à Basilæa Rauracorum, ad Coloniam vsque Agrippinam demonstraret. Quartus Liber Inferioris Belgij aut Germanicæ illustrationē, eadem ratione à Colonia Agrippina, ad Oceanum vsque Batauicum, ob oculos ita proponeret, vt neque breuitas obscuritatem, nec iusta, plenaq; narratio fastidium pareret. Hos quatuor animus conceperat libellos, parturiens duos tantum edidit. Aggressus enim Opus, plus laboris, operæque quā existimaram repperi. Attulit eum non exiguum commentanti impedimentū, exilij diuturnitas, amissarum fortunarū calamitas, nutriendi corporis necessitas, negotiornm varietas, studij ob crebras, necessariasq; sedis mutationes deformitas. Si vitam Deus, otiumq; tribuerit, edere aliquando reliquos, hos vero iusto auctario ornatos, dare conabimur Libellos: Sin minus, alijs id operis, honorisq; relinquimus. Primum Librum qui de antiqua tractat Belgica, hoc est, qualis ea fuerit quingentis continius fere annis quibus cum vniuersa Gallia Romanis paruit, D. Christophero Assonleuillio, senex, seni offero. Alterum vero tibi Vir Amplissime, flori ætatis tuæ con-*

uenientem, dedico, præsentoque. Tractat enim de medii temporis Belgis, quum è Romanorum Imperio, in aliorum Principum potestatem, vi, aut libera voluntate concessissent, idque ad hunc Annum, 1600. Adiunxi fontes, decursus, ac Ostia præcipuorum Belgij fluminum Comparationem monetæ veterum Hebræorum, Græcorum, latinorum, ac peregrinorũ cum huius anni pecunia, mensuras longitudinum, quibus olim Hebræi, græci, latini, ac peregrini sunt vsi, nostris temporibus accõmodatas, postremo etymo variorũ nominum, vtriusq; sexus hominum Germanicæ originis. Hæc tuus Vir generose continet libellus, multis de causis tibi inscriptus. Nam vt taceam propensam, animi tui me iuuando promouendoq; beneuolentiam innatum erga litteratos candidi amoris affectum, liberalium Disciplinarũ notitiam ac reuerentiam, ingens mihi certe fuit calcar, communis patria Hollandia, in qua tu Dordrici, ego Delfis, è patritij ordinis Maioribus oriundi, summo iure me cõpulit, alumni sui Dreincvvartij claritatem, honoresq; posteris testificatis relinquerem, honorifica à Deo collata dona, mundo nota facerẽ. Vix enim adolescentiã egressus à Deo, Regeq; Catholico Philippo secundo (cuius memoriam splendoremque nulla abolebit vetustas) ad Rempublicam eaq; munia es vocatus, quæ primi ordinis viri nobiles, illustribus orti familijs, conceptis votis solent ambire. Primum enim rei frumentariæ ac Annonæ dicti Regi exercitus, per belgiũ es præfectus Pro Rege Ioanne Austriaco, ac Alexãdro Fernesio, quo munere diuersissimis temporibus, dubiis turbulentisq; aliquot annis, summa cum molestia, vitæ periculo, multorũ cum inuidia, exiguo commodo honorate functus, gratiam Rex pro immensis laboribus aliquo modo relaturus, ac quieti tuæ in posterũ nonnihil consulturus, onere liberat, interq; primos Aerari Belgici præfectos titulo Thesaurarii financiarum (vt loquũtur) locũ quem adhuc tenes dedit. Operosissimis his ita defungeris muneribus, vt Deo, Principi, Republicæ, ac probis omnibus satisfacias, neminemq; de te conqueri audiamus, quam qui dolent quod de iniustitia malitia, auaritia, inita cum factiosis inuidisq; conspiratione, suscepto contra eos qui Regia incedunt via odio, indignatione, ac inimicitia, accusare te iure, nec à litteratorum hominum amicitia, auellere non possunt. Sed tu hos contemne. Aurum enim ac munera inuenire Homeros ac Marones comparare non didicerunt. Commune & omnibus Viris Reipublicæ partem sustinentibus varie audire. Imperatores, Reges, summi Pontifices, ipseq; Deus Opt. Max. huius miseriæ non est expers, qui cũ optime de omnibus singulisq; semper mereatur, nec aliter quã bene facere possit nec velit, apud non paucos tamen quotidie male audit, accusatur, reprehenditur, calumniatur, traducitur, ac mille modis iniuriam ferre cogitur, nec ideo pro more, naturaq; sua, contemptis humanis iudiciis, quod bonum, rectumq; iudicat facere desinit. Sed quum operum eius causæ longissime à communis sensus rationibus distent, eiusq; captus ad eas non pertingat, non mirum plærosq; non solum commotis animis iracunde, ingrateq;, sed etiam stultissimè de iis iudicare. Accipies pro animi tui synceritate Vir Preclare, exiguum, sed serium, in bonam partem munusculum, meque intra litteratos Amicos, quo placuerit loco repones. Sufficit enim mihi si intellexero, inter tuos me numerari. Laborem verò Deo, Virisque probis commendo, qui nunquam de honestis conatibus quàm optimè, ac honorifice, sentire, iudicareque solent. Bruxellæ Brabantiæ Idibus Februarij, anni 1599.

Tuus vt Suus.

Pontus Heuterus Delfius.

DE BELGII STATV AC CONDITIONE, ANNO A NATO IESV CHRISTO, MILLESIMO SEXCENTESIMO.

CAPVT PRIMVM.

VETERIS Belgij, ad Imperij vsque Romani, Regnique Francogallici finem, hoc est, ad vsque tempora, Caroli Magni, Francicæ stirpis expulsoris, statu abunde explicato & quantũ è veteribus scriptoribus, rationibus, ac verisimilibus coniecturis elici potuit ad tempora nostra, accommodato, restat inspiciamus, quis nostro sæculo Belgij sit Situs, ac Facies, quæ eius Regiones, nomina, limitesq; , quales pręcipuorũ locorũ distantiæ, deniq; quibus ex hoc Anno, CIↃ. IↃ. XCVIIII. pareant Principibus. *Situs* igitur tertię partis Gallię, quæ Belgas complectitur, idẽ hoc nostro est tempore, qui olim sub Iulio Cæsare, si vniuersam Prouinciã animo complectaris ac aspicias, fuit: Si vero ad partes eius te conuertas, plane alius, longeq; ab illo diuersus sese tibi in omnes partes, animo, oculisq; offeret. Nam Rhenus, Mosa, cæteriq; præclariores Belgarum Amnes, plærisq; in locis cursum deserto veteri alueo non parũ mutauere. Minores vero aliquot fluuij, vetus nomen, antiquumq; cursum plane amisere, nouiq; non pauci nec contẽnendi, exorti sunt Riuuli ac Torrentes: alij plane exsiccatis, obstructis alueis aut alio deriuato fontiũ scaturigine intermortui aruere: alij ex ignobilibus, & haud multas olim trahentes aquas, Nobiles nunc ac famosi, aquarũ vim magnam nostro æuo voluunt. Ditiones aliquot olim continentes irruente, disiungenteq; eas Oceano, aut Amnibus, Insulę sunt factæ: Quæ olim Insulæ fuere, nũc cõtinenti iuncta conspiciuntur. Paludosi, vliginosiq; Campi ac Agri, olim vsum hominibus nec pecoribus præbentes, hodie fœcundissimi, aut ad pastum maioribus, minoribusque pecoribus præbendum, aut ad diuersa semina recipienda vtiles experimur. Flumina maris æstu turgentia, insanientiaq;, ingentibus eductis molibus in ordinem visuntur redacta, Syluæ, saltusque olim magnitudine, arborumque densitate horridi, stupendi, ac Romanis, Francisq; formidolosi, nunc aut maris fluminunque, inundatione euersi, in Lacus ingentes subsedere, aut humana industria, laboresque excisi, aratrum admisere, omniaq;, quibus humana necessitas, aut luxus indiget, copiose suppeditare didicere. Qua ratione Belgium ita habitari est cœptum, vt si veteribus Neruijs, Morinis, Menapijs, Aduaticis, Treueris, Tungris, Batauisque reuiuiscere daretur, fines,

limitesque suos non agnoscerent, hominum frequentiam, Vrbium, Oppidorumque multitudinem, Agrorum fertilitatem, fluminum translatos Alueos, Ripas aggerum Vallo obsessas, maris æstus certis terminis cohibitos, Varioru̅ Inciliorum, fossarumq; ductiones mirarentur & obstupescerent. Quid dicturos existimas, si ex omnibus Europæ Prouincijs homines apud Belgas mercatura̅ exercentes conspicerent? Asiæ, Africæq; Incolas idem facere viderent? Belgasque per vniuersum Orbem habitabilem Terra, Marique ad ipsos vsque Antipodas, discurrere audirent? Nonne mirarentur apud hos omnium Artificiorum, opificioru̅, Operarumq; exactissimos reperiri magistros? Liberalium Artium acutissimos, diuinissimosque passim conspici cultores, qui veteribus Hæbreis, Græcis, Latinis, Ægyptijs, Chaldæis, nec Assirijs vlla in re cederent? An credituros putas hos Artem Typographicam, Tormentaq; bellica, cœleste fulme̅, Tonitruq; imitantia, admirabili artificio, primos Europeoru̅ reperijsse, terrarumque Orbi communicasse? Classibus maria omnia sulcare? Admirabili fœcundissimaque maris, fluminumque piscatura, veteribus ignota, Europam, Asiam, Africam, ac Americam implere? totiusque Terrarum Orbis Dotes, Diuinaque munera, immensis congestis Opibus, ad se alexisse? Belgisq; inuexisse? Denique quum humanitate, hospitalitate, Diuitijs, luxu, voluptate, cum quauis Terrę Orbis certent Prouincia, belli tamen munia, studia, ac exercitium nunquam omisisse? sed cum ferocissimis, bellicosissimisque vicinis, exterisque Populis Terra, marique continuo decertare? Certe risurum non dubito Iulium Cæsarem bis libro sexto belli gallici scribentem: Nationem Gallorum, Relligionibus admodum esse deditam: si conspiceret, id non solum & hodie verissimum reperiri, sed insuper Belgas, omniu̅ fere quotquot in Orbe Terrarum sunt, Veterum, Recentiorumque Philosophorum, ac Relligionum Decreta amplexos, audacissime dijudicare, pertinaciusque his stabiliendis certare, quam olim maiores, pro libertate, Legibus, Aris, ac focis dimicarint. Sunt autem Veteris Belgij limites à varijs descripti & à nobis supra libro primo, capite quarto recitati. At hoc nostro sæculo Anno nimirum à nato Iesu Christo, 1599. Belgæ fines antiquos dudum prætergressi, eos trans Rhenum in ipsam Germaniam promouêre, non minore iure id sibi licitum iudicantes, qua̅ illi olim in Belgicam inuadere, eiusque partem sui iuris facere, violenta manu sunt ausi. Quæ autem Prouinciæ iam dicto Christi anno, Cis, ac Trans Rhenum Belgis annumerentur, aut connumerari debeant, Hæ sunt.

Ditio {
- Basiliensis. *Cis-Rhenana pro parte.*
- VVormatiensis. *Cis-Rhenana.*
- Coloniensis. *Cis-Rhenana pro parte*
- Argentoratensis. *Cis-Rhenana.*
- Spirensis. *Cis-Rhenana.*
- Moguntinensis. *Cis-Rhenana.*
- Treuerensis. *Cis-Rhenana.*

Ducatus {
- Cliuensis. *partim. Cis-Rhe.*
- Iuliacensis. *partim. Cis-rhe.*
- Geldrensis. *Cis-Rhenanus.*
- Brabantiæ. *Cis-Rhenanus.*
- Limburgi. *Cis-Rhenanus.*
- Lutzenburge̅sis. *Cis-rhe.*

Trans-

Trans-Iſalana, *cum* Truentia, *ac* Drentia. *Trans-Rhenana.*
Groningana. *Trans-Rhenana.*
Lingana. *Trans-Rhenana.*
Vltraiectina, *aut* Traiectina, *ad* Rhenum. *partim Ciſ-Rhenana, partim Tranſ-Rhenana.*
Friſia Occidentalis, ac pars Orientalis, *partim Ciſ-Rhenana, partim Tranſ-Rhenana.*

Ditio
Leodienſis. *Ciſ-Rhenana.*
Cameracenſis. *Ciſ-Rhenana.*
Picardienſis. *Ciſ-Rhenana.*
Rhemenſis. *Ciſ-Rhenana.*
Sueſſonum. *Ciſ-Rhenana.*
Bellouacorum. *Ciſ-Rhenana.*
Ambianorum. *Ciſ-Rhenana.*
Veromanduorũ. *Ciſ-Rhenana.*
Bolonienſium. *Ciſ-Rhenana.*
Ghuinenſium. *Ciſ-Rhenana.*
Caletorum. *Ciſ-Rhenana.*

Comitatus.
Zutfanienſis. *partim Ciſ-Rhen. partim Tranſ-Rhenanus.*
Namurcenſis. *Ciſ-Rhenanus.*
Hannoniæ. *Ciſ-Rhenanus.*
Hollandiæ. *partim Ciſ-Rhena.*
Zelandię. *partim Tranſ-Rhena.*
Flandrię. *Tranſ-Rhenanus.*

Denique quicquid Rheno Mâtrona, Sequanaque Ammibus, ac Mari Britannico, Gallico, ac Garmanico concluditur, veteris noſtriq; temporis Belgij ſunt Prouinciæ, à me hoc loco noſtri ſæculi nominibus recitatæ, quas addito ſingulis *Itinerario* (vt vulgo loquuntur) breuiter percurrere in animo eſt addereque ea, quæ ſuperioris libri capitibus conuenire non videbantur, vt quemadmodum nos veteres Belgas, apud antiquos quærimus authores, ſic poſteri noſtri Sæculi Belgium, ex hoc agnoſcant Libello. Et quanquã Doctiſſimi extent ſcriptores qui Belgarum Prouincias, pro merito deſcribere ſunt conati, aliquid tamen præclaris eorum laboribus, Lectori non inutile futurum, me additurum confido. Dabit veniam, ſi quid forte omiſſum, aut non ſatis fuerit trutinatum, animoque beneuolo, memor humanę imbecillitatis, errata caſtigabit. Incipiemus ab ortu Rheni.

De Ditione Baſilienſi, Argentoratenſi, Spirenſi, VVormatienſi, ac Moguntina.

Capvt Secvndvm.

Belgarum ea pars quam Germaniam Primam ac Superiorem, olim, & etiamnũ hodie dici, ſuperiori Libro, retulimus, Veteres continet Ditiones quatuor, noſtro ſeculo quinque, Imperij Germanici cui parent beneficio liberas, ſuiſque Legibus viuentes, nimirum, Rauracos,

cos, Triboccos, Vangiones, & Nemetes, ante Iulij Cæsaris in Gallias aduentũ Treueris, Mediomatricibus, aut Sequanis parentes, in quorũ hodie locũ successere, Basilienses, Argentoratenses, VVormatienses, Mogũtini, ac Spirenses. Basilæa Rauracorum primaria (de qua lib. 1. cap. 5. egimus) sęculis aliquot Imperij Germanici libera Ciuitas, Anno. 1501. & 1502. certo perpetuoq; fœdere in Heluetiorũ clientelarẽ concessit amicitiã. Occupat imposito Ponte vtrãque Rheni ripã, respicitq; in Germania liberas Imperij Ciuitates, in huius capitis Itinerario nominatas. Multis sæculis Antistitis sui nutum, authoritatẽq; obseruauit. Sed eius intra Vrbẽ Imperiũ abiecere, quũ inito cũ Heluetijs fœdere relligionis quoq; Christianæ antiquã decreta, vt nouis cõmentis parerent, cum parte Heluetiorũ mutauere. *Argentoratum* Triboccorum primaria post Alemannicas, Hunnicasq; ruinas restauratum, à Germanis Straetsburgiũ est appellatũ, Ciuitasque etiã Imperij libera facta Antistitis sui Imperiũ agnoscebat, quem tum etiam Vrbe eiecere, quum primũ Lutherus, deinde Zwinglius, postremo Caluinus, nouas Germanis Relligiones cudissent. Situm est ad Amnẽ Ellum, nunc Iblam dictũ, vnde tota Regio Ellatia Elsatia, ac tandẽ Alsatia est nuncupata. Habet haud procul Rheno in Ripa Gallica vicinas Ciuitates in capitis huius Itinerario positas. *Spira*, supra quã vnius germanici milliaris itinere Neccaris amnis in Rhenũ influit, non mutata Relligione paret Antistiti suo, Libera etiã Imperij Ciuitas, habetq; in gallica ripa, in quo vt cæteræ est cõdita, Ciuitates in Itinerario scriptas, quarũ vna est *VVormatia*, propriũ habens Præsulem cui in Vrbe non parẽt, ob mutata Relligionis dogmata, estq; primaria Vangionũ. *Mogontia* Archi-Præsulẽ habet, è Sacris Septemuiris vnum, qui nominandi, legendique Cæsaris, soli ius, inter Germanos accepere. Haud procul Moguntia, ad Oppidum Francofurtum, vltra Rhenum in Germania situm Mœnus Amnis (cuius Ammianus Marcellinus mentionẽ facit) in Rhenum labitur. Sequitur in Belgica Ripa Oppidum Bingium, haud procul Moguntia situm, vbi flumen *Naba* in Rhenum fluit, de quo Tacitus libro 20. hoc modo
" scribit: Tutor Treueris comitantibus, vitato Moguntiaco, Bingium con-
" cessit, fidens loco, quia Pontem *Naua* fluminis abruperat. Ex quibus ver-
" bis satis constat, olim Bingium Treueris paruisse, eosque in Nauam pontem habuisse. Sequitur VVesalia Superior, seu Cis-Rhenana: Summera ad Mosellam, Ghuerij, Bopparda, Confluentia, ita dicta, quod ad hoc Oppidum Treuerensi Antistiti parens Mosella in Rhenum perdito nomine cadat. De memoratis Populis ac Ciuitatibus vide supra libro primo capite 5. & 6. plura. Dictæ quinque Respublicę, ad gallicam Rheni ripam sitæ, habent ab Oriente Ducatum VVirtenbergij, Sueuiam, ac Franconiam: ab Occidente Lotharingiam, & Alsatiam: à Septentrione, Hassiam, Ditionemq; Lutzeburgensem: A Meridie, Heluetiam, ac Burgundiæ Comitatũ. Nunc in gratiam ac commodum posteritatis, dictarum Regionum, Vrbium, Ciuitatum, Oppidorum, Municipiorum, Arcium, præclariorum Pagorum, ac Monasteriorum Itinerarium

Basilæa. Argentoratum. Spira. VVormatia. Moguntia.

rium huic capiti adiungamus,idemque in ſequentibus obſeruemus, vt poſteri videant, quis noſtro ſæculo Belgij,viciniæque eius fuerit ſtatus,quæ Oppida, quæque eorum ab inuicem,ac primaria Vrbe interualla, diſtantiæque , eaque cum ſuis collata temporibus , perſpiciant rerum humanarum conuerſiones, diſcantque Cœli ac Terræ Dominum Rectoremq;,infinite potentem,ſapientemque,hanc rerum mutationem in hoc totius Vniuerſitatis puncto centroq; non veſtigabili,ſed iuſto ſalutarique conſilio, inuiolabili lege , rationeq; conſtituiſſe. Digeram autem poſthac ſingula Itineraria,non per Romanos paſſus, neque Græcorum Stadia,Perſarumque paraſangas, ſed per milliaria ſeu Gallorum Leucas,Ammiano etiam Marcellino vſitatas , quod paſſuum , Stadiorum,ac Paraſangarum rationem,non æque omnes capiant , qui latina legunt. Milliaria vero,quanquam incerta ſint,& varia,diuiſaq; hodie in Minora,Mediocria,& Maiora,omnes tamen Prouinciæ,Regna,& Reſpublicę Chriſtianę, cognoſcunt. Quoniam vero certi nihil ex ijs in hiſtoriarum Lectione ſtatui poſſit,bene quidem in Topographicis Tabulis,ad Circini proportionem aptatis,addam Itinerarijs dies, ac horas , hoc eſt , demonſtrabo , quot dierum ac horarum ſpatio (vt res poſtulabit) expeditus,ac in flore ætatis conſtitutus pedes,ab vna ad aliam Vrbem, Ciuitatem,Oppidum,Municipium, Pagum, Arcem,Caſtrum,famoſamque Abbatiam,iter abſoluere poſſit. Dies autem cum nomino , intelligo Æquinoctiales, vt ſunt Sole Arietem , ac Libram ingrediente,hoc eſt,duodecim horarum Belgicarum , quæ illis nocte dieque toto anno ſunt æquales,Diemque Ciuilem (vulgus Artificialem appellat , viginti quatuor horarum ex die nocteq; conſtans, quem illi vernacula lingua vocant: *een Etmael*:) in viginti quatuor æquas partes, quas horas vocamus,diuidunt,bis duodenario repetito numero,ita vt ſemper Meridie,Sole Zenith noſtrum attingente,æs campanum duodecies,ac tantundem intempeſta nocte, quæ Meridici opponitur,ſonet mox prima,ſecunda,tertia,quarta,quinta,ſexta, ſeptima, octaua, noua, decima, vndecima, duodecima , rurſumque prima , ſecunda, & ſic deinceps , idque ære Corinthiaco , Clepſidra , aut alio inſtrumento referat. Horas autem Diei Naturalis , quod vt Dies nunquam ſibi ſint ſimiles neque æquales,ſed pro Solis ad ſingularum Regionũ Horizontem acceſſu, aut abſceſſu, minuantur,aut creſcant reijcio,etſi ijs hodie Italia & Oriens, incommode,vt & olim vtantur. Contra Ciuilis Diei horis , vniuerſa (excepta Italia) hodie fere vtitur Europa Chriſtiana.Iam igitur ad Itinerarij Belgij Superioris,aut Primæ Germanię,compoſitionẽ nos accingamus Vrbiũ,Oppidorũq; eius nomina,vt ea incolę hodie proferũt, additis interuallis ac diſtantijs, ob oculos Lectori ponamus. Agemus autem primũ de milliaribus germanicis maioribus,quorũ ſingula paulo plus,duabus iam dictis indigent horis vt à pedite noſtro abſoluantur.Cum vero agemus de Brabanticis milliaribus hoc eſt, de Belgicis communibus , intelligimus quæ paulo plus vel minus dicta hora, ab eodem confici poterunt. Referemus autem ſingularum Prouinciarum Itineraria,

neraria primo ad primariam Prouinciæ suæ Vrbem: hanc ad Mechliniam, Belgij hodie vmbilicum fere obtinentem: Illam ad Coloniam Agrippinam, Nobilissimam, maximamque meo tempore Belgarum Vrbem, è qua facile per totam Germaniam, Galliam, aliasque Regiones, itinerum computationes fieri poterunt. Abest autem Basiliça Rauracorum, Colonia Agrippina, dictis germanicis milliaribus maioribus circiter sexaginta, itinere dierum æquinoctialium, decem: Mechlinia vero septuaginta quatuor, diebus quatuordecim absoluenda.

In Germanica Basilaæ Ripa, Sequentes sunt Ciuitates ab ea distantes Sequentia milliaria, Conficienda Horis vt Sequitur.

Badenwiler	*milliaria*	*tria*	*absoluenda horis*	*septem.*
Friburg	mill.	6	hor.	14.
Brisach	mill.	6	hor.	14.

In Gallica Basilieç Ripa, hæ sunt Ciuitates, ab ea distantes:

Blumberg	mill.	4	hor.	9.
Laufenberg	mill.	4 ½	hor.	10.
Mulhausen	mill.	3	hor.	7.
Hatstat	mill.	7	hor.	16.
Dan	mill.	5	hor.	12.
Otmarsen	mill.	3	hor.	7.
Rufach	mill.	6	hor.	14.
Masmunster	mill.	5 ½	hor.	12.
Colmar	mill.	9	hor.	20.
Schlestat	mill.	12	hor.	25.

Abest Argentoratum, Colonia Agrippina, dictis germanicis maioribus milliaribus circiter triginta quinque, itinere dictorum Dierũ sex: Mechlinia verò sexaginta, absoluenda diebus decem. Distant autem hæ Argentorato versus Orientem & Septentrionem, in Ripa Gallica Ciuitates:

Bade / Sabern	mill.	5	hor.	10.
Hagenau	mill.	5	hor.	11.
Ratstat	mill.	5	hor.	10.
Reinzabern / VVeissenburg	mill.	7	hor.	15.
Landau	mill.	21	hor.	45.

Spira distat Colonia Agrippina, memoratis milliaribus Germanicis viginti septem, itinere dictorum dierum quinque: Mechlinia vero ferme quinquaginta, pediti nostro absoluenda, diebus octo. Absunt Spira versus Septentrionem & Orientem hæ Ciuites:

Keyserslautren	mill.	8	hor.	16.
Leiningen	mill.	6	hor.	14.
VVorms	mill.	5	hor.	10.
Oppenheim	mill.	8	hor.	16.
Mens	mill.	10	hor.	22.
Binge	mill	12	hor.	25.
VVesel Cis-Rhenana	mill.	14	hor.	29.
Summeren	mill.	15	hor.	32.
Seint Ghuuer	mill.	15	hor.	33.
Boppart	mill.	18	hor.	38.
Cobelents latine Confluentia	mill.	20	hor.	46.

De Ditione Vbiorum Cis-Rhenanorum, seu Coloniæ Agrippinæ.

CAPVT TERTIVM.

IN Vbiorum Cis-Rhenanorũ, Seu Coloniæ Agrippinæ finibus, in Inferiorem Germaniam, Seu Belgicam Secundã fiebat transitus. Nil enim nos de Germanorum Superiori, ac Inferiori diuisione, quã hodie sua lingua *krais* vocãt, hic tractare statuimus quamquã ex hac Romanorum partitione, sine dubio ortum habeat, ac inter eos remanserit. Neque etiam eos sequendos, neque refutandos nobis proposuimus, qui Belgicã primam & secundam, in Inferiori tantum Germania constitui volunt, in Superiori minime, sed constitutæ diuisioni insistentes, dicimus Coloniam Agrippinam in gallica habere Ripa, Andernacum, Reinbaccũ, Bonnam, Carpam, tum ipsam Coloniam Agrippinam, deinde VVoringam, Sonsium, Nucium, vbi Erpa fluuius Rhenum influit, tum Ordingam, Orsium, Meursium, Berccam, Buricam, Alpam, Sanctum, Sonsbecam, Grietam, Calcariam, Griethusam, Cleuam, infra quam mox Rhenus ad Arcem Lobecanam in duo se scindens brachia, Insulam efficit veteris Batauiæ. Quod iuxta dictam Cleuam ad ripam Gallicam fluit brachium, VVahalis vocatur: Alterum ad Germanicum decurrens littus, Rheni nomen seruat. Ad Germanicam Ripam Colonia Agrippina hæc habet Oppida, Duisseldorpium à Druso nominatũ, ac è regione Nucij situm, Keiserswaerdam, Duisburgum, etiam à Druso appellatum, infra quod Rheno se iungit Rura Trans-rhenanus, diciturque locus Ruirortum, sequitur VVesalia inferior seu Trans-rhenana, vbi Luppa aut Lippa amnis

Rheño se immergit,tum Isalburgum, Anholtium,ad Isalam Trans-rhenanam sita Oppida,cui Isalæ (opera, ac auxilio Fossæ Drusianę aquas suas Rhenus ad Oppidum Doesburgum, itidem à Druso denominatũ communicat. Sequitur in eadem germanica Ripa Resum,ac Emmericum Oppida, infra quod ad Arcem Lobecanam,in Ripa germanica vt Cleuæ in gallica se scindens ab hac parte Rhenus,ad germanicam Ripam fluit seruato Rheni nomine, idque ad Oppidum vsque Vianam (olim Romanis Dianæ fanum) vbi Rheni appellatione reiecta,Lecca nominari gaudet. Anumeratæ sub Colonia Agrippina,ab vtraque Rheni ripa Ciuitates & Oppida, partim sunt liberæ, partim Archi-Præsuli Coloniensi,aut Cliuię Duci hodie parent,ita inter se diuersorum Dominiorum immixtis Oppidis, vt velint nolint, amicitiam colere cogantur. Amplissima est Archi-Præsulis, seu Septemuiri Coloniensis hodie Ditio extensaque Cis, ac Trans Rhenum, ita vt non dubitem eorum Imperium, ex veterum Vbiorum Trans-Rhenanorum, ac Cis-rhenanorũ Limitaneis constare Agris, quod non vno admonet loco Beatus Rhenanus Comment: Rer. Germ.docens idem in omnibus, veterũ Præsulum Ditionibus obseruandum. Vrbs Colonia libera est, exiguaque admodum Præsuli in ea est iurisdictio, quemadmodum Senatui fere nulla est extra Vrbis pœmeria, omnis ibi Præsulis nutum respicientes eique parentes. Habet Colonia ab Oriente Hassiam: ab Occidente Geldriam, Limburgios, ac Leodios: A Meridie, Moguntiam, VVormatiam,&c. A Septentrione Cliuiam,VVestfaliam,Frisiam. Nunc Itinerariũ demus Oppidorum Coloniam Agrippinam, Trans ac Cis Rhenum respicientium. Distat autem ea Mechlinia milliaribus germanicis maioribus circiter. 24. Brabanticis vero ferme. 40. pediti nostro facile diebus quatuor conficienda.

A Colonia Agrippina: in Gallica eius Meridionali parte, distat.

Bon	mill.	4	hor.	6.
Carpen	mill.	3	hor.	4.
Lintz, Reinbach	mill.	5	hor.	8.
Andernach, Alten	mill.	8	hor.	14.

Ab eiusdem Septentrionali Gallico latere, distat.

VVoeringen	mill.	3	hor.	6.
Sons	mill.	3	hor.	8.
Nuis	mill.	5	hor.	12.
Ordingen	mill.	8	hor.	16.
Orsoy	mill.	9	hor.	20.
Meurs	mill.	8	hor.	14.

Berc

Berc	mill.	10	hor.	20.
Buric	mill.	11	hor.	22.
Alpen	mill.	10	hor.	20.
Kempen	mill.	8	hor.	18.
Sancten	mill.	13	hor.	25.
Sonsbeec	mill.	13	hor.	26.
Griet	mill.	12	hor.	24.
Calcar	mill.	12	hor.	22.
Griethauſen	mill.	14	hor.	26.
Cleue	mill.	15	hor.	32.

Trans-Rhenana Coloniam Agrippinam reſpicientia, ac pro parte agnoſcentia Oppida Septentrionalia. Diſtat ea.

Duiſſeldorp	mill.	5	hor.	12.
Keiſerswaerd	mill.	6	hor.	14.
Duisburg	mill.	7	hor.	16.
Dinslaken	mill.	9	hor.	18.
VVeſel ande Lippe	mill.	11	hor.	24.
Iſelburg Zutfaniæ	mill.	13	hor.	28.
Anholt Geldriæ	mill.	14	hor.	28.
Rees	mill.	13	hor.	26.
Emmeric	mill.	15	hor.	32.
Rijngeberch	mill.	12	hor.	25.
Tſerenberch	mill.	16	hor.	34.
Lobeec Tolhuis	mill.	16	hor.	36.
Dortmund	mill.	11	hor.	24.
Rekelinchauſen	mill.	11	hor.	25.
Dorſten	mill.	10	hor.	23.
VVerden	mill.	7	hor.	12.
Lennep	mill.	5	hor.	10.

De Ducatu Iuliacenſi ſeu Gulichenſi.

CAPVT QVARTVM.

VIcinus eſt Ditioni Colonienſi, Ducatus Iuliæ, hoc anno 1599. Cliuiæ Duci parens, totaque Prouincia eſt Belgica & Ciſ-Rhenana, non admodum ampla, ſyluis, ſaltibuſque impedita, campis tamen paſcendo pecori, agriſque ferendo tritico, ac ſiligine fertiliſſimis abundans, peramœna, exiguis habitata oppidis, excepta primaria, *Dura*, ciuitate pulchra, ſatiſque ampla, Pagis, vero, Viciſque populo abundantibus frequens eſt. Amnibus aliquot vix nauigabilibus irrigatur, è quibus

præcipui ſunt Erpa Nucij Rhenum influens: Rura Ciſ-Rhenana, Rurmondæ Geldriæ oppido à ſe denominato, Moſæ ſe immergit: Neua, Gennepij quoque in Moſam cadit: VVorma dictæ Ruræ coniuncta Moſam petit, ſuiſque aquis auget. Oritur autem Erpa duobus Colonia Agrippina milliaribus, Ditionemque Iuliacenſem in ſuperiori latitudinis parte ſecans, rectaque Nuciũ tendens, duobus oſtijs in Rhenum aquas ſuas exonerat. Gugernos olim has Sedes habitaſſe, non eſt dubium, vt ſatis è Taciti verbis lib. 20. & 21. patet, ſi quis ea cum iudicio attente perlegerit. Noueſium enim ſeu Nucium, Bonnam, Geldubamque, vicinos Gugernornm facit, vt ſupra lib. 1. cap. 13. annotauimus, vbi de his plura. Adde quod vernacula lingua, incolæ veterem videntur ſeruare denominationem, ſe, ac Ditionem appellantes, Gulcheren, non Iulien. Regio in longitudinem non amplius habet præter duodecim milliaria germanica minora, ab oriente in occidentem ducta: Latitudo tantum ſeptem, à meridie in ſeptentrionem tracta non excedit. Habetque ab oriente Coloniam: ab occidente Leodios: à Septentrione Geldriam: à meridie Lutzenburgios. Ad Amnem Erpam quinque oppida ſita conſpiciuntur, trium milliarium eius Regionis diſtantia inuicem tantum ſeparata, hoc eſt, decem noſtrarum horarum itinere. At Colonia Agrippina abſunt, milliaribus quatuor, itinere horarum 10. aut 12. Sunt autem hæc: Berchem, Bedwer, Caſter, Sgrauenbrouc, Einſkirchen. Iuliæ Itinerarium, ad amnem Erpam referimus, qui quinque milliaribus germanicis, hoc eſt 12. horarum itinere, Colonia Agrippina diſtat. Mechliuia circiter 35. trium dierum itinere. Diſtat igitur à flumine Erpa.

Duren	*milliaribus*	*tribus*	*horis*	*ſeptem.*
Gulic	mill.	3	hor.	6.
Linnich	mill.	3	hor.	8.
Rangeroy	mill.	3½	hor.	9.
Gelekirchen	mill.	4½	hor.	12.
VVaſſenberch	mill.	3½	hor.	9.
Henſberch	mill.	5	hor.	12.
Sittert	mill.	6	hor.	14.
Gangel	mill.	5	hor.	12.
Vucht	mill.	6	hor.	15.
Glabbleec	mill.	2½	hor.	6.
Dalem. Dulckem	mill.	3	hor.	8.
Bruggen	mill.	5	hor.	12.
Nilendorp	mill.	2	hor.	5.
Aldenhozen	mill.	4	hor.	8.
S'Hertogenrode	mill.	3	hor.	7.
Mollen	mill.	3½	hor.	8.

Midecc

Mideec	mill.	5	hor.	7.
Mensou	mill.	6	hor.	10.
Nieustat	mill.	6	hor.	12.
Susteren	mill.	7	hor.	12.
Erckelens, Ditionis Geldriç at in Vmbilico Iuliæ situm, distat Erpa.	mill.	2½	hor.	5.

De Treueris ac Mediomatricibus.

CAPVT QVINTVM.

DE his duobus Populis lib.1.cap.7.prolixe scripsimus, eo lectorem remittentes. Hoc vero hic est monendũ, mediomatricũ nomen planè interijsse, nisi eius vestigium, in Vrbe primaria Meds, Mets, ac Maitz abiectis posterioribus syllabis, cum Beato Rhenano extare velimus. Is eam olim Diuodurum dictam vult, quod Tacitus lib.7. insignem accepisse cladem, à seditiosis Romanorum militibns scribit, perijsseque ferro, quatuor millia ciuium, Vrbisque excisionem, Ducum præcibus prohibitam. Insignem igitur celebremq; Vrbem fuisse necesse est. Sunt qui tradant Theonis Villam, nunc Francogallis, Thionuille, germanis Dietenhoue dictam veterum fuisse Diuodurum, quod mihi verisimile nõ videtur. Vtatur suo lector iudicio. Vrbs vero Metensis libertatem à Germaniæ Cæsaribus recuperatam in Annum vsque Christi: 1552. fortiter, ac prudenter conseruauit. Tum Ciuium aliquot primariorum proditione in manus Heinrici secundi Francorum Regis peruenit, qui adempta ciuibus libertate, non solum in hunc meæ scriptionis Annũ eos graui, continuoque, peditum, equitumque præsidio semper pressit, sed insuper munito Castello humeris Ciuium, excelsiori Vrbis parte condito, vt ne gemere quidem, imo nec hiscere sub iugo audeant, effecit. Ciuili hoc nostri sæculi bello pręsidiarij non exiguas calamitates, Lotharingis, eorumque vicinis intulere, donec ab ijsdem reddita talione, in ordinem redacti, modestius agere didicere. Etymon vocabuli Metz aut Maitz varij inquirere sunt conati, coniecturasque non omnino inanes nec vanas plærique attulere, petitas (vt necesse est) è lingua germanica. Beatus, vt dixi, Rhenanus, truncatum vult Medts, à Mediomatricibus, quorum qui etymon è latina lingua conantur ducere, operam perdunt, quum ea ante Iulij Cęsaris aduentum, gallis omnibus fuerit ignota. Ego vt etiam aliquid cum cęteris Coniectatoribus in medium adferam (memor Prouerbij: bene qui Coniecerit hic Vates optimus esto) videntur mihi olim Mediomatrices appellati à vicinis germanis vnde erant orti, ac quibus cingebantur: *Medemaetrijck*: quod è tribus compositum significantibus germanicis monosyllabis (quibus hæc lingua, non minus Inferior quam Superior, abundat, ac proinde compositione fœlicissima) *Meed: Maet*: ac *Rijc*, sonat

diuitem ac abundantem fidelibus ſocijs. Hanc compoſitionem Romani non intelligentes, facile corruperunt, ac Mediã matricẽ confinxerunt. Apertiſſimum enim eſt, omnibuſque notum, germanicum vocabulum *Rijc* (quod diuitem ac opulentem ſonat) Romanos detorſiſſe ac deprauaſſe in, *Rix*, vt: Vercingetorix, *Verzintgoetrijc*: Cingetorix, *Zintgoetrijc*: Orgetorix, *Oltgoetrijc*: Dunorix, *Dunenrijc*. Ambiorix, *Amptrijc*, ac *Ambibtrijc*, quæ nomina apud Cæſarem non ſemel reperta ac in: *Rix*: deſinentia, *Rijc*, gallo germanis ſonabant. Cætera fœlicioribus ingenijs, explicanda relinquimus. Abſit tantum amara, ac imperioſa reprehenſio. Nil enim hac aliud obtinemus, quam quod ſtultam, arrogantemque iactantiam, proprie imbecillitatis obliti, denudamus. Cui hæ non placent coniecturæ eas reijciat, ſuas, aliorumque ſequatur, maneatq; erga boni conatus Authores, Viro probo digna benevolentia. *Treuiri* hodie eandẽ quam olim ad moſellam poſſedere, ſeruato antiquo nomine inhabitant Ciuitatem. Germanico enim ſermone, quo etiamnũ vtuntur Vrbem, *Trier*, vocant, voce monoſyllaba: Francogalli; *Treues*, diſſillabem, Romanæ pronuntiationi propinquiores. Vrbs crebris cladibus, expugnationibuſque adeo faciem mutauit, vt veteris magnificentiæ, ac potentiæ veſtigia, ruinæ tantum, ac rudera demonſtrent. Attamen præclara etiamnum hodie eſt Ciuitas, ampla, ac viſu digna, libertate Imperij germanici vtens. Præeſt illi, vniuerſæque Ditioni Archi-Præſul è tribus Sacris Germanicę Belgicæ Septemviris, qui ad Cæſarũ electionem ſunt inſtituti, vnus. Hunc certis, honeſtiſque legibus ſalua libertate, in hodiernum vſque diem, conſtantiſſime agnoſcunt, ac reuerentur. Et certe non ſine diuina ope factum videmus, vt illi viciſſim in hanc vſque horam Præſules ſint nacti, qui Patrum Relligioni, eandem præſtiterunt fidem, conſtantiam, fauorem, ac amorem. Manſit in præſentem vſque diem Ager Ciuitatis Treuerenſis ſatis amplus, ac extenſus, per vtramque moſellæ amnis ripam, ad Rhenũ vſque, Oppida habens non pauca, ac inter hæc Confluentiam, ad moſellæ oſtium ſitam, Pagos, ac Vicos multos, nobilium ſuperbas Arces complures, in quæ tamen omnia non Ciuitas Treuerenſis, ſed Archi-Præſul imperiũ habet, ita vt non exiguam etiamnum portionem, veteris Treuerici Imperij retineat. Etymon nonnulli putant ductum è veterum germanorum faſtu ac iactantia, quem militari inceſſu exprimere vultu, pedibuſque conabantur ac proinde dicti: *Treetvuir*: ſignificare volentes ſe tanta animorum confidentia ac ardore, ad pugnam properare; vt Viri, equique inceſſus vehementia ignem calcatis è ſilicibus, imo ex ipſa terra prouocarent. Ride ſi lubet, attamen ſimilibus etiãnum hodie vulgus gaudet nominum inuentionibus. De corruptis olim Treuirorum moribus, quaterq; expugnatæ, deletęque Vrbis pulcherrimæ, magnificentiſſimæque ruinis, lege Saluianũ Antiſtitem Maſſilienſem libro 6. de Vero Iudicio & Prouidentia Dei. Admirabilia enim de Treuiris, ac fere incredibilia ſcribit. Hæ duæ inuicemque vicinæ Prouincię habent ab Oriente Haſſiam ac Franconiã: ab Occidente Lutzenburgios: A meridie Lotharingos: A Septen-

trione,

Treuiri.

trione Geldros ac Iuliacos. Distat Treuiris Colonia Agrippina circiter 20. milliaribus germanicis maioribus: Brabanticis: 40: itinere trium dierũ cum dimidio. Mechlinia vero milliaribus brabanticis: 60. dictis germanicis 40 diebus septem conficienda. Metz, vero abest Colonia Agrip. dictis germ. mil. 30. brabanticis: 64. diebus etiam septem absoluenda. Mechlinia Metz distat dictis germ. mil. 36. brabanticis 80. diebus octo peragenda.

Distat ab Vrbe Treuirorum.

Bergcastel	mill.	5	hor.	10.
Simmeren	mill.	10	hor.	20.
Kirberch	mill.	13	hor.	25.
Birkenfelt	mill.	5	hor.	10.
Cussel	mill.	6	hor.	12.
Lutrec	mill.	14	hor.	28.
Freudenberch	mill.	4	hor.	10.
Zarbrug	mill.	13	hor.	28.
Valkenburg	mill.	10	hor.	20.
Lieustat	mill.	20	hor.	45.
Dietenhoue	mill.	8	hor.	18.
Boppart	mill.	15	hor.	28.
Vistingen. VVich. Numein	mill.	16	hor.	35.
Arle	mill.	10	hor.	20.
Ettelbroui	mill.	5	hor.	10.
Litzburg	mill.	4	hor.	9.
Viriburg. Statkijl	mill.	9	hor.	18.
Arburg	mill.	10	hor.	20
Bingc	mill.	15	hor.	29
Sint Ghuier	mill.	15	hor.	28
VVesel *superior seu Cis-Rhen.*	mill.	15	hor.	31.
Cobelentes	mill.	16	hor.	36.

Distat ab Vrbe Metensi.

Nancij	mill.	10	hor.	10.
Sainct Nicolas. Sainct Michiel.	mill.	13	hor.	13.
Aspremont	mill.	10	hor.	9.
Sorsey	mill.	20	hor.	18.
Sosin	mill.	24	hor.	24.
Vallis	mill.	28	hor.	28.

Toul	mill.	13	hor.	14.
Danubet	mill.	24	hor.	25.
Baian	mill.	20	hor.	20.
Rauon	mill.	28	hor.	28.
Pont, à Musſon	mill.	5	hor.	5.
Momedij	mill.	10	hor.	10.
Damuillers	mill.	10	hor.	12.
Vaudemont	mill.	30	hor.	28.
Iamais. Vini	mill.	12	hor.	2.
Leneuille	mill.	22	hor.	20.
Montrollant. Blaumord.	mill.	23	hor.	22.
Sainct Didier	mill.	28	hor.	25.
Sauerne	mill.	30	hor.	28.
Salſburg	mill.	24	hor.	22.
Marſai	mill.	20	hor.	18.
Amanſe. Momenij.	mill.	11	hor.	10.
Verdun. Foux	mill.	20	hor.	18.
Trier	mill.	25	hor.	25.

De Ducatu Geldriæ, Cliuiæ, ac Comitatu Zutfaniæ.

CAPVT SEXTVM.

Geldria.

OMiſſis fabulis quæ de etymo nominis Geldriæ adferuntur, nec confutationem merentur, dicimus hanc appellationem Regioni adhæſiſſe ex oppido eius nominis hodie etiamnum extante dicto, Gelder quod haud dubie è veterum Gelduba, inde olim non procul ſito denominationem retinuit, Regionique dedit, cuius quanquam Cæſar non meminerit, Tacitus tamen lib. 20. eius mentionem non ſemel facit, in hunc modũ
„ ſcribens: Ingreſſus Noueſium (nunc Nucium) tertiadecima legio coniungitur.
„ Additus Voculæ in partem curarum, Herennius Gallus Legatus, nec auſi ad
„ hoſtem pergere, loco Gelduba nomen eſt, caſtra fecere, vtque præda ad virtu-
„ tem incenderentur, in proximos Gugernorum (nunc Iuliacenſes) agros, qui
„ ſocietatem Ciuilis acceperant, ductus à Vocula exercitus. Et paulo poſt: Al-
„ latis mox Geldubam in caſtra nuntijs, eadem dicta, factaque. Et iterum poſtea:
„ Interim Ciuilis Vetera (nunc Sancten) obſidet. Vocula Geldubam, atque inde
„ Noueſium conceſſit. Ciuilis capit Geldubam. Et iterum: Tot bellorum victo-
„ res apud Geldubam, apud Vetera, toties fuſo hoſte, ſi pauetis aciem, indignum id quidem. Ex his locis diſertè clareque apparet, Geldubã Noueſijs, Gugernis, ac Veteribus fuiſſe vicinam. Sed interierit ne Gelduba, an hodie vocetur Geldra aut vt ſentit Glareanus ſit Glabbeec Iuliacenſiũ, certi nil aſſirmari poteſt.

Ad

Ad Rheni Ripam, olim fuisse sitam Geldubam nullus docere potest, imo coniecturæ in contrarium sunt, Nouesio tamen propinquā fuisse ex Tacito aperte constat. Quorum locorum testimonijs persuasus, ego facile in eam adducor opinionem, deletam veterem esse Geldubam, ac ex eius ruinis superstites ciues, primum Pagos, Villasque, deinde ex his Oppidula, contra vim fecisse, è quibus duo hodie vetus nomen imprimis retinere videntur, Geldra, nimirū sex nunc milliaribus, hoc est, decem circiter horarum itinere, Nucio distans, ac *Glatpach*, seu *Glabbeec* Iuliæ Oppidulum, duobus tantum cum dimidio milliaribus Nucio separatum, quinque scilicet horarum interuallo. Accedat qui volet sententiæ Lector. Romanis, Francis, Vuiltis, Danis, ac Nortmannis, his è partibus eiectis, Germaniæ Cæsares Regionem sui iuris fecere, ac primum Oppido Geldra, vicinisq; locis Præsidem dedere, quem vernacula dixere lingua: *Die Voocht van Gelder*: quod Tutorem, Curatoremque Geldriæ sonat, quæ tandē Præfectura Germanorum Cæsarum liberalitate, è vitali hæreditaria est facta, seruantes sibi Cæsares, Patronalem authoritatem ac potestatem, eosque beneficiariorum Clientium loco habentes. Exiguos primum limites *Voochdy* possidere, mox nuptijs, ac bello aucti, donec Otto Nassauij Comes nuptijs vxoris *Voochdiæ* Dominus ac Zutfaniæ Comes factus Geldræ in posterum Comitis quoque Titulum, Cęsaris consensu communicauit, quo contenti mansere vsq; in Annum Christi, 1339. Tum enim Reinoldus nominis secundus Geldriæ Comes, à Cæsare Lodowico quarto Dux est renunciatus, quo in hunc vsque diem Titulo eius vtuntur Principes. Plura petens Geldriæ ac Zuthaniæ genealogiam consulat. Oppida Ducatus Geldriæ Cis, ac trans Rhenum sita, etsi ob fossam Drusianā merito hodie omnia sint Cisrhenana ac in Veluwa conspiciuntur, hæc sunt: Arnhemum Tacito Arenacum, alter Geldriæ oculus, Prouinciali Concilio, quod Cancellaria appellatur celebre: VVageninga Tacito Vada: Tseuenberga proprium habet Comitem Geldriæ Ducis beneficiarium: Harderwica: Elburgum: ac Hattemiū: Cisrhenana ad Mosam spectantia sunt: Montvoortium: Ruremonda: Venlonium: Gennepum: Batenburgum proprium habet Dominū Geldro beneficiarium: Megenum proprium habet Comitem Geldro ac Brabanto beneficiarium, quod hoc sibi vterque Oppidum asserat, ideo vtriusque Itinerario iunxi, quemadmodum Grauam, ac Rauesteinium, in quo etiam vterque Dux ius vendicat. In ipsa Geldriæ Voochdia hęc sunt Oppida: Geldra: Strala: VVachtendoinckium: Goh. In parte Batauiæ, hodie Geldriæ attributæ ad VVahalim Amnem sita visuntur: Neomagū prior Geldriæ oculus: Tila: Bommeliū, indeque haud procul fluens inter Rhenum ac, VVahalim Amnis Linga, Oppidum habet Buram proprio Comiti, Geldriæ Ducis Clienti parens, infraque hoc Oppidum Culenburgum (quod Ammiani Marcellini Quadriburgum existimo. Herculis enim castris, nunc Harkel, ac Arkel dictum ei vicinum, facit vt ita credam) ad Rheni ripam infra Insulam Batauiam conspicuum, propriū etiam habens Com: Geldro beneficiarium.

rium. Confinis ac limitaneus ad ripam Mosæ est Geldriæ, Comitatus Hornæ, in quo Ius Patronale prætendit, Gelder, Brabantus, ac Antistes Leodiensis, vbi hæc sunt oppida: Horna: VVessena: ac primarium VVaertum. Hæc de Geldriæ Ducatu, pro nostro instituto satis. Habet Geldria ab oriente Cliuiam: ab Occidente brabantiam & Hollandiam: a Septentrione Frisiam, ac Sinum Meridionalem. A meridie Iuliacenses. De Ducatu Cliuiæ, qui etiam est partim Trans-Rhenanus, partim Cis-Rhenanis, nihil in medium adferam, remittens lectorem ad genealogiam Cliuiæ, primo historiæ nostræ Tomo iunctam. Hoc addo: Regionem nomen habere ab Oppido Cleua, quod vernacula appellant lingua: *Cleef*: monosyllabum haud procul vbi se Rhenus in duo brachia scindens ædificatum, exiguum quidem, sed elegans & opulentum. Cliuia olim, vt Geldria in vtraque Rheni ripa pro maxima parte fuit habitata, primum à vetustissimis Gallis: Deinde à transeuntibus violenta manu Rhenum Germanis, qui se Menapios dixere, postremo à Sicambris. Sed Menapijs cito ijs locis eiectis, augusto Cæsare volente, ac iubente, successere Sicambri, Tungri, Bataui, postea Franci, VVilti, tandemque Dani, & Nortmanni, qui quanquam fixis sedibus non diu his locis hæserint, Galliam interiorem petentes, Colonias tamen non paucas, in Cliuia, Geldria, Vicinisque Regionibus reliquere. Etenim instar turbinis, ac fulguris, Nortmanni Belgas, partemque Germaniæ ei vicinam peruagantes, postremo in Gallijs, ad Sequanæ Ostium consederunt. Referemus autem Cliuiæ omnes Ciuitates, ad VVesaliam Trans-Rhenanam in Cliuiæ Ducatu, ferè medio sitam, Duci de iure subditam. Oppida Cliuiæ Cis-Rhenana hęc sunt: Orsoium: Burica: Sanctum; Sonsbeca; Grieta; Calcaria; Vdenum; Caruenhemũ; Griethausa: Cleua: Craneburgum: Gennepium: Huessenum. Trans-Rhenana hæc sunt: Duisseldorpium: Duisburgum: Holta: Dinslaca: Scermerbeca: VVesalia ad Lippam: Rijngeberga: Resa: Emmericum habetque Cliuia ab oriente Ducatum Bergensem: ab occidente Geldriam: A Septentrione Zutfaniam: à meridie meursiam ac Iuliacos. Zutfaniæ vero Comitatus (in quo pręcipue olim Vsipetes Cæsaris habitasse reor) multo est Geldriæ, & Cliuiæ omnibus Titulis antiquior, & prior. Nomen nil habet antiquitatis. Deficiente enim Romanorũ ijs in partibus Imperio, sumptum natumque apparet, à natura soli, in qua Vrbs est condita, quasi dicas: *Zuet veen*. Zuet, enim siue, Zoet dulcis significat: *Veen*, terram ac solum vliginosum, aquis ferme innatantem, quo incolæ bituminosos cespites fouendo geniali foco valde idoneos, varijs locis effodiunt, iisque loco lignorum, maximè Hollandi, ac Frisij, apud quos syluæ pro maxima parte, dudum sunt excisæ, hodie vtuntur. Comitatus Zutfaniæ totus est Trans-Rhenanus, exiguis limitibus, ac paucis obscuris oppidulis, excepta Vrbe Zutfania contentus, quæ tamen ciuilibus sæculi nostri calamitatibus misere habita, terque capta, trucidatis pro maxima parte ciuibus, miserrimum in modum direpta fuit, antea verò cum suæ magnitudinis Belgarum Ciuitatibus, de nobilitate

Cliuia.

Zutfania.

bilitate

bilitate, pulchritudine, diuitijs, ac situs amœnitate certans. Ego cum Mechliniam eam semper conferre consueui, nec est cur illi vlla in re cedere debeat. Eiusdem enim ferè sunt magnitudinis, amplitudinis, & pulchritudinis, vtraq; amœno est sita loco, Viris nobilibus abundare solebāt, eadem fere sacri ordinis Dignitas, ante nouorum Antistitum creationem, eadem fluminis commoditas marisq; propinquitas, Ciues ex annuo censu, aut mercatu viuētes, sellulariorū numerus apud vtrosque exiguus. Et quanquam Mechlinia Antvverpiam: Zutfania Dauentriam, florentissima ante ciuilia bella Emporia, æquali distantia vicinos haberet, mercatura tamen non distituebantur, agricultura vero apud eos insigniter vigebat, & quemadmodum Mechlinia, quatuor tantū horarum nostratium, itinere Antwerpia abest, Zutfania non pluribus Dauentria distat. Summi Belgarū Concilij apud se sedem habentis solo honore Mechlinia Zutfaniam superat, cæteris pares, vt etiam huius sęculi calamitate. E summo enim fœlicitatis fastigio, ijsdem ruentes fatis, bis direptæ, aduersam adhuc deplorant fortunam, ac benignum implorant, expectántque Numen, vicinosq; non melioribus secum inuolutos videntes sortibus, Deo placato, respiraturos se aliquando, sub benignitatis eius, iusto, moderatoq; instrumento sperant. Oppida Comitatus Zutfaniæ hæc sunt: Zutfania ipsa, ad cuius mœnia Isala Trās-Rhenanus, aquis Rhenanis, per Drusi fossam auctus labitur: Brouchorstium: Doesburgum, huc vsque Drusus fossam è Rheno duxerat, quæ etiamnum hodie extat: Kippelium: Doetechenum: Burgum: Arx Vlstana, quam veterum Vsipetum nomen, referre, vestigiumque esse reor. Volunt quidam hunc Populum, olim appellatum germanica lingua Vsipeters, quod nil significat, sed Vlfteters, vt Caninefates, *Caninenfretters*: apud Plinium Balena, Phiseter, hoc est; Vis eter. Sed Romanos Vlfteters non intelligentes, eos corrupta germanica voce, appellasse Vsipetes. Est enim Vlft, nomen piscis, quem hodie vnica eaque prima mutata vocali vocant: Elft: V: in E: tantum mutata, Francogalli Alose, belgis notissimus, & in Vere vsitatissimus, Salmonis gustui similis, sed carne suauiore, alba, pingui, minusque solida. Vere magna multitudine sui copiam facit, marina ac fluuiali viuens vt Salmo aqua capitur. Huius captura rem facientes tam mari quam flumine, à vicini sunt vocati: Vlfteters: hoc est commestores ac captores Vlftarum. Quis ab hac coniectura abhorrebit quum Caninefates à Caninenfretters: Frisiabones, à Friessebouren: Treuiros, à Treetuier, Mediomatrices, à Medemaetrijc, corruptos olfaciet? Vlftanam Arcem sequitur, Anholtium: Isalburgum, Bredefortium. Ad Amnem vero Berkelam, qui Zutfaniæ in Isalam illabitur, est Grolla, ac Lochemum. Zutfanij inter alios habent vicinos VVestfalos, è quorum Ditione, huic Itinerario addemus, Borkelonium: Vredenam: Ransdorpium: Borkenam: Boucholtium: VVeerdam: Ottesteinium: Ahusam: Statlonium: Koesfeltium: ac Monasterium VVestfaliæ caput. Romanis

Belgas oppugantibus puto ad mare vsque habitasse qui nunc occupant Trans-Rhenanam Geldriam, Zutfaniam, ac Ditionem Trans-Isalanam veteres nimirum Vsipetes, Tenchteros, Tubentes, Frisios, Mattiacos, Chaucos (de quibus supra lib. 1. cap. 12. egimus) ac Bructeros, hoc est, Brouclandios. Etenim adhuc hodie ijs in partibus Brouclant dicunt, quod alijs Belgij locis, ac præcipuè in Flandria Mourelant appellant, hoc est, terra palustris, vliginosa, ac stagnans, qualis ijs locis, varijs regionibus conspicitur, inde Morini, ac Bructeri dicti. Certè in Orientali hodie Frisia, seu Comitatu Emdano, extat etiamnum Pagus, quam Sedes Bructerorum nomine Bruczetorum. Zetel enim, Sedem, ad sedendum, aut habitandum, quibus etiam hodie significat germanis. Brouc vero ac Mour, Paludem, à verbo Breec, quod rumpere sonat, quasi terra à stagnante aqua perrupta, ac incisa. Situs est dictus Pagus, medio ferme itinere inter Oppida Berun, Auric, ac Goens, distatque Emda milliaribus circiter Brabanticis sex: Aurico duobus. Quid enim obstat Bructerorum, aut vt alij corruptius scribunt Busactorum, adhuc hodie quoque memoriam referre, Insulam Frisiæ vicinam, nomine Buis, ac inter hanc, vicinamque fluentem, seu oceanum seu Amnem, Buiserdiep, quasi dicas, Busastorium Portus? Supra iam memoratos Populos versus Trans-Rhenanum Cliuiæ partem, ferme vsque Coloniam Agrippinam, ijsdem temporibus Menapij, ac Sicambri habitabant, teste varijs locis Cæsare. Ita enim lib. 4. bel. gal. cum ponte facto apud Trans-Rhenanos
» Vbios, exercitum è Gallia in Germaniam traduxisset, scribit: Cæsar ad vtram-
» que partem pontis firmo præsidio relicto, in fines Sicambrorum contendit. Et
» mox iterum: Sicambri ex eo tempore, quo Pons institui cœptus est, fuga com-
» parata, hortantibus ijs quos ex Tenchteris, ac Vsipetibus apud se habebant,
» finibus suis excesserant, suaque omnia exportauerant, seque in solitudinem, ac
» syluas abdiderant. Cæsar paucos dies in eorum finibus moratus omnibus Vi-
» cis, ædificijsq; incensis, frumentisque succisis, se in fines Vbiorum recepit. Item lib. 6. eosdem Eburones vastasse, ac castra Romana quibus præerat Q. Cicero, oppugnasse narrat. Menapios quoque vtramque Rheni ripam habitasse scribit, sub initium lib. 4. bell. gall. Tacitus toties mentionem Bructerorum varijs facit locis, vt facilè ex ijs discere liceat, vbi horum sedes fuerint. Ad eum lectorem remitto, si vnum attulero tantum, è multis locum è libello de mori. germ.
» sumptum, vbi in hunc scribit modū: Iuxta Tenchteros, Bructeri olim occur-
» rebant, nunc Chamauos, & Anghiuarios inmigrasse narratur, pulsis Bructeris,
» ac penitus excisis, vicinorum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu præ-
» dæ dulcedime, seu fauore quodam erga nos Deorum. Nam ne spectaculo qui-
» dem prœlij inuidere. Supra sexaginta millia, non armis, telisque Romanis,
» sed quod magnificentius est, oblectationi, oculisque ceciderunt. Angriuarios
» (hodie adhuc, Angren dictos) ac Chamonōs, à tergo Dulgibini, & Chasua-
» sij, à fronte Frisij excipiunt. Maioribus, minoribusque Frisijs vocabulum est
» ex modo virium, vt ræque Nationes, vsque ad Oceanum Rhene, prætexuntur,

Bructeri.

ambi-

ambiuntque inmensos insuper Lacus. Quibus è verbis planum est, Bructeros Rheno, ac Oceano, cum Frisijs (quorum eo tempore multo ampliores erant limites, quam hoc nostro sunt sæculo, multoque erant potentiores) fuisse finitimos, ac proinde sine dubio, cum iam dictis nationibus, insedisse Ditionem Trans-Isalanam, ac Comitatum Zutfaniæ, cum vicinis Ditionibus. Geldriæ Oppida ac Ciuitates ad Arnhemum, in medio ferme Ducatus conditum dirigemus. Scopum enim semper vnum certumque singula Itineraria habere necesse est, ad quem cæterorum Oppidorum Distantiæ dirigantur. Zutfania vero sui Comitatus Oppidorum, ac quæ ex Ditione VVestfaliæ adijciemus, distantias recipiet habetque Zutfania ab Oriente VVestfaliam: ab Occidente Geldriam: à meridie Cliuiam: à Septentrione Trans-Isalaniam. Distat autem Arnhemum Colonia Agrippina, milliaribus germanicis circiter septendecim, quæ. 50. horarum mearum spatio expeditus pedes conficiet. Mechlinia vero, quæ ferme vmbilicũ Inferioris Germaniæ, seu Belgij obtinet, abest milliaribus Brabanticis circiter. 27. viginti tantum & quatuor, si singula numeres pro Regionum diuersitate milliaria, quod iter horis, 28. aut. 30. pedes noster facile absoluet, quanquam impedimentum non exiguum, reperturum sciam, quatuor magnis necessario traiciendis fluminibus, Rheno, VVahali, Mosâ, ac Netha. Longitudo Geldriæ est ferme viginti Brabanticorum milliarium ab Oriente in Occidentem vergentium: Latitudo vero, à Meridie in Septentrionem tendens circiter. 24. Zutfaniæ Comitatus in Longitudinē habet eadem milliaria septem, in latitudinem sex. Cliuiæ Longitudo dictorum milliariũ est. 15. summa latitudo quinq; milliaria non superat. Iam ad Itineraria accedamus, Ordinem supra memoratũ seruaturi, ac primũ Geldriç demus.

Distat autem Arnhemo:

VVagenung	*milliaribus*	*duobus*	*horis*	*quinque.*
Huessen	mill.	1	hor.	2.
Tserenberge	mill.	3	hor.	5.
Harderwijc	mill.	5	hor.	8.
Elburg. Hatten	mill.	6	hor.	10.
Montfort. Ruirmonde	mill.	11	hor.	24.
Venlo	mill.	7	hor.	15.
Gennep	mill.	4	hor.	10.
Craneuburg	mill.	3	hor.	8.
Graue	mill.	4	hor.	8.
Rauestein. Batenburh	mill.	3 ½	hor.	7.
Megen	mill.	4 ½	hor.	9.
Gelder	mill.	8	hor.	12.
Stralen	mill.	9	hor.	16.

VVachtendonc	mill.	10	hor.	18.
Coch	mill.	5	hor.	9.
Nimmegen	mill.	2	hor.	4.
Tiel	mill.	5	hor.	10.
Bommel	mill.	7	hor.	13.
Buren	mill.	6	hor.	12.
Culenburch	mill.	7	hor.	14.
Horn	mill.	12	hor.	25.
VVeissen	mill.	14	hor.	29.
VVeert	mill.	12	hor.	24.
Erkelens	mill.	15	hor.	35.

Zutfania distat Colonia Agrippina milliaribus Germanicis maioribus.18. intinere trium æquinoctialium dierum cum dimidio: Mechlinia vero,ijsdem milliaribus.14.Brabanticis.32. totidem horis pediti nostro conficiendis.

Distat Zutfania.

Bronchorstio	mill.	1	hor.	2.
Doesburg	mill.	2	hor.	3.
Keppel	mill.	2	hor.	4.
Doetechem	mill.	3	hor.	5.
Burg	mill.	3½	hor.	6.
Vlft	mill.	4½	hor.	7.
Anholt	mill.	5	hor.	8.
Isselburg	mill.	6	hor.	9.
Bredefort	mill.	4½	hor.	7.
Grolle	mill.	4	hor.	6.
Locchem	mill.	2	hor.	3.

Distant Zutfania, hæc VVestfaliæ Oppida.

Borkelo	mill.	3	hor.	4.
Vreden	mill.	6	hor.	8.
Ransdorp	mill.	8	hor.	12.
Borcken	mill.	7	hor.	10.
Boecholt	mill.	6	hor.	8.
VVeert	mill.	6	hor.	9.
Ottenstein	mill.	7	hor.	10.
Ahus	mill.	8	hor.	11.
Statlain	mill.	7½	hor.	12.
Coesfelt	mill.	15	hor.	15.
Munster	mill.	14	hor.	24.

VVezalia Trans-Rhenana seu Inferior, Cliuiæ Vrbs primaria distat Colonia Agrippina milliaribus germanicis maioribus decem, absoluendis horis. 24.

Mechlinia

Mechlinia vero. 12. Brabanticis circiter. 34. totidem horis pediti peragendis.

Cis-Rhenana igitur Cliuiæ Oppida hæc, distant VVezalia.

Oppida	mill.		hor.	
Orsoy	mill.	2	hor.	5.
Buric	mill.	$\frac{1}{2}$	hor.	1.
Sancten	mill.	$1\frac{1}{2}$	hor.	3.
Sonsbeec	mill.	2	hor.	4.
Griet	mill.	$3\frac{1}{2}$	hor.	6.
Calcar. Vden. Caruenhem-	mill.	3	hor.	6.
Griethausen	mill.	$4\frac{1}{2}$	hor.	9.
Cleue	mill.	5	hor.	10.
Crauenburh	mill.	$5\frac{1}{2}$	hor.	12.
Gennep	mill.	6	hor.	13.
Huessen	mill.	7	hor.	15.

Trans-Rhenana Cliuiæ Oppida hæc, distant VVezalia.

Oppida	mill.		hor.	
Duisseldorp	mill.	6	hor.	14.
Duisburg	mill.	3	hor.	7.
Holt	mill.	$2\frac{1}{2}$	hor.	5.
Dynslaken	mill.	2	hor.	4.
Scermbeec	mill.	3	hor.	6.
Ryngeberch	mill.	1	hor.	2.
Rees	mill.	3	hor.	5.
Emmeric. Goch.	mill.	4	hor.	8.

Sunt maiori parti horum Oppidorum ciuibus Coloniam Agrippinam aut Mechliniā tendentibus, nō raro transcunda magna, impeditaq; flumina, quod non parum iter facientē remoratur, dum Pontones nō sunt parati, aut in aduersa stant ripa, aut tam exiguus est transire cupientiū numerus, vt operas soluere nequeant, aut nolint. Sed dum expectat traiectionem, interea cibi, potu, ac subinde somno corpus reficiunt, seque ad reliquum iter absoluendū, nouos, recentesque efficiunt. Experto crede Roberto.

De Ditione Trans-Isalana, Twentia, ac Drentia.

CAPVT SEPTIMVM.

HÆ Regiones olim, & post ductam ingenio Cæsaris Drusij è Rheno ad Isalam Trans-rhenanā fossam, Trans-rhenanæ ac Trans-Isalanę (quod vox Ouer-Isel sonat) in Gallijs consistenti semper fuêre, & adhuc hodie sunt, habitatasq; olim existimo, ab ijsdē qui Veluā, ac Comitatū Zutfaniæ, eodē tempore occuparant, de quibus superiori cap. ac lib. 1. cap. 12. abunde

abunde egimus. Deficiente Romano Imperio, ex his, viciniſque ſedibus, irrupiſse primum in Belgium Francos, ex Ammiani Marcel. varijs conſtat locis. Nam Cęſare Iuliano Apoſtata Gallias ſub Conſtantio gubernante, aliquoties à dicto Iuliano repreſſos, ac clade pulſos Francos, & Alemannos, Rhenũ tranſire auſos, idem author ſcribit lib. 20. his verbis: Iulianus in limite Germanię
» ſecundæ eſt regreſſus, omniq; apparatu quem flagitabat, inſtans negotiũ com-
» munitis, obtriceſimę (alij codices habent Obtricenſi) Oppido appropinquabat
» Obtriceſimam plęrique Vtrecht, hoc eſt, Traiectum ad Rhenum, aut Vltraie-
» ctum putant, Diuęus ridet) Rheno deinde tranſmiſſo, Regionem ſubito perua-
» ſit Francorum, quos Atthuarios vocant, inquietorum hominum, licencius etiã
» tum perſcrutantium extima Galliarum, quos adortus ſubito, nil metuentes
» hoſtile, nimiumque ſecuros, ſuperauit negotio leui captiſque plurimis, & oc-
» ciſis, orantibus alis qui ſuperfuere, pacem ex arbitrio dedit. Idem lib. 17. Qui-
» bus paratis petit omnium primum Francos eos videlicet quos conſuetudo Sa-
» lios appellauit, auſos olim in Romano ſolo, apud Toxiandriam (nunc Brabantia Campinia) locum habitacula ſibi figere, prælicenter. Ex quibus duobus Ammiani locis, apparet Francos tum nomen ſortitos à Regione in qua conſederant, quamque occuparant, nouumque fuiſſe tum non vnius Nationis, ſed è varijs locis confluentis Populi appellationem. Rogati enim qui eſſent, Francos, hoc eſt homines liberos ſe eſſe reſpondebant, eadem ratione qua olim Teutones, eorumque Populi ſe Germanos, ac Alemannos quaſi plane abſoluteque Viros voluere dici, vt indicat Cæſar lib. 2. bel. gal. & Tacitus ſub initium libelli de moribus Germ: quæ non ſemel iam antea citauimus. Vt enim olim Aſiatici, ac Africani, pro maxima parte Regionibus ac Regnis ſuis, Virorum ac Fœminarum, qui de Republica benè meriti erant, aut in ea fœlices, potenteſque fuerant, nomina indere, dareque voluere, ſic Europei natura ferociores, minuſque adulationibus dediti, contemptis Viris, fœminiſque, é rerum natura Regionum nomina petere maluere, etſi ea aliquando parum rationis haberent, riſum quoque etyma inſpicienti abunde excitarent. Hac ratione vt nouum recenſq; Alemanniæ nomen aliquandiu durauit, cæciditque cum Regno ac Regibus prælio Tolbiaco, haud procul Colonia Agrippina, inter Alemannos & Francos poſtremum commiſſo, Francorum tum Rege Clodouæo magno chriſtianam Relligionem, huius victorio voto recipiente, adeoque hac pugna fracti ſunt Alemanni, vt eorum deleto ex omnibus terrarũ Prouincijs (vt & Germanorum) nomine, id in ſolo Francogallorum, Italòrum, ac Hiſpanorum ore remanſerit, memoria ſine dubio cladium, quas olim Galli, ac Itali, ab his Populis ſunt perpeſſi, eos non aliter appellantes quam Alemans, ac Regionem Alemagne. Ipſi vero hodie Germani, nec Alemannorum, nec Germanorum, vernacula lingua nomen nouere, hoc latinis libris: alemannicum vero dictis Populis relinquentes, ipſi ſe veterum per manus accepto more Teutones, Regionem, Teutoniam appellant, nec aliter qui ſint, quo modoque patria

eorum vocetur, interrogati, respondent lingua vernacula, *Teuts*, ac *Deuts*, hoc est, *Teuto: Teutslant*, ac *Deutslant*, dicentes, etsi de his longè aliter, ridicula coniectura censeat Suffridus Petrus friso. Sed vt olim primi Germani, ac Alemanni, è varijs in vnum conuenere gentibus, sic & Francorum coaluit, prima è varijs Populis natio. Accepere autem vt liquet ex Amm. Marcell: varia cognomiā. Alij enim Salij sunt dicti quod è Salandria Regione Trans-Isalana, ad huc hodie nomen à fluuio Sala, nunc Isala, seruante, sed non tam latos limites, quam olim obtinentes, venissent. Certe ego in ea sum opinione vniuersam Trans-Isalaniam, *Sallant*, aut *Zailant* tum dictam, posterioribus temporibus à Francorum colluuie fuisse occupatam, ac ex ea Salios dictos, condidisseque, aut conditum occupasse apud Tubantes Oppidum hodie adhuc extans nomine Aldenzal, quod veteres sonat Salios. Alij Franci Atthuarij fuere dicti, quod ex ea Regionem, in Belgas eruxissent. Pleniorem hac de re commentationē qui cupit consulat Beati Rhenani Comment. Rer. Germ. varijs locis hæc tractantem, iungatque Batauiam Adriani Iunij, qui è dicto Rhenano sumpto fundamento, diligentissime hæc pertractauit. Transf-Isalanæ Ditionis appellatio, sub initium Episcopatus Vltraiectini primum cœpit, ab ijsque ita est denominatus (omnibus ijs Regionibus longè, lateque à Cæsaribus, ac Romanis Pontificibus donati) cum primum hæ Regiones relligionem christianam amplecti inciperent, diuisaque fuit Regio (quā vernacula lingua: *Sticht van Vtrecht*: appellant) in Superiorem (quæ nostra est Trans Isalana Ditio cum *Tvventia*, ac *Drentia*) ac Inferiorem quæ ipsum Vltraiectum Metropolim habet. Superioris Regionis Ciuitates ac Oppida, pro Gentis limitumque eius exiguitate, satis sunt clara & multa, è quibus *Dauentria* (cuius etymon dictus Iunius non absurde, nec improprie à *Tvvent* deducit ego potius à *Drent* opinor tractum) *Svvolla* ac *Campæ*, triadem constituentes, magnitudine, celebritate, opibus, ac authoritate cæteras anteëunt, inque minora oppida Imperium, ex re, & tempore vsurpatum exercent, imprimis vero *Dauentria*, ad quorum Tribunal cæteris omnibus prouocatio est, ab ijs autem nulla nisi ad Principis Concilium, Cancellaria dictum. Præter dictam Triadem, hæc in Ditione sunt oppida, Steenvvicum: Hardenberga: Omma: Hasseltum: Geelmuda: Vollenhoua: Meppolium. Tvventia ac Drentia Regiones Transf-Isalanis annexæ, à sæculis fuêre multis, quanquam magno molimine Groningani Drentiam sui Iuris facere, armis ac disceptatione semper sint conati. Attamen quod superioribus semper sæculis Episcopo Vltraiectino, cum Ditione Transf-Isalana ac Tvventia, sine vlla controuersia paruerint, vnoque consensu in Ditionem hæreditariam Cæsaris Caroli quinti (vt in eius vita scripsimus) successorumque eius, approbante Romano Pontifice, ac Antistite Vltraiectino concesserint, eos hic non separandos censui. Tvventiæ vocabulum, vernacula lingua: Tvvent dictum, à Tubantibus mansisse omnes docti volunt, eosque has sedes olim obtinuisse, amplioribus tamen limitibus contendunt, nec habeo quo modo

eos refutem, quum Tubantes vicinos fuisse Bructerorum, Vsipetum, ac Tenctorum ex Taciti libro primo constet, vbi in hunc scribit modum: Excitauit ea cædes Bructeros, Tubantes, Vsipetes, saltusque per quos, exercitui regressus erat insedere. Plura sub finem libro 13. de Tubantibus, & Tenchteris apud eundem legere licet. Tubantum vero seu Twentiorum, hæc sunt Oppida ac municipia: Risenum: Gora: Almeloum: Deldemum: Otmarsum: Aldenzala: Ensceda: Diepenhemium. Vicinos Tubantibus fuisse Tenchteros, nunc *Drent* dictos Tacitus libro 13 scribit, confirmatque libro 20. his verbis: Iunguntur Bructeri, Tenchterique, semper his vicinos & limitaneos faciens. Et paulo post: Igitur Tenchteri Rheno discreta Gens, missis legatis, mandata apud Concilium Agrippinensium edi iubet. Plura habet Tacitus in libello de Morib. Germ. vbique eos vicinos Bructerorum faciens, ac proinde nil dubium iam memoratos TransIsalanæ Ditionis Populos, eos habitasse agros, vbi adhuc hodie eorum extant vestigia, sed longe (quod Tacitus aperte confitetur) ampliores, & maiores, quam nunc est *Twentia* & *Drentia*. Mirum certe, quod tanto temporis interuallo vetus nomen, & agrorum portiunculam adhuc hodie obtineant, quanquam eos ciuibus nostri sæculi Belgarum furijs, ad internecionem fere redactos, diffiteri non possimus, resumpturos aliquando animos, cum pace, ac Principe sperantes. Equidem si Raimondo Marliano credere volumus Tubantos eam olim Frisiæ partem incoluere, quæ mari Oceano, Rheno, ac Lacubus propinqua, saltibus & paludibus abundabat, ex quo amplitudo eorum limitum, coniectari facile licet. Quid Cæsar de Tenchteris libro 4. bell. gall. eorumque vicinis scribat, cum paucis referri non possit, eo lectorem dimitto, vt & ad finem libri quinti bell. gall. Cum his enim eo tempore Cæsari bellum fuit periculosissimum. Potentia vero Tenchterorum eius temporis, facile ex eo disci potest, quod etiam si ad internecionem fere, à Iulio Cæsare essent deleti, tamen Vespasiani Cæsaris tempore, post centum inmirum annos non parum adhuc inter Trans-Rhenanos authoritate, ac opibus poterant, testis Tacitus Memoratis iam locis. Sunt hodie Tenchterorum seu Drentiorum Oppida ac Municipia hæc: Coewoorda: Ruina: Bila: Rolda: Nortium, ac plæraque alia, omnia fere ciuilibus Belgarum nostri sæculi bellis, direpta, ac incensa: Ditio Trans-Isalana non meliore fortuna est vsa. Habet Trans-Isalana Ditio ab Oriente VVestfaliam: ab occidente Sinum meridionalem: A meredie Zutfaniam. A Septentrione Frisiam. Nunc dictarum Prouinciarum Itineraria demus, ad Dauentriam Vrbem Ditionis primariam ea referentes. Distat autem Dauentria Colonia Agrippina germanicis milliaribus maioribus circiter. 20. Brabanticis. 36. hoc est, quatuor dierum æquinoctialium intinere: Mechlinia vero dictis germanicis milliaribus circiter. 15. brabanticis vero. 30. itinere trium dictarum dierum.

Oppida

Oppida Ditionis Trans-Isalanæ, distantia Dauentria:

Swol	mill. 4	hor.	6.
Campen	mill. 6	hor.	10.
Steenwijc	mill. 7	hor.	14.
Hardenborch	mill. 6	hor.	10.
Omme	mill. 4	hor.	8.
Hasselt	mill. 4½	hor.	9.
Geelmuiden	mill. 5	hor.	10.
Vollenhoue	mill. 6	hor.	12.
Meppele	mill. 5	hor.	9.

Oppida Tvventiæ, distantia Dauentria:

Risen	mill. 3½	hor.	6.
Ghoer	mill. 4½	hor.	9.
Almelo	mill. 5½	hor.	10.
Veldan	mill. 5	hor.	10.
Otmarsum. Oldenzeel. Enscede.	mill. 7	hor.	14.
Diepenhem	mill. 4	hor.	8.

Oppida Drentiæ, distantia Dauentria.

Vledderen	mill. 9	hor.	15.
Coevoorden	mill. 8	hor.	12.
Ruinen	mill. 7	hor.	10.
Bilen	mill. 9	hor.	14.
Rolde	mill. 11	hor.	18.
North	mill. 12	hor.	20.
Borck	mill. 8½	hor.	14.
Zuitlaren	mill. 13	hor.	24.

De Frisia Orientali & Occidentali.

CAPVT OCTAVVM.

FRisiorum Gentem vetustissimam esse, diutissimeq; in omnes Trans-Rhenanos Populos ad Oceanũ, ac Rheni ripam, è Regione gallicæ ripæ habitantes, nomen, & fines seruasse, adeo è veteribus scriptoribus, clarum & perspicium est, vt nemo sit inuentus, qui contradicere cuperet. De vocabuli etymo, propter summam antiquitatem, merito dubitatur. Sunt enim qui Frisiam dictam volunt, à vehementi frigore, quo maxima anni parte vrgetur, frigidorumque ventorum assiduo afflatu, vt Septentrionibus subiecta. *Friesen* enim hodie belgo germanis, ac maxima Frisijs, nam solum gelare, sed etiam frigere significat. Dicunt enim: *My Friest*: hoc est, frigeo, congelo. Alij Frisias dictos volunt à Phrigijs, Asiæ

Asiæ minoris Populis, qui excisa Troia in has partes fuga nauibus delati, sedes fixere. Vtrosq; Frisij rident. Phrygos enim aiunt non fuisse ausos eo tempore egredi mare mediterraneum, emensoq; freto Gaditano, vastissimo se committere Hispanico Oceano, vt tandem omnium rerum indigi, pauci, inopesque inter adeo Barbaros, sedes figerent, nomenque suum importarent. Quod de frigore dicitur, pro imperito habent commento, quum vicini omnes, sub eodẽ gradu ac parallelo habitantes, eandem sentiant aëris, ventorumque conditionem, alijs tamen censeantur nominibus. Proinde appellatos se aiunt à maioribus: *Frißen*: Regionem, *Frieslant*, at sensum vulgi inscitia irrepsisse vocalem, *E*: dixisseque eos ac scripsisse: *Friesen*: *Frieslant*. Sonat autem *Frieslant*, Virorum fortium, vegetorum, alacrium, ac ad quæuis adeunda paratorum, Regionem. Monosyllabum enim: *Fris*: & hodie germanica, belgicaque lingua sonat, fortem, vegetum, alacrem, indefessum, ac intrepidum, habetque hoc monosyllabũ vim, ac energiam, quam vna voce latinus sermo exprimere non potest, quibus monosyllabus, adeo germanica, belgicaque abundat lingua, vt in vocum compositione, nil græcis cedat. *De Frisijs* apud Cæsarem nihil. Apud Tacitum, Plinium, quique hos sunt secuti, multa, ac præclara leguntur. Quare in eam me adduci passus sum opinionem, Frisios Cæsaris tempore fuisse obscuriores, ac non admodũ latos habuisse limites. Creuisse autem, vt Batauos, Tungrosque è vicinorum cladibus. A Iulij enim Cæsaris, vsque ad Vespasiani Imperatoris Imperium, quo prouecta ætate floruit Tacitus, tempore scilicet centum ac viginti amorum, incredibilis ad vtramque Rheni ripam facta est mutatio, ac Populorum ibidem habitantium transmigratio, Ortus, & Interitus, vt testantur eorum temporum scriptores. Marlianus dicit, Frisios olim Oceano ac Batauis fuisse vicinos, pluraque loca ac insulas, circa Ditiones nunc dictas Hollandia, Geldria, Brabantia, Vltraiectum, ac Ostia quibus Rhenus in Oceanum influit, habitasse. Videamus quo modo hæc cum Tacito conueniant. Tiberij Cæsaris tempore, fuisse Frisios Populum Trans-Rhenanũ, à Druso germanico domitum, tributumque Pop. Romano soluisse, ac propter exactorũ auaritiam
„ rebellasse, Tacitus circa finem libro 4. his verbis scribit: Eodem Anno Frisij,
„ Trans-rhenanus Populus pacem exuêre, nostra magis auaritia, quam obsequij
„ impatientes. Tributum ijs Drusus iusserat modicum pro angustia rerum, vt
„ in vsus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura, quæ fir-
„ mitudo, quæ mensura, donec Olennius è primipilaribus regendis Frisijs impositus, terga Virorum delegit, quorũ ad formam reciperentur, & quæ sequuntur.
„ Insignem enim hac rebellione cladem Frisij Romanis intulere. Vnde tandem ita concludit Tacitus: Clarum inde inter Germanos Frisium nomen. E quibus Taciti verbis satis liquet, non admodum amplas, neque claras, eo adhuc tempore res fuisse Frisiorum, sed in posterum creuisse. Cum enim hac rebellione Romanis (quorum Dux erat. L. Apronius, Inferioris Germanicæ Proprætor) insignem intulissent cladem, clari primum sunt facti. Dixerat & antea res eorum

rum domesticas fuisse angustas, ac proinde vile eis tributum imperatum. Certe ex Tacito colligitur hanc Frisiorum rebellionem in septimũ protractam annum, non quod interea Romanis bellum intulerint, sed illatum propulsantes, se defenderint. Sciebant enim quid meriti fuerant, qui Romanos milites patibulis affixerant. Post dictum septennium, virtute, ac prudentia Domitij Corbulonis, ad Imperij obsequium pertracti, sponte positis armis, Imperatorem agnouere, qua de re Tacitis lib. 11. sic scribit: ,, Et natio Frisiorũ, post rebellionẽ. ,, L. Apronij cœptã, infensa, aut malefida, datis obsidibus consedit apud Agros, à ,, Corbulone descriptos. Idem Senatum, magistratũ, leges imposuit, ac ne iussa ,, exuerent, præsidium immuniuit. Excelsos, generososque Frisiorũ animos, solidam erga Romanos fidem, ac crescentem tum potentiam, authoritatemque, egregio exemplo Tacitus sub finem lib. 13. his verbis narrat: ,, Eoque Frisij iuuentutem, saltibus ac paludibus imbellem ætatem, per lacus admouere ripæ, ,, agrosque vacuos, aut militũ vsui sepositos, insedêre, Authore Verrito, ac Malorige, ,, qui eam nationẽ regebant, in qua tum Germani regnabant, iamque fixerant ,, domos, semina aruis intulerant, vtque patriũ solum exercebant, cum Didius ,, Auitus, accepta à Paulino Prouincia, minitando vim Romanã ni abscederent ,, Frisij in veteres locos, aut nouam Sedem à Cæsare impetrarent, perpulit ,, Verritum, ac Malorigem praeces suscipere. Profecti Romã, dum alijs curis intentum ,, Neronem operiuntur, inter ea quæ barbaris ostentantur, intrauere ,, Pompei Theatrum, quo magnitudinẽ Populi Romani viserent. Illic per otium ,, dum consessum Caueæ, discrimina Ordinũ, quis Eques, vbi Senatus percontantur, ,, aduertere quosdam cultu externo in Sedibus Senatorũ, & qui nam ,, forent rogantes, post quam audierant earum Gentiũ Legatis id honoris datũ, ,, quæ virtute, ac amicitia Romana præcellerenr, nullos mortaliũ armis, aut fide ,, ante Germanos esse exclamant, digrediunturque & inter Patres considunt, ,, quod comiter à visentibus acceptũ, quasi impetus antiqui, aut bona æmulatio. ,, Nero Ciuitate Romana ambos donauit: Frisios decedere agris iussit, atque ,, illis aspernantibus, auxiliaris eques, repente immissus, necessitatẽ attulit, captis, ,, cæsisue, qui pertinacius restiterant. Post hæc Frisios multis annis se contra ,, Romanos non mouisse apud Tatitũ legimus, ac primũ Batauorum rebellioni, ,, sub initũ Imperij Vespasiani, ac Cl: Ciuili Batauo excitatæ adhæsisse, idem est author, vicinosque fuisse Batauorũ, sub initium lib. 20. his verbis scribit: ,, Vbi insidiæ parũ cessere, ad Vicum transgressus Caninefates, Frisios, Batauos proprijs ,, cuneis componit. Confirmat hæc in libello de morib. ger. hunc in modũ ,, scribens: ,, A fronte Frisij excipiunt, maioribus, minoribusque Frisijs vocabulum ,, est, ex modo virium vtræque nationes vsque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ,, ambiuntq; inmensos insuper Lacus, Romanis classibus nauigatos. Ipsum ,, quinetiam Oceanum illa tentauimus, & superesse adhuc Herculis Columnas ,, fama vulgauit, siue adijt Hercules, siue quicquid vbique magnificum est in ,, claritatem eius referre consueuimus. Neq; defuit audacia Druso Germanico, ,,

„ sed obstitit oceanus,in se simul,& in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit,
„ sanctiusque,& reuerentius visum de actis Deorum credere,quam scire. Tales adhuc florente Romano Imperio Frisij fuere. Eo in Gallijs deficiente,circiter Annum Christi quingentesimum, Frisij ad summum potentiæ prouecti, maximam Batauiæ, ac veterum Bructerorum, trans Amisiam Amnem partem pulsis VViltis ac Batauis occupauere, veteribus Batauis in eam Insulæ partem detrusis,quæ Geldriæ attributa,adhuc hodie Batauia dicitur, linguaque vernacula: *Die Betuvve*: donec tandem Frisij à Danis,ac Nortmannis, vniuersa Batauia,ac Cis-Rhenana Frisia exacti, in veteres Trans-Rhenanos limites sunt compulsi,vnde Amisia Amne traiecto versus orientem fines extendere,agrosque occupauere,à quo tempore veteri diuisione,qua in maiorem,minoremque teste Tacito separabantur,omissa,Orientalis,ac Occidentalis Frisia (vt etiamnum hodie)dici est cœpta,Amisia fluuio discretę.Plura de his Adrianus Iunius in Batauia sua cap.3.non sine iurgijs ac conuitijs agit,quibus ne moueatur rogo,id enim atræ eius bili adustæ,qua redundabat,est condonandum. Diuersam ab ea,quam nos hactenus,attulimus sententiam de Frisiæ ortu, progressu, ac etymo,adfert Suffridus Petrus Leouardensis Friso,in libris quos de Frisiorum antiquitate,& origine edidit Coloniæ anno 1590. Cuius rationes quum examinassem,non potui in eius sententiam,has ob causas descendere. Statuit Suffridus lib.1.cap.21.hoc est vltimo,ac toto libro tertio pro re explorata. Frisios ortos ex Asiaticæ Indiæ Prouincia quam nominat: Benedicta Fresia, postea Palibothram vocatam ait,constituto gentis authore,Fresone,quodam,illustri, ac Regali loco in Frisia nato,qui occupatoris Fresicę Regni,vim, tyrannidemque fugiens ad Alexandrum magnū Macedonem Asiæ occupatorem profugit, eique cum fratre Saxone,ac Brunone,biennio fideliter militauit. Quo tēpore Alexandro extincto,quum eius duces de Asiæ possessione inter se magnis cladibus decertare videret,desperans de Asiæ tranquillitate, nec domum se tuto redire posse videns,collectis trecentis nauibus,hominibusque impletis, mari se cum dictis duobus fratribus anno ante natum Christi 313.ab Vrbe condita, 422.committit, integrisque octo annis varia errando maria sulcantes peregrinati, tandemque cum quinquaginta quatuor nauibus cæteris desideratis Oceanum inuecti germanicum,per ostium Amnis Fleui, tempore Autumnali Germaniam ingressi,eas occupauere terras,quas post natum Christum,ex Tacito,alijsque scriptoribus,Frisios possedisse legimus, condiditque Freso haud procul Amne Fleuo,insigne Templum,Ioui (quem Iuuica lingua Stauonem vult dictum)sacrum,moxque fundamenta,nouæ Ciuitatis Templo circundedit,eamque à suo Ioue Staurone,Stauoram nominauit,hodie Stauriam dicimus, vernacula vero Frisiorum lingua: Staueren. Cumque Freso tredecim annis,cum fratribus amice vixisset,populumque adeo auctum videret,vt ex ijs quos occuparant agris,diutius ali nequiret,communi consilio decernunt, Freso cum ijs qui vellent,in occupata à se Fresia maneret,cumque posteris regna-

ret

ret: Saxo vero & Bruno cum voluntaria iuuentute, nouas colonias quærerent conderentque. Hi anno ante natum Christum: 300. ab Vrbe condita: 409: Stauriæ instructa classe soluentes, in orientem nauigant, ingressique ostium fluuij Albis, proxima primum littora, deinde paulatim mediterranea, pulsis barbaris occupant. Saxo, suos à se Saxones, Regionem appellat Saxoniam. Bruno ne fratri esset oneri ad Veseram Amnem cum parte hominum proficiscitur, ac in Mediterraneis Ciuitatem, ex se nominatam Brunswicum condidit, Ditionemque ac Populum sibi parentem, Brunswicanos nominari voluit. Hæc speciose, ac luculenter narrata, nec vulgari verborum impetu ac pompa, ingenti ardore animi explicata, Suffridus vt fidē mereri possint, omnibus viribus laborabat, per me non stabit, si placuerint id lectori, vt ea pro exploratis demonstratisq; habeat. Sed si meam quis requirat sententiam, ingenue, ac breuiter dico, me idem de Fresone, Saxone, ac Brunone iudicare, quod de Bra-Bone, Brabantiæ Ducatus fabuloso commentitioque authore, de Anchise eius patre: quod de Hannone Carthaginensi conficto Hannoniæ (cuius verum, antiquumque est nomen, Heinautia, aut Hainegaudia vt infra cap. 17. narrabimus) nomine: quod de Flandrino Viro, aut Flandrina fœmina, excogitato flandrici nominis origine: quod de Bato, Batauorum, Britone, Britanniæ: Salandone, Salandię putatiuo, suppositioque patre, ac mille similibus, emendicatis, eque Aëris media Regione, turbine extrusis Heroibus, credere fas est. Talibus enim commentis (non audeo dicere mendacijs etsi sint meracissima) barbaro sæculo, scriptores barbari fidem adhibentes, Chronicorum suorum initia quum ornare se putarent, fœdabant. Interea tres præcipuas anilibus hisce fabulis stabiliendis rationes adfert Suffridus, è Coniecturę Scrinio depromptas. Primo cantilenas ac rythmos, patria Frisiorum lingua ante multos annos de Fresone, Saxone, Brunone, eorumque peregrinationibus cantari, recitarique vulgo solitos. Deinde Archiua Frisca hæc è chartophylaceis suis magna vetustatis veneratione depromentia. Tertio constantem, continuamque Frisiorum hac de re inter se credulitatem. Sed quem hæc mouebunt? Cantilenæ enim ac Rythmi, imperito sæculo compositi, simplici popello, facilè falsa pro veris obtrusere, aut veris falsa miscentes, imposuere. Nihil enim ante trecentos, ac 400. annos lubulentius maiores nostri audiebant quam se ab adulteris Troianis, Regnorum euersore Alexandro Macedone, Populatore Hercule Græco, aut alio Orbis Terrarum perturbatore prognatos. Nec mirum indoctos, falsa scientiæ opinione inflatos, hæc patrijs ausos esse in historijs, quum inferere idem facere quidam non erubuerint in describendis Diuorum, sanctorumque hominum Christianorum Vitis, eo progressi temeritatis, vt non quid boni, pijque homines fecissent, sed quod eos facere voluissent (vt loquitur Lodovvicus Viues) litteris mandarent, tantaque horum erat apud omnes omnium hominum ordines eo tempore authoritas, vt eos mentiri, falsaque scribere,

impos-

impoſſibile ducerent, eorumque opera pro oraculis habentes Sibillinis, in Archiuis, vt res pretioſiſſimas, referrent, Viri ea fœminis, hæ liberis hieme ad focum ſe calefacientibus, ac de manu cœnantibus exponerent, tandemque inſtar Talmudicarum traditionum primi Poetæ ac Pictores (quibus quidlibet audendi ſemper æqua fuit poteſtas) ea depingentes ac in rythmis decantantes pro hiſtoria vetuſtiſſima antiquitatis memoriam excedente poſteris tradidere. Sed hoc noſtrum Solers, acutum, peritum, ac non temere credens ſeculum, examinare hæc incipiens, detecta olla, ablataque veſte perſonata, mox nudum mendacium, omnibus conſpicuum dedit, rugoſa fronte, ſe detegi, nudari, riſuique exponi ægerrime ferens, quumque contra veritatem conſtitutum, nil quo ſe tueretur, præter ſeſquipedalia verba, cantilenas, rythmos, otioſorum hominum commenta puluerulentis Archiuis repentia, vulgi fabellas, fidem longi temporis præſcriptione vrgentes poſcenteſque, producerent, exploſum cum nugis mendacium (quibus vt credamus contentos nos eſſe vult) tacere dudum cœperat, niſi rediuiuum inter Friſios reperiſſet Virum literatum, qui poſtliminio cauſam ſuam, propugnandam, defendemdamque, fruſtra ſuſcepiſſet. Satis iam de Suffridi ſententia. Tranſ-Amiſiana Orientalis Friſia, hodie imbecillibus ſeruit Regulis: Occidentalis vero tam Ciſ-Rhenana quam Tranſ-Rhenana, Belgarum Principi obſequium debet, Belgiſque connumeratur. Abrahámus
„ Ortelius Amicus noſter, in ſuo Theatro, hunc in modum de Friſia ſcribit. Friſij
„ veteribus fuerunt, qui littora germaniæ Aquilonaria tenent, vna Gens, vnis
„ moribus longo licet interuallo diſtans per germaniæ littora. Ab Hollandia
„ enim in Occiduum, ſumpto initio orientem verſus per Geldriam, Iſalá, Rheni
„ oſtium, Diocæſes Traiectenſem, Monaſterienſem, & Bremenſem, ad albim
„ fluuium vſque pertingit. Deinde ex latere Holſatiæ in Iutiam, quæ & Cim-
„ brica Cherroneſus ſe flectit, interciſa aliquando paludibus, quas immenſos
„ Lacus vocat Tacitus, aliquando maris ſinubus. In horum finibus Amiſia iuxta
„ Eindam in Oceanum effunditur. Ladera Amnis, cuius Ptolomeus meminit,
„ qui Iada vulgo appellatur Friſios lambit, à quo adiacẽs ora, Budiagen, dicitur.
„ At Vidrus inter Biſactores, ac Bructeros, nunc VVeſtfalos, & Friſios fluens &
„ in more inter Rhenũ & Amiſiam egrediens, Nigra vnda, vernacule *T ſvvartſe vvater* dicitur. Hodie non tam latet patet Friſiorum nomen, diuidunturque
„ Amiſia fluuio, in Occidentales & orientales. Quæ hic ortelius adfert, de latiſſimis Friſiorum limitibus, medio fuiſſe tempore intelligendũ eſt, quum inſtar turbinis celerrime Imperium protuliſſent, ſed inde mox iterum deiecti, vbi nunc viſuntur, conſtitere. Friſiæ Princeps ante octingentos fuit ſemper annos Hollandiæ Comes, à Carolo Caluo Cæſare primum conſtitutos. Sed paucos, niſi armis domiti agnoſcere Friſij voluere. Hinc continua cum Hollandis bella. Nullo honeſtatur Friſiæ Princeps Titulo, niſi, *Domini*. Ciuilibus noſtri ſæculi bellis, Hollandis veteribus hoſtibus, quam Legitimo Principi parere maluerunt. Habet Friſia vtraque ab Oriente Ditionem Oldeburgenſem,

ac Bre-

ac Bremensem: ab Occidente Hollandiam & Flandriã: à Septentrione Oceanum: A meridie Cliuiam, ac VVestfaliam. Nunc ad vtrusque Frisiæ Itinerarium nos conuertamus, ac primum Occidentalis, quod ea ad nostrum pertineat Belgium, Oppidorumque eius distantias, ad Groningam primariam, clarissimamque Occidentalis Frisiæ Ciuitatem applicantes, si prius vtriusque magnitudinem ob oculos posuerimus. Occidentalis Frisiæ longitudinem ab Oriente in Occidentem ductam, capimus à Pago nomine, *Rheiden*, Ditionis Gruninganæ, vsque ad Oppidum *Staueren*, in Ripa Sinus meridionalis situm, continens spatium octodecim milliarium, minorum Frisicarũ, quæ paululum brabanticis sunt maiora: Latitudo autem vbi maxiam est, à Meridie in Septentrionem ducta, ab Oceano, Pagoque, *VVerum*, vno milliari supra Oppidum *Doccum* conspicuum, ad finem vsque Ditionis, quæ dicitur, Septem Nemora, in Pago *Bleesdije* constituto continens nouem tantum dicta milliaria. Ditionis Emdanæ (quæ hodie Frisiæ Orientalis, nomen imprimis obtinet) longitudinẽ statuo ab Amne Amisia, vsque ad flumen Iadam, interuallo circiter duodecim dictorum milliarium: Latitudinem vero à Meridie in Septentrionem, mareq; Oceanũ, ac limitem Arcis Stichusæ constituo, quæ paulo plus octo dicta milliaria non habet. Distat autem Groninga Colonia Agrippina, milliaribus germanicis maioribus circiter. 25. Brabanticis vero circiter. 55. itinere quinque dierum æquinoctialium: Mechlinia autem milliaribus Brabanticis. 50. Abest Emda Colonia Agrippina, milliaribus germanicis maioribus circiter. 28. Brabanticis circiter. 60. Mechlinia dictis germanicis milliaribus. 24. Brabanticis vero circiter. 54. itinere dierum æquinoctialium sex.

Absunt Groninga hæc Frisiæ Occidentalia Oppida.

Dam. Delftzijl, Fermsum	mill.	3	hor.	5.
Gruningerdiep	mill.	3	hor.	6.
Doccum	mill.	6	hor.	9.
Leuwerden	mill.	7	hor.	10.
Franiker. Ilst, Sneec. Sloten	mill.	9	hor.	12.
Harlijngen	mill.	10	hor.	15.
VVorcum	mill.	11	hor.	18.
Staueren	mill.	12	hor.	20
Bolswaert	mill.	10	hor.	14.
Hindelopen	mill.	11	hor.	18.
VVedde	mill.	5	hor.	7.
Lingen	mill.	12	hor.	20
Emdem	mill.	6	hor.	8.

Absunt Emda, hæc Frisiæ Orientalia Oppida.

Den Oort. Auric. Lutsburg. Norden	mill.	3	hor.	4.
Bierum	mill.	4	hor.	5.
Dornum	mill.	5	hor.	6.
Stichuizen	mill.	5	hor.	8.
Codens. Hazelyngen Nieburg	mill.	7	hor.	10
Knipens. Ievre	mill.	9	hor.	12.
VVitmond. Ezens	mill.	6	hor.	9.
Fredeburg	mill.	8.	hor.	12.
Oldenburg. Kloppenburg-	mill.	10.	hor.	15.

De Comitatu Hollandiæ, Zelandiæ, Ditione Vltraiectina, seu Traiecte ad Rhenum.

CAPVT NONVM.

PRouincia Hollandia, abhinc octingentis annis, à Caroli Magni ex filio nepote, Carolo Caluo Cæsare, Comitatus Titulo insignita, dimidiam veteris Batauiæ partem, eamq; meliorem in se comprehendit, trans Rhenum vero ac Mosam, limites suos latissime extendit, vt paret in topographica Hollandia ac Zelandiæ Tabula. Fateor quidem primos Hollandiæ Comites, non tam amplos possedisse limites, quam hodie Hollandiam obtinere videmus, sed nuptijs, bello, confiscatione, eos auxêre, protulereque, quod amplissimis etiam Regnis & Imperijs, vsuuenisse constat. Qua ratione factum est, vt hoc nostro sæculo Hollandiæ pars maior, partim sit Trans-Rhenana, partim cum tota Zelandia Transmosana, potiore veteris Insulæ Batauiæ parte, in medio Hollandiæ conspicua permanēte. Quicquid enim ab vlteriore ripa aluei Vltraiecto Mudā nomine Vehtæ, versus septentrionem, indeq; in Oceanum fluentis, hodie annumeratur Hollandiæ, Trans-Rhenana fuêre, ac olim partim à Marsacis, Mattiacis, Frisijs, aut Bructeris fuere habitata. Insulæ vero aliquot Hollandicæ, Zelandiæq; omnes, à Mosæ ostio, versus meridiem vergentes ijsdem Batauis sunt Transmosanæ, olim à Morinis, eorumque vicinis Barbaris Nationibus possessæ. Ipsa Batauia Orientem, Occidentemque glaucis, humidisque aspiciens oculis, à Meridie in Septentrionē amicas, sociasque habet Regiones, à quibus circunsepta secure quiescit. Plura hoc loco adferre non est necesse, tum quod ea quæ ad eius antiquitatē spectant lib. 1. cap. 12. abunde tractauerimus, tum quod ea, quę de recenti Regionis situ, natura, ac conditione scribi possent, à varijs accuratissime, ac doctissimè sint pertractata, Tabulisq; topographicis, exactissime delineata.

De

De vocis Hollandiç etymo, Comitumq; eius exordio, ac progressu, in Hollandiæ Comitum genealogia, historiæ nostrę Tomo primo, res Burgundicas complectente, abunde agimus. Zelandia (quod marinam sonat Regionẽ) inundatione maris, hodie in varias secta Insulas, olim cum Brabantia, Frandria, ac parte Hollandiæ continens fuit, à Morinis, alijsque incogintis ad mare habitata Populis. Proprium nunquã habuit Principẽ, sed ab omni antiquitate Hollandiæ Comiti paruit, Titulum Comitatus ea de causa nacta, vt Hollandiæ Comes, more tum Francis, ac Germanis vsitato, varijs etiã Titulis conspicuus, illustrisq; haberetur. Longitudo Hollandiæ nostri æui potest sumi à Meridie in septentrionẽ, ab Oppido Zeuenberga, ad Insulam vsq; hodie appellatam *Vlielant* (quod sonat Fleui Regio) quod est interuallũ.34. brabanticorũ milliariũ.40. facile horis pediti nostro absoluendorũ, nisi paludes, flumina, ac ipsum mare, impedimento forent: Latitudo sumpta ab Oriente in Occidentem, paulo supra Oppidum Heusdam, ad vsque Oceanum, in Pago, *Stalduinen*, haud procul Oppido Sgrauensanda, quindecim dicta non superat milliaria. Zelandicarum vero Insularum Longitudo, ab Oriente sumpta in Occidentem, ab Oppido, *Tolen*, ad vsque Pagum, *VVestcapelle* Insulæ VValachriæ annumeratum, milliaria circiter habere potest Brabantica. 18 Latitudo à Meridie in Septentrionem, à Pago Insulæ ZuitBeuerlandiæ, dicto *EllevVoutsdijc*, vsque ad Oppidum *BrouVVerhauen*, milliaria. 14. non superat. Vrbium, Oppidorumque numerum, in tres classes distribuemus. In prima eas collocabimus, quæ hodie sunt in ipsa Batauiæ Insula, nunc Hollandiæ attributa. In altera Transmosenas omnes adferemus, hoc est, quæ ipsis veteribus Batauis sunt Transmosanæ. Habet autem Batauica Hollandiæ Insula, has hodie Ciuitates: Viana olim Dianæ fanum, proprio Regulo, qui se nemini beneficiarium dicit, paret: Isselsteinium proprium quoque Regulum, Hollandiæ Comitis beneficiarium habet: Heukelemum, Aspera, Leerdamum, tria Oppidula non inelegantia, situ triangulari, vnius tantum horæ itinere inuicem distantia, proprium singula habent Principem, Hollandiæ Com. clientem: Gorinchemum, olim & suum habuit Regulum, potentem, & clarum, sed abhinc centum quinquaginta annis, deficiente stirpe, imperante Hollandis, Iacoba Bauara, Ditio Arculana (ita à Castris Herculis, quorum mentionem facit Ammian. Marcellin. sub initium libro 18. denominata) Hollandiæ fuit coniuncta. VVourda, à paucis annis proprium accepit beneficiariũ Dominum: Audewatera, Schoonhouia, Niportum, Gauda, Dordracum, Roteredamum, Sciedamum, Leida quam Rheni vetus alueus medio secat, Haga-Comitis, Delfum patria mea, Vlaerdinga, Sgrauezanda, Amsterodamum, Harlemium, Alcmaria, Beuerwicum. Trans-Rhenanæ Hollandiæ Ciuitatis hæ sunt: Narda, Muida, VVezopum, Purmerenda Comiti paret Egmondiæ, Hollandiæ Comitis clienti: Munekedamum, Edamum, Hoorna, Einchuza, Medenblicum. Transmosanæ Hollandiæ Oppida hæc

ſunt: Heuſda proprium diu habuit Dominum, quorum conſule genealogiam hiſtoriæ noſtræ burgundicæ lib. 6. VVorkomium, beneficiario hodie paret Domino: Geertrudenberga, Zeuenberga ſuos etiam habent beneficiarios Dominos: Geervlietum, Stria, Briela, Clandera, Gorea, Finarda, Somerdicum, proprium habet beneficiarium Regulum: Oelkenſplata, Tola, Martenſdica, beneficiarium habet Dominum: Reimerſwala, Brouwerhaua, Siriczëa, Tergouſiũ, Cruninga proprium habet clientalem Dominum, Teruera, Middelburgum, Armuia, Vliſſinga, adeo vt vniuerſa Zelandia, Batauis, ſit Tranſ-moſana. Ditio Vltraiectina, ſeu Traiectenſis ad Rhenum, pro parte veterum Mattiacorum, Marſacorum, Friſiorum horumque vicinorum ſedes, partim in Inſula Batauia, partim trans Rhenum, agros accepit, & adhuc hodie retinet. In ipſa Inſula tria eius conſpiciuntur Oppida. Ipſum Vltraiectum, non ita pridem ex Epiſcopali, Archi-Epiſcopalis Sedes facta: VVica Duroſtatum veterum Batauodurum: Montwortium. Trans Rhenum ſunt: Amersfortium, ac Rhena, ad hæc Pagis, Viciſque inſignibus, nobilibuſque Municipijs ſupra modum abundat. De Vltraiecti nominis etymo, variæ adferuntur potius coniecturæ, quam certę rationes è quibus quatuor recitauimus. Sunt enim qui Vltraiectum, dictum volunt à *VVilt* ac Drecht, quod VViltorum olim Gens, Batauiam cum vicinis Ditionibus eiectis Romanis occuparit. Verum id quidem eſt, ſed vnde venerint, diſcere nondum potui. Suffrido enim nec hic fido. Sunt enim qui eos non ſine probabili coniectura è vocis etymo deſumpta, hac de cauſa vocatos, VViltos velint, quod vnde veniſſent nemini conſtaret, ac ſi dicas: *VVilt volc*: quod ſignificat homines ſylueſtres ac ignotos. Dreht veteri gallorum lingua Oppidum ſignificare volunt, ac proinde ſonare VViltdreht, VViltorum Vrbem affirmãt, corruptumque id primum in Vtrecht, ac tandem in Vltrecht. Alij a Romanis deriuatam appellationem contendunt, quibus hic fuiſſe Rheni traiectum ante conditum Vltraiectum aſſerere non dubitant, vt alterũ trans Moſam, eô loci vbi nunc præclara ſtat Ciuitas: Maeſtricht: ac proinde iſtud Romanos vocaſſe, Traiectum ad Moſam & Traiectum Superius: Hoc vero noſtrum: Traiectum ad Rhenum, Traiectum Inferius, ac Vltraiectum, indeque à vulgo factum Vltrecht, ac Vtreht. Tertij aſſerũt Ammiani Marcellini tempore vocatum Vltraiectum, Vtriceſimum, ſed mendoſe apud eum ſub initium lib. 18. legi, Triceſimæ his verbis: Et Ciuitates occupatæ ſunt ſeptem: Caſtra Herculis, Quadri-„ burgum, Triceſimæ (hic legunt Vtriceſium) Noueſio, Bonna, Antennacum, & „ Bingio, omnes adhuc hodie ad Rhenum ſitæ, quas nunc vocari volunt: Arkel, „ Culenburg, Vtreht, Nuis, Bon, Andernah, Binge. Ex his hodie adhuc ſex extant, ſeptimum Caſtra Herculis nunc Arkel dictum, in Pagi formam hac procul Gorinchemo ſitum, eſt redactum. Quarti ſunt qui Vlpiam Triceſimam legionem, vbi nunc eſt Vltraiectum, olim hibernantem, ac à Ptolomëo memoratam, nomen Vltraiecto dediſſe autumant, facile duobus vocibus, aliquot eliſis literis, in vnum coëuntibus ac ex Vlpia Triceſima, Vltreht, ac Vtreht conficientes

ficientes. Lambertus Hortensius, aliquando dictum vult Vltraiectum, Antoninam, sed id mihi rationibus non satis firmis, nec recepti scriptoris testimonio comprobat. Qua autem ratione Ditionem Vltraiectinam, Trans-Isalanam, Drentam, Twentam, Heinricus Bauarus Antistes Vltraiectinus, in potestatem Caroli quinti Cęsaris, hęredumque eius, Ordinibus dictarum Regionum consentientibus, in perpetuum transtulerit, in Vita dicti Cæsaris Caroli quinti historiæ nostræ Tomo secundo, qui est de rebus Belgicis, prolixe scripsimus. Hæ tres Prouinciæ ab oriente habent Geldriam ab occidente flandriam eiusque oceanum: à meridie brabantiam ac Hannoniam: à Septentrione mare germanicum. Itinerum interualla, dictorum Oppidorum ac Ciuitatum, ad Vrbem referemus Vltraiectinam, in medio ferme vniuersarum sitam, facileque omnium clarissimam, dictarumque Prouinciarum, quod ad relligionem attinet primariam. Distat autem Vltraiectum Colonia Agrippina milliaribus germanicis maioribus circiter 22. brabanticis 44. itinere dierum qnatuor. Mechlinia vero dictis german. mill. decem brabanticis 25. duorum dierum æquinoctialium itinere, nisi aquæ marinæ, ac flumina obstarent, nunc tres dies requirentia.

Ciuitates in Batauica Hollandia Sitæ, distant Vitraiecto.

Vianen. Iselstein	mill.	2	hor.	2.
Asperá. Heukelē. Leerdā / Schoonhouē. Nieupoort	mill.	4	hor.	4.
Gorinchem	mill.	5	hor.	6.
VVourden. Andewater	mill.	3	hor.	3.
Goude	mill.	5	hor.	5.
Dordrecht	mill.	6	hor.	7.
Rotterdam	mill.	8	hor.	9.
Sciedam	mill.	9	hor.	10.
Leiden	mill.	8	hor.	10.
Hage	mill.	10	hor.	12.
Delft	mill.	9	hor.	11.
Vlaerdijngen	mill.	11	hor.	13.
Sgrauezande	mill.	12	hor.	14.
Amsterdam	mill.	6	hor.	7.
Haerlem	mill.	9	hor.	10.
Alcmaer	mill.	11	hor.	12.
Beverwijc	mill.	10	hor.	12.

Trans-Rhenana Hollandiæ Ciuitates, absunt Vltraiecto.

Naerden. VVesop	mill.	4	hor.	4.
Muiden	mill.	5	hor.	5.
Purmerende	mill.	9	hor.	10.

Munickedam	mill.	7	hor.	8.
Edam	mill.	8	hor.	10.
Horn	mill.	12	hor.	12.
Einchuizen	mill.	15	hor.	18.
Medenblic	mill.	14	hor.	16.

Trans-Mosanæ Hollandiæ, ac Zelandiæ Ciuitates, quibus milliaria tantum non horas asscripsi, quod Insulæ hoc tempore sint, vbi pediti tempus præscribi non potest, multo minus nauiganti, quod maris æstui, ac ventorum flatibus obnoxius, certi nil de itinere, statuere potest.

Abest Vltraiecto.

Heusden. VVorcum Geertruiberge	mill.	8	hor.	9.
Zeuenberge	mill.	12.		
Geervliet	mill.	11.		
Strie	mill.	10.		
Briele	mill.	13.		
Kloender. Finaert	mill.	14.		
Goree	mill.	16.		
Zomerdijc. Tolen	mill.	21.		
Oelkensplaet	mill.	15.		
Sint Martensdijc. Cruningē	mill.	24		
Reimerswale. Siericzé	mill.	22.		
Brauwerhauen	mill.	23.		
Tergoes	mill.	28.		
Teruere. Armuiden	mill.	32.		
Middelburg	mill.	33.		
Vlissingen	mill.	34.		

Ditionis Vltraiectinæ Oppida Cis-Rhenana, Sita in Batauica ripa.

Abest Vltraiecto.

VVijcko Duirstede	mill.	4	hor.	5.
Montvoort	mill.	2	hor.	3.
Vtrecht				.
Iselstein. Hermelen	mill.	1	hor.	2.
VVourden	mill.	3	hor.	3.

Eiusdem Ditionis Trans-Rhenana Oppida, distantia Vltraiecto:

Amersvoort. Embrugge	mill.	4	hor.	6.
Rhenen	mill.	6	hor.	8.
Ameroingen	mill.	5	hor.	6.

Souſt. VVouwenburg	mill.	4	hor.	5.
Abcoude. Doorn	mill.	5	hor.	4.

De Ducatu Limburgenſi: Comitatu Valkenburgenſi: Dominio T'Hertogenradenſi, ac Delemenſi.

CAPVT DECIMVM.

DVcatum Limburgicum, eſſe vetuſtiſſimum illi ſciunt, qui in rebus Belgicis cognoſcendis operam poſuere. Nam ante Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Flandriæ, ac Namurci cognita nomina, Limburgũ clarũ notumq; fuit, limiteſq; aliquando latos, ac amplos, eorũ Duces poſſedere. Deficiente ſtirpe primorũ Gentis Ducũ, pars maior Regionis, filiarũ nuptijs, vicinis Ducibus ac Comitibus quibus nubebãt, ceſſit, redactaq; eſt Ditio Limburgica in tam anguſtos limites, vt ægre Ducis nomẽ, titulũq; tueatur. Poſtremo Duce vitã ſine liberis finiente, Dux Brabãtiæ Ioannes nominis primus, ac Reinoldus Dux Geldriç, de ſucceſſionis iure inter ſe diſſidẽts, acerrimo prælio, in quo multi illuſtres Viri occuluêre ad Arcẽ Worncanã Ditionis Colonienſis Anno Chriſti: 1293. controuerſiã eo euentu finiêre, vt victus, captuſque Gelder, Limburgũ, Valkenburgũ, T'Hertzogenraidã, ac Dalemũ, in hunc vſq; diem Brabãtis poſſidẽda reliquerit, quibus de rebus qui plura deſiderat cõſulat genealogiã Brabanticã & Geldricã. Sunt hç Regiones Brabãtis Trãſ-Moſanç, ac Ciſ-Rhenanç, hoc eſt, inter Moſam ac Rhemũ ſitæ, eaq; ratione à Brabantis appellatæ: *Die landē van ouer Maes* Exiguç quidẽ nunc Regiones, ſed Brabãtis ob ſitus commoditatẽ, oportunç ac vtiles, olim partim à Neruijs, partim à Gugernis, ac poſtea ab Vbijs Ciſ-Rhenanis habitatç. Noſtro ſçculo oppida pauca, ſed agros habitãt fertiles, Vicorũ frequentia refertos. Oppidũ, imo potius Oppidulũ Limburgũ, in Regionis medio cum munitiſſima Turri ſitũ conſpicitur, ad hoc cæterorũ, vicinorumque aliquot diſtantias metiemur. Harũ quatuor Ditionũ longitudo ab oriente in occidentẽ ducta, vix decẽ brabanticis milliaribus extenditur: Latitudo à meridie in ſeptentrionẽ tracta, circiter octo dicta cõtinet milliaria. Habetq; ab oriente Iuliacos: ab Occidẽte Leodios: à meridie Iutzenburgios, à Septentrione, brabantos. Abeſt Limburgũ Colonia Agrippina, octo milliaria germanica maiora, quindecim brabanticis, duorũ circiter dierũ æquinoctialium itinere: Mechlinia verò 12. dictis germanicis milliaribus, 25. Brabanticis, itidem duobus diebus conficiendis.

Valkẽburg. S'Tertzogẽroid. Herl. Eſden. Elue. Gulpen	mill.	5	hor.	7.
Dalem	mill.	3 ½	hor.	5.
Mortiers. Munſter	mill.	3	hor.	4.
Bern. Aken	mill.	4	hor.	5.
Maeſtricht	mill.	6	hor.	8.

Salm

Salm	mill.	10	hor.	12.
Manderſceit	mill.	11	hor.	14.
Soye	mill.	8	hor.	10.

De Ditione Leodienſi.

CAPVT VNDECIMVM.

PRouinciam Leodienſem, denominari à primaria Vrbe, notum eſt: Vnde autem illa non æque omnibus. Francogalli enim eam hodie, vt & incolæ, *Liege*, appellant: Germani, *Luic*, latini Leodium, omnes corrupte à *Legione* Romana, quæ hoc loco olim ſtationem habere, ac cum auxiliaribus hibernare ſolita fuit. Mirum certe eſt, vocabulum *Legio*, ita corrumpi, ac in alium plane ſonum torqueri potuiſſe. Sed quid non imitatur tempus? quid non in peius, aut melius conuertit? Ditio Leodienſis hodie partim eſt Transmoſana, partim Ciſmoſana, ad vtranque amnis ripam, fines longius quam latius protendens. Transmoſan longitudo ſumi poteſt ab Arce Bullionia, ad vſque Oppidum *VVezet*, continens circiter. 20 milliaria Brabantica, iter. 25. horarum: Latitudo vbi maxima eſt quatuor dicta milliaria non excedit. Ciſmoſanæ vero longitudo, ſumpta duobus infra Oppidum, *Houiam* milliaribus à Pago nomine, *VVaret*, tractaque paulo ſupra Oppidũ Mazeicam, milliaria comprehendit Brabantica. 14. Latitudo vero, accepta à Traiecto ad Moſam ad Pagum vſque, *Teſſenderlo*, ac *Quaetmechelen*, dicta habet milliaria nouem. Ea pars Regionis quæ Brabantis eſt Tranſmoſana, olim pro maxima parte ab Eburonibus, ac Treueris, poſtea ab Vbijs Ciſ-Rhenanis fuit habitata. Fuiſſe enim Eburonum, ac Treuirorum ſedes, inter Rhenum ac Moſam Cæſar non vno teſtatur loco, imprimis vero lib. 5. & 6. bell. gall. Attamen Ciſmoſanam quoque habitaſſe Eburones Regionis partem, ex eo conſtat quod Cæſaris tempore Tungrorum Vrbs, ij vt plærique volunt attributa, ac ſubdita Brabantis Ciſmoſana ſit. Quod reſtat in Brabantia Ditionis Leodienſis, olim Aduatici poſſedere, quorum potentia, nomineque à Romanis extincto, (quod & alijs aliquot, contigit Belgarum Populis) nouas appellationes partim à Romanis, partim à Francis, VVıltis, Danis, ac Nortmannis recepere, & quod diutiſſime ad Moſam, vbi nunc eſt Leodium, Romana Legio ſtationem habuiſſet, iuxtaque eoram caſtra, varij, mercaturæ cauſa, promiſcue confluxiſſent, non mirum eſt, deletis Romanorum hoc loco caſtris, iiſque mox vniuerſa Gallia pulſis, nouam Ciuitatem à veteri Legione, detorta nonnihil pronuntiatione cum linguæ mutatione ſibi nomen ſeruaſſe. At dices odio Romanorum noluiſſe nouos colonos Romanam ſeruare appellationem. Ego contra argumẽtor, eos hoc maxime voluiſſe, vt poſteris conſtaret, qui inde Romanos exegiſſent, gloriaque horum propter Romanæ Legionis denominationẽ, in perpetua poſterorũ memoria extaret. Oppidũ Legio nunc Leodium, primo fuit

exiguum,ignobile,ac obſcurum, vt è caſtrorum munitione ortum, cuius vix vlla mentio apud mediæ ætatis ſcriptores ante tranſlatam eô è Tungris Epiſcopalem Sedem fit, ac proinde initio Tungris ſubditũ fuiſſe,non eſt dubium, quamadmodum & primi Epiſcopi,propter Tungrorum antiquitatem,nobilitatem,ac opulentiam,ibi Sedem,habuêre,donec Vrbe ab Hunnis plane euerſa, Antiſtes Traiectum ad Moſam migraret, Tungrorum reſtitutionem expectans. Sed cum maior ſuperſtitum ciuium pars,propter Moſæ amnis commoditatem,deſertis Tungris Leodij ædificare cœpiſſet, creuit Oppidum, ac tandem ibi conſenſu ſummi Pontificis,Antiſtes Tungrenſis,Sedem poſuit, exinde dictus Leodienſis Epiſcopatus. Plura qui de hac Regione ſcire deſiderat, authores qui ex profeſſo de ea ſcripſere cõſulat, inter quos non poſtremus eſt, Hubertus Thomas Leodius. Nunc eius Itinerariũ noſtro more conficiamus, ac ad Vrbem Leodienſem,cætera Oppida dirigamus. Ciſmoſana autẽ Leodienſium Oppida Brabantis hæc ſunt:Leodium quod vtramque obtinet Moſæ ripam, maior tamen pars Brabantis eſt Ciſmoſana : Tungri : Traiectum ad Moſam, quod etiam vtramque habet Moſæ ripam, ſed maior pars Brabantis Ciſmoſana: Stochemum: Mazeica: Breia: Pera: Beringa : Hercum: Haſſeltũ: Billena: Borchlonium: Fanum Trudonis quod hodie Francogallica lingua, à vetuſtiſſima,primaque eius,ſine dubio appellatione vocatur,Centron:Borchwormum: Houia quod etiam vtramque obtinet Moſæ ripam, ſed maior pars Brabantis eſt Tranſmoſana: Arx Faletia. Hæcautem ſunt Tranſmoſana: Dinantum: Frupontium: Chineium: Pontuum: Beiuortium: Chowina: Sereia: VVezettum: Francimontium: Bullionium: Fanum Huberti : Rochefortium: Bauraingium : Thuinum. Habet hæc Ditio ab Oriente Coloniam: ab Occidente Brabantiam : A Meridie Lutzenburgios : A Septentrione Geldriam. Diſtat Leodium Colonia Agrippina, milliaribus germanicis maioribus,ciriter duodecim: Brabanticis.24. dierum duorum æquinoctialiũ itinere : Mechlinia vero Brabanticis mill. 16. germa.ſeptem.

Ciſmoſana Brabantis Leodienſium Oppida, diſtantia Leodio.

Tungren	mill.	3	hor.	4.
Maeſtricht. Bolſen. Borchloon. Borchworm	mill.	4	hor.	5.
Stochem. Herc	mill.	7	hor.	8.
Mazeic. Brei. Tongerlo Lummei	mill.	8	hor.	9.
Peer. Beringe	mill.	9	hor.	10.
Haſſelt. Sint Truyen	mill.	6	hor.	7.
Houie. Falais. Dipenbeec	mill.	5	hor.	6.

Trans-Mosana eorundem Brabantis Oppida, Leodio, distantia:

Dinant	mill.	11.	hor.	24.
Frupont. Beiwoort: wezet-	mill.	2.	hor.	2.
Chinei	mill.	8.	hor.	10.
Pontu. Francimont	mill.	4.	hor.	5.
Houie	mill.	5.	hor.	5.
Chouvine	mill.	1,	hor.	1.
Serei	mill.	3.	hor.	3.
Buillon	mill.	18.	hor.	20
Rochefort	mill.	10.	hor.	12.
Sint Hubert. Beauraing	mill.	12.	hor.	15.
Thuin	mill.	9.	hor.	16.

De Ducatu Lutzenburgensi.

CAPVT DVODECIMVM.

IN Lutzenburgij, Ducatu, olim pro maxima parte habitasse Populos, Leucos, dictos, mihi dudum certo persuasi, quamquam ampliores eos habitasse limites, quam hodie continet Ducatus Lutzenburgicus non sit dubium. Extendere enim limites vsque in Lotharingiam, eiusque partem possedere, non tamen tanta hominum frequentia Ditionibus illis tum refertis, quam nunc sunt. Maior enim Regionis pars) vt etiamnum hodie ex reliquijs clare apparet, magnis sijluis, densisque saltibus obsita, insuper montes, collesque non excultos habet. Quare nil mirũ, si ob exiguam hominũ frequentiam, obscuri, ac ignobiles inter Belgas Leuci, nuspiam apud Cęsarem reperiantur, ne quidem libro 2. bell gall. vbi omnes fere Belgas contra Pop. Rom. coniurantes certumq; militum numerũ, ad comunia castra adducentes recenset, neq; lib. 7. bel. gal. vbi vniuersam fere Galliã, contra eosdem rebellantem, eiusque Prouincias, militunque numerum, liberanda obsidione Alexia commemorat, ea credo de causa quam allegauimus, tum etiam quod sub Neruiorum Mediomatricũ (aut quod magis credo) Treuirorum Imperio Leuci fuerint. His enim erant cõfines, vt etiam Lingonibus & Sequanis. Marlianus eo tempore Tullium primariũ Leucorum fuisse Oppidum existimat, nunc Toul dictum, vt Diuodurum, Metim mediomatricum. At ego Tullium Romanam esse appellationem, posteriorisque temporis opinor. Quare hæc in medio relinquens, Lectori examinanda statuo, quum nil Marlianus adferat, quo opinionem suam tueatur. Certe apud Tacitum semel (si recte memini tantum Leucorum fit mentio, lib. 17. sed obiter, ac frigide, ita tamen vt è dicto loco, eorum Sedes non difficulter deprehendas, qua de re plura supra libro primo cap. 13. ac in genealogia Lutzcenburgica historia nostræ Burgundicæ libro sexto. Quid vero per Ciuitatem Leucorum, Tacitus dicto libro 17. intelligat,

telligat non ſatis aſſequor. Aliquando enim hac voce, pro certo Oppido, Vrbeque ſcriptores vtuntur, ali quando pro Regione, Natione, ac certa Gente, vt apud Cæſarem, Tacitumque, non ſemel legere licet. Ego hoc loco pro Leucorum Oppido aliquo accipiendum exiſtimo. Inter alia enim eorum Oppida Ptolomeus nominat Tullium, & Naſium quæ hodie eſſe volunt, *Toul*, ac *Nancy*, è quibus Tullium indicare Tacitum dicto lib. 17. reor, ſed tunc alio nomine notum. Leucorum quoque meminit Lucanus Poëta, libro primo ſic canens:

Optimus excuſſo Leucoys, Rhemuſque Lacerto.

Sed nec apud Amm. Marcell: qui tanto poſt tempore ſcripſit, nil de Leucis repperi, quam quæ libro primo cap. 13. ſupra attuli. Quare vt dixi, obſcuriorem fuiſſe nationem, alijs tum parentem, credibile eſt, obfuſcaſſeque eorum nomini Treuiros patronos non dubito. Manſere Leuci in hac obſcuritate, ad annum vſque Chriſti circitur. 1300. Tum enim Heinricus Leuceburgorum nunc Lutzenburgorum Comes, à Germanis Romanorũ Imperator declaratus, primus Ditioni ac familiæ claritatem inuexit, filiumq; Ioannem Bohemorum Regem fecit. Is Carolum quartum Cæſarem genuit. Ille VVenceslaum, ac Sigiſmondum filios, Cæſares ſucceſſores habuit, familiamque è minoribus natu filijs admodum propagatam, per vniuerſam Galliam inclitam reddidit, illuſtribuſque Belgarum, Francorumque familijs, per nuptias inſeruit. Hoc noſtro ſæculo, ſucceſſorũ ſterilitate, ſtirps quodammodo effœta ferme interijt, aut relictis tantum filiabus, ampliſſima patrimonia earum nuptijs, alijs familijs reliquit. Vtuntur hodie Lutzenburgij gallofrancica ac germanica lingua, quemadmodum Leodienſes, Brabanti, & Flandri, idque ſecundũ Regionum ſuarum ſitum, limiteſque. Qui enim Germanis ſunt, vicini eorum vtuntur lingua: qui francis, francica. Longitudo Regionis ducitur à Moſa ad Moſellam Amnes (his enim duobus fluuijs, Prouincia includitur) hoc eſt ab Oriente in Occidentem, milliaribus Brabanticis circiter. 25. Latitudo enim à Meridie in Septentrionem tracta, vltra ſexdecim non habet dicta milliaria. Reſpicit ab Oriente coitum Moſellæ cum Rheno : ab occidente Hannoniam ac ſyluam Arduennam: à meridie Lotharingiã : a Septentrione Geldriam ac Brabantiã. Oppida eius referemus ad primariã Vrbem Lutzeburgũ, quod abeſt Colonia Agrippina, milliaribus germanicis maioribus circiter, 23. quinque dierũ æquinoctialiũ itinere, Brabanticis vero circiter, 50. Mechlinia circiter dictis germanicis milliaribus, 30. Brabanticis paulo plus, aut minus, 60. dictorũ circiter dierum ſex itinere. *Abeſt Lutzenburgo:*

Dietenhoue: gallica: Thionville	mill.	4	hor.	6.
Rodemarchen	mill.	2	hor.	3.
Ehternah	mill.	3 ½	hor.	6.
Grauemarchen. Arlun	mill.	3	hor.	5.
D'Echry	mill.	4	hor.	6.

Vianden. Virton	mill.	5	hor.	7.
Bitburg. Nurburg. Chini. Neufcastelle	mill.	7	hor.	10.
Sainct vit. Leupij. La Ferté	mill.	9	hor.	12.
Malmedi. Stauelo	mill.	11	hor.	14.
Bastoinge	mill.	6	hor.	8.
Hoffalise. Maruille	mill.	8 ½	hor.	13.
La Roche	mill.	12	hor.	15.
Durluy. Marche	mill.	14	hor.	18.
Virton	mill.	5	hor.	7.
Montmedij	mill.	8	hor.	11.
Dampuillers. Iuois	mill.	10	hor.	14.
Chini	mill.	7	hor.	9.

Vicina Lutzenburgijs Oppida, distantia Lutzenburgo.

Trier	mill.	5	hor.	8.
Kilburg. Sint Hubert	mill.	9	hor.	12.
Siric. Longeui. Vilers	mill.	3	hor.	5.
Mets	mill.	7	hor.	10.
Sconec. Esdam	mill.	12	hor.	16.
Pruine	mill.	13	hor.	18.
Mouson. Doucij	mill.	11	hor.	15.
Doucherij. maßieres. Lūmes	mill.	14	hor.	20
Rochefort	mill.	15	hor.	22
Buillon	mill.	10	hor.	16.
Moncorne. Chinei. Charlemont		16	hor.	25.
Dinant	mill.	20	hor.	28.

De Comitatu Namurcensi.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

DE Comitatu Namurcensi, nil aliud in præsens quod dicam habeo, quam hoc eum nomine apud veteres, notum non fuiſſe, ſed partim Aduaticos, partim Eburones, eorum tenuiſſe agros, quod lector facile ex ijs, quæ ſuperioribus ſcripſimus capitibus, cōſpiciet. De nominis etymo nil præter coniecturas adferre poſſumus, inter quas aliquid (fabulis refutationem non merentibus) de Iacobi Meieri coniectura, quod veriſimilitudinem habere videatur, nobis eſt dicendum. Is enim in Flandriæ Annalibus ſcribit olim Namurcum fuiſſe appellatū: *Nieu-muir*: quod nouum germanis ſonat murum, id autem gallofrancicam linguam corrupiſſe in: Namur: ac Belgas germanice loquētes in: Namen. Gallofrancorum mutationi accedo, nam compoſitionis vocem, Muir, aut Mur, videntur ſeruaſſe incorruptam.

tam. At Belgogermanos tantum à natiua, veraque germanica compoſitione defeciſſe, vt e, *Nieumuir*, *Namen* (quod voces, nominaque numero multitudinis ſignificat) feciſſent, quis vnquam credet? quum videat eos in hodiernum vſque diem, pleraque vetera, Belgicarum Prouinciarum nomina, ac appellationes quas ante Iulij etiam Cæſaris tempora habuere, pro parte, conſeruaſſe, eorumque veſtigia, ac relliquias multis locis cũ ſumma admiratione, adhuc ſupereſſe, adeo quidem clare, ac aperte, vt etyma etiã ſcrutari, ac perueſtigare ex ijs liceat. Proinde non poſſum mihi perſuadere, Namurci Oppidi, ac Regionis nomen, è *Nieu*, ac *Muir* eſſe compoſitum, niſi id mihi certius ac firmius quam nuda aſſeueratione probet Meierus. Quid ſi ex Cæſare veriſimiliorem nominis etymi coniecturam, quam è nouo muro eruamus, an ne maior fides coniecturę debebitur? Exiſtimo certe. Meminit Aulus Hirtius lib. 8. bell. gall. bis, Nemetocennæ, quam non Populum ſolum, ſed Vrbem, aut Oppidum etiam fuiſſe, apertis declarat his verbis: His rebus confectis ad legiones in Belgiũ ſe recipit, hibernauitque Nemetocennæ, Iterum paulo poſt: Cum omnes Regiones Galliæ Togatæ Cæſar percucurriſſet, ſumma celeritate ad exercitum Nemetocennã rediјt, legionibuſq; ex omnibus hibernis ad fines Treuirorũ euocatis, eo profectus eſt, ibique exercitum luſtrauit. Ex his verbis primo palam eſt, Nemetocennam Vrbem, aut oppidũ in Belgio ſitũ fuiſſe, non Populũ, neque Ciuitatẽ. Ad quid enim aliud illa verba? ad legiones in Belgium ſe recipit, hibernauitq; Nemetocennæ. Secundo ex ijſdem patet, Nemetocennam haud procul Treuirorum finibus abfuiſſe. Si enim aliter ſe res habuiſſet, in propinquiore loco, legiones cõuenire iuſſiſſet, neq; eas procul ab hibernis, dilectui habendo, inutili labore abduxiſſet. Nec eſt quod aliquis mihi obijciat, Cęſarem hic agere de aliquo veterum Nemetũ Oppido, Ditionis nunc Spirenſis, & vicinorũ, quæ tota Cęſaris tempore, Treuiris parebat, vt ſupra lib. 1. cap. 6. diximus. Id enim omne diluitur, quod iam dictis è libri octaui locis Hirtius apertè ſcribit, Nemetocennam fuiſſe in ea Belgarum Regione, quam plærunque Belgium vocat, de quo nos prolixe ſcripſimus ſupra lib. 1. cap. 4. & infra adhuc ſcribemus cap. 24. Certe è contextu libri octaui bell. gall. ac ſenſu eorũ quæ ibi tractantur, aperte colligitur Oppidum Nemetocennam in ea Belgij parte fuiſſe, quę hodie Ditio Namurcenſis, aut Lutzenburgenſis dicitur, longiſſime vero ab ea quæ nunc Spirenſis appellatur. Eſt igitur Namurcum, aut veterum Nemetocenna, aut ex eius ruinis ædificatum Oppidum, ſeruata pro maxima parte eius appellatione, duabus tantum à fine reſciſſis ſyllabis, factumque è veterum: *Nemen-to-ſcm*: *Nemen*, ac Namen, corruptius gallofrancice, Namur. Fuit enim Moſa, ac Nemetocenna Cæſaris tempore ea in parte Treuirorum limes. Quare coniecturis omnibus in vnum collatis, loci vicinitate, ac oportunitate inductus, nominiſque alluſione tractus, allectuſque, ſtatuo cum Carolo Bouillo, Nemetocennam fuiſſe Oppidum, quod hodie latine vocamus Namurcum, gallice Namur, germanice *Namen*, ſi non eodem loco, at ſaltem eadem in Ditione ſitum. Traiecto

iecto enim Nametocennæ Mosa, mox Romani fines Treuirorũ ingrediebantur. Hi enim eo tempore Ditionem Lutzeburgensem (quæ hodie media iacet inter Namurcenses & Treuirenses) fere omnem habitabant vt clarius lib. 1. cap. 6. declarauimus. Hæc lector secum examinet, Carolumq; Bouillum consulat, ac tum iudicet: Ea enim ratione qua è Bratuspantio, Brabantum & Brabantia: à Treetuieren, Trier: à Leucen, Lutzen: ab Atrebaten, Atreht: à Neruien, Naerden, ac similia sunt facta, eodem ferè modo à *Nemen-to-sem*, *Nemen* ac *Namen*, duabus posterioribus reiectis syllabis, videtur factum. Compositum enim è tribus mere germanicis apparet vocibus, scilicet: *Nemen to sem*: hoc est, Nemetum ad Sabim, subaudi fluuium situm, differentia Nemeti ad Rhenum, quod nunc, Spiers dicitur. Hæc sufficiant de nominis etymo, reliqua lib. 1. cap. 6. require. Paruere olim Namurcenses Marchionibus, deinde Comitibus, quorum primi cum vxoribus ac liberis, scriptorum sui temporis negligentia, ac barbarie, numerari ordine non possunt, quanquã id plærique, sed fabulose facere sunt conati, posterisque obtrudere commentitiam, nulliusq; testimonio fundatam genealogiam. Idem vsuvenit in enumeratione Comitũ, Ducumque Limburgicorum Belgicorum. Posteriorum Comitum Namuacensium continuata series, difficulter quoque exhiberi potest, quod subinde proprios ac domesticos habuerint Comites: aliquando Flandriæ, nonnunquam Hannoniæ Comitibus paruêre, filiabus non raro, res eorum turbantibus, aut aliis de causis mutantibus. Regio enim parua, exiguæque potentiæ, quid mirum si aliquoties in diuersorum reciderit Principum potestatem. Preter quinque enim aut sex Oppida, muro, fossaque cincta Comitatus Namurc: non habet, sed nobilium Virorum Arces complures, insigniter munitas, tum etiam opulentium Abbatum Monasteria, Municipia celeberrima, quæ nos loco oppidorum Itinerariis, hic, & alibi non raro ascribimus: Latitudo eius à meridie in Septentrionem ab Abbatia, VVassors, quæ in meridionali eius est limite, vsque ad Abbatiam Bonef in limite septentrionali sitam, decem circiter milliaria brabantica minora continet: Longitudo vero ab Oriente in Occidentem sumpta, ab Abbatia Sorilla, in eius orientali limite ædificatam, ductaque ad fluuium dictum, Pieton, quod Namurcenses ab Hannoniis disterminat, circiter duodecim tantum dicta habet milliaria. Distat Namurcum Colonia Agrippina milliaribus germanicis maioribus 15. brabanticis 32. quæ æquinoctialibus diebus duobus cum dimidio absolui possunt. Mechlinia vero, Brabanticis milliaribus 14. germanicis sex 14 horis absoluenda. Regio partim est Trans-Mosana, partim Cismosana, quam ab altera parte intersecat Amnis Sabis Cæsari notus, Namurci perlapsa sub Arce Vrbe, in Mosam influens. Hunc ego Cæsaris ætate dictum ab incolis conijcio, die: *Sam*, aut *Sem*: cum & hodie accolis vocetur, Sambre, indeque appellatum Oppidum, *Nemen-to-sem*: quod sonat, *Nemen*, aut *Namen*, ad Sabim, quod cum Cæsar & Hirtius non intelligerent, tribus iunctis monosyllabis, ex iis, *Nemetocenna*, fabricarunt. In ripa Mosæ

fluminis

fluminis conditum hodie conſpicitur Namurcum, inſigniq́ue lapideo arcuati operis ponte, Vrbem cum inſigni Suburbio iungit, ac ab eadem parte Collem obtinet, in qua vetuſtiſſima ſtat Arx, tam ciuibus in officio continendis, quam Comitis tutæ habitationi deſtinata, nouis aliquot operibus, ad noſtri ſæculi rationem modumq́ue, munita. Iam ad Regionis Itinerarium pergamus, conſtitutis primo Ditionis limitibus. Habet autem ab oriente Leodios ac Iuliacenſes: ab Occidente, Hannegaudios: à meridie Arduennam: à Septentrione Brabantiam.

Ciſ-Moſana Brabantis Namurcorum Oppida, Arces, ac Municipia, Namurcio diſtantia.

		mill.		hor.
Bouines. Heremitagie. Chaſtelniau		4	hor.	5.
Charlemont. Florẽnes. Vallencourt. Tille Chaſteau.	mill.	7	hor.	8.
VVaſſor	mill.	5 ½	hor.	7.
Bois de Villers. Flores. Malroy. Froimont. Archenreſail	mill.	2	hor.	3.
Malogne. Sainct Martin	mill.	1	hor.	1.
Longerualle. Montignij ſur Sambre		5	hor.	6.
Faſſe. Bonef	mill.	3	hor.	4.
Marchienneau Pont	mill.	6	hor.	6.

Tranſ-Moſana Superiora, Namurco diſtantia.

		mill.		hor.
Chaſtaeu. Thierrij	mill.	5	hor.	7.
Godinchaſteau. Faux. Gãdpré. Iauſe le feron. Sanſon	mill.	2	hor.	3.
Chaſteau. Brumaigne	mill.	1	hor.	2.
Sorille	mill.	4	hor.	4.
Ander	mill.	3	hor.	3.
Thuin	mill.	7	hor.	7.

Vicina Namurceis Oppida, inde diſtantia.

		mill.		hor.
Dinant. Chinei. Sombref Chaſtelet	mill.	4	hor.	5.
Hauce. Moriammez	mill.	5	hor.	6.
Giblou. Conroy. Orchimõt-	mill.	3	hor.	4.
Phillippeuille. Charlemont Marieburg	mill.	7	hor.	8.
Mons en hainaut	mill.	12	hor.	14.
Bruxelles	mill.	10	hor.	12.

De Ducatu Brabantiæ.

Capvt Decimvm qvartvm.

NOminis Brabantiæ etymon est incertum, quod quæ de Anchise, ac Brabonibus adferuntur, meræ sint fabulæ. Ego mihi persuasi, à Bratuspantijs Regioni nomē mansisse, de quibus Cæsar bel. gal. libro 2. scribit. Excisa enim eorum Vrbe (quæ sine dubio in ea Belgarum fuit parte, quæ hodie vocatur Picardia, sed quo loco steterit, facile dici non potest sub bellovacorum enim eos fuisse imperio sribit Cæsar) in nostram hodie Brabantiam, superstites è clade migrasse credo, nomemque veteris patriæ seruasse, ac sensim à Bratuspant, factum *Brabant*, vnica è vocis medio, detracta syllaba. Chronica Hollandię, in Vita Comitis Theodorici tertij, hanc meam opinionem confirmare videntur, quum narrant Aufridiū, Antistitem Vltraiectensem, Comitem Huiæ, Teicterbantiæ, Bratuspantij, ac Rhiję, Dominū in Altena, in Diplomate quodam his vti verbis, vt ea è vernacula transtulimus lingua:
„ In Comitatu nostro Rhijensi, ac Bratuspantij, cuius Ditionis Pagi sunt: VVesterlo, Oosterlo, Mierbeca, Hombeca, Burenta, quos etiamnum hodie Pagos
„ Brabantia nouit, excepto Bratuspantio, quod nuspiam extare nunc memini, nisi in Ducatus Titulo. Nouit enim adhuc Comitatum Rhiensem, cuius primum obtinet locum Antwerpia. Titulum Ducatus, à Lotharingis, aut incorruptius Lothreicijs manasse certum est, quod longo tempore, hæ duæ Regiones vnum habuerint Principem, separateque comune Titulum vtraque retinuit. Non enim legimus Cęsarem, Regem, aut alium Principem Brabantiæ Ducatus Titulum dedisse aut per se Comitatus Titulum (vt Louanium) vel Marchionatus, aliunde habuisse. Communicata est mihi à Viro Docto mihique amico, alia de Brabantiæ etymo coniectura, quā scribere non grauabor, vt Lector in re dubia, antiqua, ac obscura, eligat, sequaturque quod placuerit. Constat Godofridum Barbatum, primum relicto Comitis Louaniensis Titulo, nullius Cæsaris, nec Regis, sed propria authoritate sumpsisse Ducis Lotreichi Titulum, quod id sibi iure deberi censeret, successores mox adiunxisse Brabantiæ, corrupta voce (vt hy volunt) è nomine Barbatus, innuere volentes Lothreciam Inferiorem, à Barbato recuperatam. Aiunt enim facile fieri potuisse, vt vox Barbatus, studio, aut errore transpositis litris è Barbatia fieret Brabantia. Offero tibi lector coniecturam, vtere tuo arbitrio, quum eam nec Oppugnare, nec defendere in animo sit. Mihi plus arridet de Bratusbantijs. Primi Lotreichiæ Inferioris, nunc Brabantiæ Principes, è stirpe Caroli Magni fuere: Deinde è sanguine Comitū Arduennæ: Tertij è familia primorum Comitum Hannoniæ: Quarti è stemmate Ducū Burgundię stirpis Capeticę: Qui nunc imperat ex illustri est Austrię Archi-Ducum genere sanguinis Habspurgici. Brabantia amplos limites meo æuo continens, Cęsaris tēpore in se complexa est, partem Eburonum, Aduaticorum, Menapiorum, ac Neruiorū: in vniuersum

sum autem Ambiuaritos,Bethasios,ac posterioribus temporibus Toxandros. De Segnis,Leuacis,Cæresijs,ac Pæmanis dubitatur, quos re vera habitarint agros etsi doctiores,Leuacos Louanienses,Pæmanos Pelandios esse velint.Segnos vero ac Cæresios,in Ditione Leodiensi, aut apud eorum vicinos collocent.Supra lib.1.cap.9.& 11.abunde de his scripsimus. Ducis Titulus(vt diximus)brabantis adhæsit à tempore Principum stirpis Caroli magni, è quibus Lotharius,filius Cæsaris Lotharij qui monachus est factus, pro hæreditaria portione,obtento Austrasiæ Regno,id in nomen suum conuertit,ac Lotreichij Regnum,quod nunc Lotharingiam appellant, vocari iussit. Id autē tum temporis longissime protendebatur, comprehendens Lotharingiam præsentem, Ditionem Treuirensem,Lutzenburgensem, Namurcensem, totam nostram Brabantiam, Arduennam,partem Flandriæ, cum vicinis aliquot Ditionibus. Sed tandem à Capeticæ stirpis Francicæ Regibus abolito dictis in locis Regio nomine,Ducatus Titulum,Francorum Regum authoritate, Lotreichia obtinuit,multisque priuatę Prouincijs,pars Imperio Germanico,Francorum Regno:pars nouis Regulis cum nouis Titulis,dono Cęsarum ac Regum cessit,inter quos non postremi Comites fuêre Louanienses,qui auctis ex Austrasiæ Regni laceratione limitibus,tandem omisso Comitis Louaniensis Titulo, primum Ducis Lotreichij,deinde Brabantiæ Titulum assumpsere. Et quanquam certis terminis Brabantia à Lotreichia (nunc Loreina) esset separata, inuicē tamen Titulum Ducatus(vt vna eademque aliquando Prouincia) communicauêre, & in hodiernum vsque diem vsurpauêre, superiori parte pro Lotreichia, Lotharinghia,vernacule Loreina se appellari contenta. Brabantię longitudo maxima sumitur, quatuor infra Bruxellam Vrbem Regiam milliaribus à Pago *Stritten* ac *Goicke*,hoc est,ab Occidente in orientem, ad Ditionem vsque Kessellanam, Amnemque Mosam,habetq; hoc spatium,30. milliaria brabantica,pediti nostro 36.horis conficienda. Latitudo vero sumpta duobus milliaribus supra Iudoignam,à Pago Hottemont,aut Rompant, ex ipsa nimirum meridie, vsque ad fines Buscoducenses ad amnem Mosam,Brabantiæ plagam septentrionalem obtinentem,milliaria habet brabantica paulo plus,minusue 21.horis 25 plus minus conficiendis. Descripsêre Brabantiam varij viri docti, ac inter postremos Lodowicus Guicciardanus Italus in descriptione Belgij quod opus vtinam accuratius tractasset,nec tam studiosus in ijs recitandis fuisset,quæ nobis nullo sunt vsui,ridebuntur,& contemnentur à posteris. Optime autem & breuissime eam delineauit amicus noster Abrahamus Ortelius,in mūdi Theatro,opere nunquam satis laudato, in frontispicio Tabulæ topographicæ Brabantiæ,è qua hæc quæ sequuntur,in eorum gratiam,qui ob rem angustā,sumptuosos emere libros non possunt,describere non piguit: Brabantiæ Ducatus, ” Mosa, Scaldi, Sabi, ac Tenera fluminibus,ferè circumscribitur, adeo vt nusquā ” hos fluuios transiliat,neque etiā vbique attingat,quum cis Mosam Leodiensis ” Prouiucia,magnam huius tractus partem occupet, habetque (vt plenius eius ”

R terminos

» terminos deſcribamus) Hollandiam & Geldriam à ſeptentrione, Leodienſem
» Ditionem ab oriente: Namurci Comitatum, nec non Hannoniam ad meridiẽ
» reſpicit, Flandria illi ab occidente eſt, Scaldeq; fluuio, ea ex parte dirimitur. Re-
» gio nobilis eſt & amœna, Gens hilaris. Continet Marchionatum ſacri Imperij,
» cuius Antwerpia caput eſt: Marchionatum Bergarum ad Scaldim: Ducatum
» Airſchotanum: Comitatum Hoohſtratanũ, Meganum, ac VVaelheimiũ. Sunt
» in ea nemora, & Saltus cõplures, multijugis ferarũ generibus abundãtes. Con-
tinet 26. Ciuitates (Itinerarium noſtrum plures habet) vallis, foſſis, ac muris cir-
cundatas, exceptis Municipijs, vernacula lingua (*Vribeden*) appellatis. Hæc ille.
Municipia certe, Ciuitatum ſuperant numerum, cumque multis certant Oppi-
dis, ſiue loci ambitum, ędificiorum multitudinem hominum frequentiã, opeſq;
ſpectes, ſiue priuilegia, donatamque à Principibus libertatẽ, immunitatemque
conſideres, è quibus hoc noſtro ſęculo, ciuilium bellorũ calamitate, vti plęraq;
oppida, funditus interiêre, aliquando reuiuictura ac in priſtinũ ſtatũ reuerſura.
Ciuitates Brabantiæ hę ſunt: Louaniũ: Bruxella, Antwerpia, Mechlinia (Ditio
per ſe, ac exigua, in medio Brabantiæ ſita, illiq; natura ac ſitu debita) Boſcodu-
cum: Thena, Niuella, Lewa, Airſcotum, Megenum, Breda, Traiectum ad Mo-
ſam, quanquã ius ſibi Leodienſium antiſtes arroget, Steenberga, Lira, Viluor-
dum, Gemblourſium, Ioudoigna germanice Geldenaken, Hanutiũ, Laudenũ,
Halemum, Dieſta, Sichemum, Herentalium, Endouia, Helmontiũ, Geertru-
denberga, Heuſda (quas etiam Hollandia ſui iuris facit, & cuius ſint, adhuc ſub
iudice lis eſt) Raueſteina, Graua, VVaerda, quę tria oppida Geldri ſui iuris fa-
ciunt. Municipia maiora, pro maxima parte hęc ſunt, Ooſtorwicũ, Orſchotũ,
Turnholtium, Hoohſtratum, Duffela, VValemũ, Merſchena, Aſſcha, VVerna,
Duiſbochum, Hulpena, Wauera, Braina, Roſendala, Gennapium, Gela, Aren-
doinckium, Parwesium, Grimberga, Dormala, Anderlehtum, Gaeſbeca, Har-
baiſium, Itra, Borgneuallum, Glabbeca, Berchemum, VVaelheimium, Rotſe-
lara, Boxtellium, Wezemalia, VVeſterloum, VVeſtmala, Hulſhoutium, Keſ-
ſelium ad Moſam ſitum Romanis olim dictum Caſtellũ, de quo egimus ſupra
lib. 1. cap. 10. Brabantia, vt paulo ante ex Ortelio recitauimus, quatuor circun-
datur Amnibus, at vero irrigatur multo pluribus, vt: Domma, qui Ditionẽ Lo-
nenſi apud Leodios ortus, ſecans Oppidum Endouiã, acceptoque Buſcoduci,
Ada, ac paulo ſuperius, Runna, dictam Vrbem perlabens, mox in Moſam in-
fluit. Dunga Geertrudenbergæ: Marca Zeuenbergæ idem facit. De Demera,
Geta, Delia, Zinna, vtraque Netha, infra cap. 22. agetur. Brabantiæ Itinerarium
ad vetuſtiſſimam eius Vrbem Louanium delitias Muſarum dirigemus. Id au-
tem Colonia Agrippina diſtat maioribus germanicis milliaribus circiter 20.
« Brabanticis fere 35. quatuor dierum æquinoctialium itinere. Mechlinia vero
« Brabanticis milliaribus quatuor itinere horarum quinque. Diuidemus autem
« Brabantiæ Ciuitates, reſpectu eius qui Louanij agit, in Cis-Demeranas, &
« Tranſ-Demeranas, è quibus Ciſdemeranę pars maior ad Namurcẽſes & Han-

nonios

nonios vergens lingua vtitur francogallica, ipsi Romane se loqui asserunt. Reliqui omnes Brabanti, inferiori germanica vtuntur lingua, diphthongis tamen & triphthongis abundante, inter quos Antwerpienses omnium purissime, ac suauissime loquuntur, credo quod ex omnibus germanice loquentibus Belgis, ad Vrbem mercatus causa confluentibus sermonem conflent, ac enunciationem aptent, minusque cæteris vtuntur diphthongis ac triphthongis, quodque peregrinum sermonẽ, rarissime cum vernacula misceant. Diximus Zeuenbergam, Geertrudebergam, ac Heusdam vetusta controuersia tam Hollandos quã Brabantos sibi vendicare, nos sententiã ferre nolentes, vtriusque Ditionis Itinerario eas adiungemus. Megenum, Rauesteiniã, Grauam, Ditionẽ Cucanam Kessellanam, ac Hornanam, Geldri, Leodij, ac Brabanti etiã veteri dissidio singuli sibi aribuunt, ideoque & singulorũ Itinerario, controuersa ascribo, Mechlinia Prouincia est sui iuris, exigua, sed quæ fere in medio Brabantiæ conspicua, sitaque, illi annumeranda fuit.

Brabantiæ Oppida Louanijs Cisdemerana, absunt Louanio:

Antwerpen. Sinte Bernaerts	mill.	8	hor.	8.
Bergen opt zoom. Rosendael	mill.	14	hor.	16.
Steenbergen. Tsertogenbos	mill.	17	hor.	23.
Zeuenbergen. Oirschot. Oosterwijc. Endouen. Kessel	mill.	15	hor.	18.
Geertruienberge. Boxtel	mill.	16	hor.	20
Breda	mill.	13	hor.	16.
Hoohstratẽ. Arendoinc. VVeert	mill.	10	hor.	12.
Liere. VValem. Duffele. Tongerlo. VVesterlo	mill.	5	hor.	6.
Hulshout	mill.	4	hor.	4.
Herentals	mill.	6	hor.	6.
Gheel	mill.	7	hor.	8.
Heusden. Helmont	mill.	18	hor.	24.
Megen. Rauastein. Graue	mill.	21	hor.	28.
Cuijc	mill.	24	hor.	33.
Maestricht	mill.	12	hor.	14.

Brabantiæ Oppida Louanijs Transdemerana, distant Louanio.

Lewe. Halen. Diest. Dormale. Anderleht. Waelhem. Parwers	mill.	5	hor.	6.
Sichenen. Geldenakẽ. Mechelẽ. Brussel. Viluoorden, Grimbergẽ. Harbais		4	hor.	5.
Afschot. Thienen. VVaueren	mill.	3	hor.	3.

Hannut. Asche. Gēnappe. Itre	mill.	7	hor.	7.
Landē. Gembloūrs. Gaesbeke	mill.	6	hor.	6.
Rotselaer. Veurne	mill.	2	hor.	2.
Vlierbeec	mill.	1	hor.	1.
Niuelle. Marchten. Borgneual Glabbeec. Affligē Berchem	mill.	8	hor.	9.

Limitanea aliarum Prouinciarum Oppida, Louanio distantia.

Namen. Braine. Einghien Niniuen. Aelst	mill.	9	hor.	10
Fontaines. Brey	mill.	12	hor.	15
Soignij. Peer	mill.	10	hor.	12
Halle *in Brabant*. Beringe	mill.	7	hor.	8.
Dermonde. Ripelmonde Berchworm	mill.	8	hor.	9.
Sint Truyen. Herc.	mill.	6	hor.	6.

De Comitatu Flandriæ.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

FLandriæ Comitatus omnium Europæ Prouinciarum, hoc Titulo insignitarū, amplissimus & potentissimus est, vt etiam totius Belgij, quocunque eæ Titulo decorentur, siue hominum frequentiam, Municipiorum, Pagorum, Arcium, Sacrarumque Ædium, situm, multitudinem, ac splendorem, Regionumq; amplitudinem, Vrbium, Oppidorumq; claritatem, opes diuitiasque spectes. Longitudo enim Flandræ, Brabantiam quatuor milliaribus superat, sumpta à Scaldis ripa, Vrbi Antwerpiensi opposita, vsque ad Ostium Amnis, *AA*, fanum Audomari secantis, ac Grauelingæ in Oceanum se exonerantis, hoc est, ab Oriente in Occidentem, continetq; milliaria brabantica. 34. Recta eius Latitudo, intra Meridiem & Septentrionem conprehensa, ductaque ab Vrbe Duaco, Oostendam ad Oceanum vsque 20. eadem continet milliaria. At nonihil in obliquum tracta, ductaque Duaco, versus Insulas Catzandicas, earumque postremam, *Vlpen*, milliaria habet. 25. non multum à Brabantiæ latitudine & longitudine discrepans, attamen eam superans. Ambitus vero Brabantiæ & Flandriæ paulùlum supra centum dicta conprehendūt milliaria. Nam vt in Brabantia pars non exigua Ditionis Leodiensis: ita intra Flandriæ viscera, non parua Hannoniæ se insinuat particula. Flandria, vt & Brabantia, naturę situ fertilissima & amœnissima est, tum quod ab Occidente in septentrionem Oceano cingatur, tum quod in medijs visceribus, insignibus aliquot fluminibus, ac magna multitudine Riuulorum, Torrentiumq; irrigetur. Decurrunt eium versus mare, hij in Flandria Amnes: *AA*: Colma: Pæena: Isara: Iperlæa: Lieua: Cala: Moura: Durma ac similes. In Mediter-

diterraneis habet, Scaldim: Lisam aut Leiam: Deulam: Manderã: Dendram seu Teneram. Ex his Lisa apud Atrebates, haud procul Oppido Aira Ortus, vniuersam fere Flandriæ Longitudinem, in duas prope æquas partes Gandaui Lieuæ ac Scaldi coniunctus, scindit. Qua de causa nos Flandriam in Cis-Lisanam, ac Trans-Lisanam diuidemus, quo eius Itinerarium commodius proponamus. Vt autem sine errore me lector intelligat, nos de Cislisana, ac Translisana Frandria loqui sciat in Brabantia, aut Hannonia agentes, quibus hæ Ciuitates, ac Municipa sunt Cislisana: Gandauum, quod trium Amniũ, Scaldis, Lisæ, ac Lieuæ confluentiam in media Vrbe recipit: Teneramunda: Alostum: Niniuæ: Geersberga: Aldenarda: Cortracum: Armenteria: Bassæa: Insulæ: Tornacum: Orchiacum: Duacum: Fanum Amandi: Fanum Marchienni Albatia: Ognium: Henninum Lietarrum Comitatus: VVaurinum: Ligneum Comitatus: Espinoum Principatus: Sesclinum: Lannoium Comitatus: Rubaisium Marchionatus: Comena: Halewinum: Harlebecum Comitatus: Gauera Principatus: Pamelium: Liekerca: Flinæ Abbatia: Huius Cislisanæ Flandriæ pars altera, lingua vtitur Francogallica, sed multo nobiliores habet, quam Brabantia in francogallica sua parte Ciuitates. Sunt autem hæ: Duacum, Insulæ, Tornacum, Orchiacum, ac Bassæam cum Brabantia tantum habeat, Hannutiũ, Geldernacam, Gembloursiũ, ac Niuellam, cum dictis quinque Flandricis nulla ratione conferendas. In TransLisana Flandria hæ sunt Ciuitates, & Municipia: Hulstũ: Axella: Basela: Rupelmonda: Beuera: Temsicca: VVasmunstera: Fanum Nicolai: Mourbeca: Ekelonium: Middelburgiũ: Ardenburgum: Oostburgum: Catsantum: Dammum: Slusæ: Brugæ: Audenburga: Ootenda: Tieltum: Rouselara: Menena: Messęna: Bella: Poperinga: Iperæ: Casseltum: Dixmuda: Niportum: Veurna: Honscota: VVinoxbergæ: Duinkerca: Borburgum: Greuelinga: Toroutium: Ghistella: Thiennes: Prouena, & similia. De Flandriæ etymo nil certi habemus. Quod enim quidam adferunt de fœmina Flandria fidem non meretur quum nullũ probatum testẽ adducant pręter flandrię chronica, lingua vernacula conscripta, mendacijs referta præcipue in initijs. Quæ de Æstuarijs adfert Meiërus frigidæ sunt coniecturæ, qui à fluctu aut flatu deducere conantur de longè durũ quętunt etymũ, vt & illi qui à *Flaincken* quod marini æstus reciprocationẽ significare volunt, sed non docent. Qui ab Oppido Flandro dudũ exciso trahunt teste carẽtes, fide carent. Postremi ab Ordinũ quodam Ductore nomine Stephano Flamberto, Regioni dant nomen. Verum quoniam & hij testibus destituuntur, presertim in tanti meriti, tam claro Duce, non video, quare in eorum sententiam sit concedendum. Quamobrem rei veritatẽ in medio relinquo. Habet Flandria ab Oriente Brabantiam: ab Occidente Oceanum: A meridie Hannoniam: A Septentrione Hollandiam. Teste Cæsare ac Tacito, quique post hos scripsêre, tum vnanimis nostræ ætatis scriptorũ consensus in hoc conuenit, olim in hac nostra Flandria tum valde inculta, syluis, saltibus, ac paludibus obsita, habitasse

omnes morinos, pro parte Menapios, Neruios, horumque clientes, ac subditos Gordunos quos Gandenses faciunt, Grudios Brugenses, sed male vt supra libro primo cap. 11. docuimus. Quicquid sit, in hac nostra Flandria olim consedisse dictos Populos certum est, occupasseque aliquando Menapios, Ditionem nunc dictam, *Tlant van VVaes*: illisque confines Oostburgū, Ardenburgum, Slusas, Dammum, Brugas (qui nulla ratione Grudij esse possunt, quum Cæsar libro. 5. bel. gall. hos sub Neruiorum Imperio statuat, qui huc vsque limites nunquam extendêre) Audeburgum, ad Morinorum vsque, Neruiorumque limites. Morini enim eam tum Flandriæ partem obtinebant quæ hodie intra Amnem Lisam & Oceanum continetur, cum magna parte Artesiæ vicinarumque Regionum, ad mare vergentium. Neruij vero tempore Cæsaris reperiuntur tenuisse omnem eam Flandriæ Partem, quæ hodie Brabantis & Hannonijs est Cis-Lisana, ad vsque lisæ ripam, ac quicquid Gandauo Rupelmondam vsque, ijsdem Populis est Cisscaldanum verum eo tempore Morinorum limitem, ac inter hæc iuris Neruiorum fuit Gandauum siue Gordunū, (teste Cæsare dicto libro quinto) Cortracum: Aldenarda quod sonat veteres Neruis: Geersberga: Alostum: Niniue: Teneramunda, omnisque gallofrancica Flandria, indeque in Hannones (vt nunc vocantur) progressi, ad Ambianū vsque limites, finesque suos, Neruij extendêren, de quibus plura scripsimus supra libro primo cap. 10. & 11. & in primo, Historiæ nostræ Tomo in genealogia Flandrica. Distantias Itinerarij Flandricæ, ad Gandauum principem Regionis Vrbem, olim bellicis facinoribus, ac turbulentis secessionibus, seditionibusque claram, nunc senescente virtute, repuerascentem, dirigemus. Distat id Colonia Ægrippina. 26. circiter germanicis milliaribus maioribus: Brabanticis. 50. dierum æquinoctialium quinque itinere absoluendis: Mechlinia vero Gandauum abest Brabanticus milliaribus decem, duodecim horis pediti nostro, conficiendis.

Brabantis, ac Hannonijs Cis-Lisanæ Flandriæ, Ciuitates ac Municipia, Gandauo distantia.

Dendermonde. Aelst — Aldenaerden	mill.	5	hor.	5.
Ninoue, Geersbergen. Likerke	mill.	6	hor.	6.
Cortrijc	mill.	8	hor.	8.
Armentiers. Risel	mill.	14	hor.	15.
Bassee. Flines	mill.	17	hor.	14.
Doornic. Comene. Lannoy	mill.	12	hor.	12.
Orchies. Sainct Amand. Marchiennes. Ligne. VVaurijn	mill.	15	hor.	18.
Douay. Ognies	mill.	18	hor.	21.
Espinoy. Hennin Lietart	mill.	19	hor.	24.
Sesclyn	mill.	14	hor.	16.

Locus		mill.		hor.
Roubaix. Halewijn	mill.	10	hor.	12.
Haerlebeec. Pamele	mill.	7	hor.	8.
Gaure	mill.	3	hor.	3.

Iisdem Trans-Lisana, Gandauo distantia.

Locus		mill.		hor.
Hulst. Temsiche. Sint Nicolas Middelburg. Tielt. Bieruliet	mill.	6	hor.	7.
Axel. Waesmunster	mill.	5	hor.	6.
Bazele. Rupelmonde Ardenburg. Ingelmunster	mill.	7	hor.	7.
Beueren. Oostburg. Sluys Dam. Brugge. Torout	mill.	8	hor.	8.
Mourbeec. Ekelo	mill.	4	hor.	4.
Catzant. Roussel aer	mill.	9	hor.	10.
Audenburg. Menene. Ghistelle	mill.	10	hor.	11.
Oostende. Iperen. Dixmude	mill.	12	hor.	14.
Loo. Belle. Nipoort Veurne. Prouene	mill.	15	hor.	18.
Dense	mill.	3	hor.	4.
Messene	mill.	13	hor.	14
Poperingen	mill.	14	hor.	15.
Cassel. VVinoxbergen	mill.	18	hor.	22.
Honscoten	mill.	16	hor.	20
Duinkerken. Thiennens	mill.	20	hor.	25.
Borburg	mill.	22	hor.	28.
Greuelinge	mill.	24	hor.	29.
Busbeke. Blanckeberch	mill.	11	hor.	15.

Ciuitates aliquot Flandriæ Vicinæ, absunt Gandauo:

Locus		mill.		hor.
Antwerpē. Bruessel. Mechelen	mill.	10	hor.	10.
Einghien	mill.	9	hor.	9.
Lessen	mill.	7	hor.	7.
Lens. Bethune	mill.	18	hor.	22.
Lilers	mill.	20	hor.	24.
Aire. Sint Aumeer	mill.	21	hor.	26.
Cales	mill.	28	hor.	35.

Vnico tantum milliari prædicto, à walachria, ac Zuitbeuelandia, Insulis Zelandiæ præcipuis, abest Flandria in Pagis, Breskin: Ternieuwarhauen, : ac Terneuzen. Slusa abest Vlinssinga milliaribus Brabanticis quinque: Oostburgum Tribus: Bierulietum totidem.

De

De Comitatu Hannoniæ, ſeu Hainegaudiæ.

Capvt Decimvm Sextvm.

Vnde ortum ſit Hannoniæ nomen, quum pro certo nullus docere queat, veriſimilior tamen eorum eſt opinio, qui ab Haina fluuiolo, mediam fere Regionem ſecante dictam aſſerunt. Oritur is vno ſupra Oppidum Binchium milliari, multiſq; receptis Riuulis, ac Torrentibus, cum Amne Trouilla, Bergas Hannoniæ alluente, tandem Oppido Condeto in Scaldim ſe exonerat. Hannones eum vernacula lingua, *Haine*, appellant, ac ſcribunt, vnde contendunt Regioni non Hannoniam, à fabuloſo Carthaginienſium, aut alterius Nationis Duce Hannone, ſed Hainautiam, aut Hainegaudiam latine appellandam. Incolæ enim (qui paucis exceptis omnes gallofrancica vtuntur lingua) Regionem vernacule nominant, ac pingunt: Hainaut: Populũ, Hainnuier: Belgogermani: Hainegau, ac Hainegouwers, quod veteri eorum ſermone Hainæ Agrum ſonat. Gau, enim ac, Gou vtriſque olim agrum ſignificabat. Compoſitio veteri Romanorum more facta videtur, qui Agrum Tyberinum, Paduanum, Rhenenſem, Romanũ, Tuſculanum, Capuanum à fluminibus aut Vrbibus denominare ſolebant, quod nos Regionẽ, ſeu Ditionem dicimus Tyberinam, Rhenanam, Heinanam, Gondenſem, ac Antwerpianam. Ex quo valde mirandum eſt quam latine ſcribentes, deſerta Incolarum gallice ac germanice loquentium vſitato more, pro Hainautia, ſeu Hainegaudia, Hannonia corruptiſſime poſuere. Iulij Cæſaris tempore maximam noſtræ Hainautiæ partem habitauere Neruij (patet ſupra libro 1. cap. 10. & 11.) excepta eius ad ſeptentrionem parte gallofrancicæ Brabantiæ loquenti propinquæ, quæ Aduaticis ceſſit, ac alia ad Orientem particula, quam Transmoſani Eburones, ac Treuiri poſſedere, & tandem quod ab Occidente, Atrabates, & Veromandui obtinuere. Interiora omnia cum fluuio Sabi, ad limites vſque Ambianorum olim ſub Imperio Neruiorum fuere, qui ad Sabis ripam, loco natura munitiſſimo ancipiti, cruentoque, ſed nomini Neruiorum internecino cum Cæſare prœlio, fortiſſime decertauere, vt is bel. gal. libro 2. prolixe ſcribit. Habet hoc noſtro ſæculo Hainegaudia in longitudine milliaria brabantica. 21. ſumpta ab Oriente in Occidentẽ, ab Oppido Fontaineſio, ad vſque Municipium Lalainum Comitatus Titulo Ornatum: Latitudo vero à Meridie in ſeptentrionem ducta. 18. dicta continet milliaria, accepta à Pago Monſtreul aux Dammes, ad vſque Oppidum Halla D. Virgini Mariæ ſacrum. Ambitus Hainautiæ, quanquam limitaneorum Ditionum inſinuatione valde ſit inæqualis. 80. tamen dicta milliaria complere non poteſt. Quæ autem Oppida, Municipia, ac quas Abbatias, tantillo contineat ſpatio, Itinerariũ docebit, è quibus Vicorum ac Pagorum ingentem numerum, Lector facile conijciet. Regionem vero diuidemus in Cishainanam ac Transhainanam, quum eius fere

fere medium hic Amnis obtineat. Habet Hainegaudia ab Oriẽte Namurcęos ac Leodios: ab Occidente Flandros ac Atrebates: A meridie Veromanduos, Tiraſchios, ac Rhetellios: à Septentrione pro maxima parte Brabantos, quibus ſunt Ciſ-hainana hæc oppida & Municipia: Halla, Braina Caſtri, Braina Comitis, Soignium, Folia, Reuſſium Comitatus, Fontaineſium, Anghianũ, Bailloela, Cambrona Abbatia, Cheura, Leuſa, Molenbaiſinm Comitatus, Antoignium, Condetum, Fanum Gheleini, Peruwelezum: Hæc vero Brabantis ſunt Tranſhainana, Bergæ Hannoniæ Prouinciæ Vrbs primaria cuius mœnia flumen Trouilla lambit, ac mox in Hainam cadit: Binchium, Bonſperancia: Maubugaquam Scaldis interlabitur: Bauaiun Ptolomei Bagacum falſo nonnullis, Auli Hirtij lib. bel. gall. 8. Belgium Keurainga, Creſpinum Abbatia, Boſſutum Comitatus nobiliſſima Arce. Hannetoniũ: Valenchenæ, alter Hainautiæ oculus, mediæ temporis ſcriptoribus, Valentinianæ dictæ: Pecquincurtium, Lalainum Comitatus, Aquę Cinctum Abbatia, ad flumen Scarpa ſita: Bouchainum, Hourdainga: VVerchinum, Vendegiſium, Queſnoum, Ameria, Barlaimontium Comitatus, Landresiſium, Aueſna, Beumontium, Solre-Caſtrum, Bauriæum, Fanum Zolleſij, Florenneſium, Lieſſa, Floionnum, Glaionnum, Terlonnium, Chimaum Principatus, Marieburgum Oppidum conditum denominatumque, anno 1546. à Maria Caroli quinti Cæſaris ſorore: Carlomontium, eodem anno ædificatum nominatumque à dicto Cæſare, Philippouilla, condita, appellataque dicto anno à Philippo dicti Cæſaris filio. Itinerarij Hainegaudiæ diſtantias ad primariam eius Vrbem Bergas Hainegaudiæ dirigemus, quæ Colonia Agrippina diſtant, germanicis milliaribus maioribus circiter 22. Brabanticis fere 45. itinere æquinoctialium dierum quinque: Mechlinia autem milliaribus Brabanticis 14. itinere vnius diei, aut paulo plus.

Hainegaudiæ Oppida ac Municipia, Bra-Bantis Ciſ-Hainana, diſtantia Bergis-Hainegaudiæ.

Oppida				
Hal. Molenbais	mill.	8	hor.	8.
Braine le Chaſteau. Anthoing	mill.	7	hor.	7.
Braine le conte. Fontaine. Leuſe. Condet. Ligne. Ath. Giſleinghien.	mill.	5	hor.	5.
Soigni. Reux. Baillœul. Cambron. Chieure. Brugelette. Goignies	mill.	3	hor.	3.
Felie. Syllij	mill.	4	hor.	4.
Enghien. Hameide. Obije	mill.	6	hor.	6.
Leſſines	mill.	5	hor.	6.
Sint Ghelein. Vile ſur Haine Harchies	mill.	2	hor.	2.
Peruwelz	mill.	$5\frac{1}{2}$	hor.	7.

Iisdem Trans-Hainana, distantia Bergis-Hainegaudiæ:

Loca	mill.	hor.
Bins. Bou-Esperance	3	3.
Maubuge. Bauay. Kieuraing- Crespijn. Mont Sainct Aldegōd	4	4.
Bossut. Haneton	2	2.
Valenchenes. Auesnes. Solrechasteau. Beaurieu. Barbanson	7	7.
Pecquincourt. Anchijn	13	14
Lalain	14	16.
Bouchain	10	10
Hourdaing. Chimay. Marieburg-	11	12.
VVarchijn. Vendegises. Sainct Zelles. Fontaines. Liasses	8	8.
Quesnoy. Auennes. Barlaimont Trazegnies. Beaumont	6	6.
Lādrechies. Flojon. Glajō-Terlō	9	9.
Philippe-ville	12	12.

Limitaneæ Hainegaudiæ Ciuitates, Bergis-Haineg: distantes:

Loca	mill.	hor.
Marchienne à Pont. Niuelle	6	6.
Thuin	5	5.
VVallecourt	8	8.
Fumay. Arleux. Douay. Creuecœur. Vaucelle. wallincourt-	14	16.
Chapelle en Tirasche	12	14.
Chasteau Cābresis. Marchiennes	10	12.
Cambray	13	15.
Sainct Amand	7	7.

De Comitatu Atrebatensi.

Caput Decimum septimum.

VEterem Atrebatum Ciuitatem (vt eam appellat Hirtius bel. gall. lib. 8.) quam nunc dicimus Comitatum Artesiæ, ante Cæsaris tempora fuisse celebrem claramque, è lib. 2. bel. gall. palam est. Scribit enim Belgarum contra Romanos coniuratione Atrebates esse pollicitos, ad comunia castra se perducturos pugnatorū, 15. millia neque fidem fefellerunt. Quamuis enim primo prælio superatos, arte magis quam vi belgas intellexissent, iuncti Neruijs, ac Veromanduis vicinis suis, cruenta, ancipitiq; ad Amnem Sabim edita pugna, Cæsarem cum exercitu in extremum, nisi superuenissent auxilia, adduxerant discrimen. Tum vero superati pacem petiere.

tiere, eaque conditione impetrauêre, vt Commium virū illustrē, Ciuem suum Regem acciperent, quem paulo post Cęsar in Britaniam ad eas Ciuitates Legatum misit, quę paulo ante pacem petitū Legatos miserant. Testatur hæc Cęsar bel. gall. lib. 4. his verbis: Eos domū remisit, & cum his vna Commium, quē ipsis Atrebatibus superatis Regem ibi constituerat, cuius & virtutem, & consilium probabat, & quem sibi fidelē esse arbitrabatur, cuiusq; authoritas in his Regionibus magna habebatur mittit. Sed Commius cum legatis in Britanniā veniens captus pro speculatore in vincula conijcitut, neque liberatur, quam traijciente cum exercitu Cæsare, victi prælio Britanni, iterū pro pace legatos misissent. Cæsaris verba dicto lib. 4. hæc sunt: Vna cum his Legatis, Commius Atrebas venit, quē supra demonstrauimus à Cæsare in Britanniam pręmissum. Hunc illi è naui egressum, cum ad eos Imperatoris mandata perferret, cōprehenderant, ac in vincula coniecerant, tunc facto pręlio remiserūt, & in petenda pace, eius rei culpam in multitudinē coniecerunt. Adduxerat Cæsari Commius in auxilium, certum suæ Gentis equitum numerū, ex quo apparet atrebates tum temporis equitatu, & peditatu valuisse, author est Cæsar eodem libro ita scribens: Tamen nactus equites circiter triginta, quos Commius Atrebas, de quo ante dictum est, secum transportauerat, Legiones in acie pro castris constituit. Hæc Regis Commij, omniumque eius Opera Atrebatū, erga Romanos, Cęsaremque, integra, firmaque stetit fides, donec vniuersa fere Gallia, rebellione contra Romanos facta, Duce Vercingetorige Aruerno, arma cœpisset, anno nimirum posteaquam à Cæsare primum Atrebates domiti fuissent, Regemque Commium accepissent, quinto. Quarto enim adhuc anno cum Cęsare contra Menapios pugnarant, eosque ad imperata facienda cogere iuuerant, Cæsarque Commium cum equitatu, custodiæ loco in Menapijs reliquerat, profectus cum reliquo exercitu contra rebelles Treuiros, vt narrat bel. gall. lib. 6. Quanta vero apud Cæsarem Commius fuerit gratia, declarat lib. 7. bel. gall. his verbis: Huius opera Commij, ita vt antea demonstrauimus, fideli atque vtili superioribus annis erat vsus in Britannia Cæsar, quo quibus meritis Ciuitatem eius immunem esse iusserat, iura, legesque reddiderat, atq; ipsi Morinos attribuerat. Certe subiectis Commio Morinis Atrebatum vetustis, infœstissimisque hostibus, quibuscum continuo de finibus, & Imperio certare erant soliti, non parum eius Regnum, authoritatem, ac potentiam Cæsar auxerat. His tamen omnibus non obstantibus, quinto à seruata Romanis fide anno, Atrebates iterum, instingante Rege Commio, à Cæsare ac Romanis defecere, seque cæteris Gallis coniunxêre, ac ad Vercingetorigis castra, quatuor virorum millia, Duce Commio misere, non obsequij impatientia, sed vindicandæ comunis Galliæ libertatis, ac pristinæ belli laudis recuperandę causa, teste Cęsare dicto libro septimo ita scribente: Tanta tamen Vniuersæ Galliæ consensu, fuit libertatis vindicandæ, ac pristinæ belli laudis recuperandæ causa, vt neque beneficijs, neque

» amicitiæ memoria mouerentur, omnesque & animo, & opibus, in id bellum
» incumberent, coactis equitum octo millibus, ac peditũ circiter ducentis quadraginta millibus. Hæc in Heduorum fines recensebantur, numerusque inibatur, Præfecti constituebantur. Commio Atrebati, Viridomaro, & Eporodoregi Heduis, Vergasillauno, Aruerno Consobrino Vercingetorigis, summa Imperij traditur, ijs delecti è Ciuitatibus attribuuntur, quorum consilio bellũ administretur. Et quanquam Galli ad Alexiam ingenti prælio à Cæsare victi, domitique, arma, obsides, ac Rebellionis Principes (qui non effugerant) cum summo Imperatore Vincingetorige, Cæsari tradidissent, sequenti tamen anno, authoribus Carnutis, Bellouacis, ac Biturigibus, plæriq; iterũ rebellauére, aut in prima post acceptam ad Alexiam cladẽ, rebellione perstitêre. Sed post paucos dies domitis, ac in fidem iterum receptis, Carmitibus ac Biturigibus, graue bellum cum Bellouacis, eorumq; socijs Duce Corbëo Bellouaco, ac Commio Atrebate exarsit, qui exercitum comparare, ac in vnum locum cogere non desistebant, author Hirtius sub initium lib. 8. bel. gall. Verum quanquam hoc bello Rex Commius, rebellium Ducum esset vnus, Atrabatum tamen Ciuitatem in comune non rebellasse, idem Hirtius, eodem libro, paulo post confitetur. Vnde colligitur Regem Commium (impetrata pro Atrebatibus à Cæsare rebellionis venia ac pace) fidere se Romanis ausum non fuisse. Accusabat enim conscientiam pudor fœdissime ingratitudinis, quod tantis à Cæsare affectus beneficijs, turpissime fidem violasset. Proficiscitur igitur Commius, trans Rhenũ, ac à Germanis quingentos impetrat equites, qui cęteris iuncti rebellibus, Rhemorum equites Cæsari militantes, cum Duce Vertisco interficiunt. Sed mox à Cæsare iusta Bellouaci pugna victi, desiderato Duce Corbëo, pacẽ petunt, impetrantque. Commius trans Rhenum ad Germanos, à quibus equites acceperat fugit, nulli Romano vitam fidere ausus, quod superiori anno accepta fide publica, per speciem colloquij à C. Voluseno Quadrato Cæsaris Centurione, per fraudẽ grauiter in capite fuissent vulneratus. Reuersus paulo post è Germania, cum nouo equitatu, bis dubio marte (solus Romanis bellum faciens) conflixit, ac postrema pugna memoratum Volusenum, traiecto lancea fœmore grauiter sautiat. Post quam pugnam expiato dolore, receptaque de illata per insidias iniuria, vindicta, opera M. Anthonij, Cęsaris Quæstoris, datis obsidibus iterum in gratiam recipitur, quibus de rebus consule Hirtiũ dicto libro 8. circa finem. Cæterum ex Cæsare nec Hirtio constat, an Commius à postrema cum Cæsare parce Regnũ receperit, an Atrebates ob seruatam constanter fidem liberi sint relicti, an vero post deuictum Vercingetorigem (quod magis verisimile est) in Prouinciam sint redacti. Mansere certe cum vniuersa Gallia sub Rom. Imperio, ad Francorum vsque tempora, qui cum apud eos Atrebatum nomen abolere non possent, Ditionis tamen statum, ac conditionem (vt vniuersæ Galliæ) mirum in modũ immutauere, donec his succedente Caroli Magni stirpe Atrebates, Austrasiæ Regno cum vicinis subijcerentur.

Verum

Verum & hoc Regno paulo poſt ſublato, Ditionibuſque cadentis Auſtraſiani Regni, varijs Principibus attributis, Atrebates, Caletes, Bolonienſes, Iccius Portus illi attributi ſunt Regioni, quæ paulo ante vocari Flandria erat cœpta. Qua autē ratione noſtri temporis Atrebates, Caletenſes, ac Bolonienſes Comitatus Titulo inſigniti, Prouinciæ ſeparatæ ſint factæ conſule genealogiam Flandricam hiſtoriæ noſtræ Burgundicæ libro ſexto & circa finem ſequens caput. 18. Comitatus Atrebatum, vt noſtro conſpicitur æuo, habet in longitudinē circiter 30. milliaria atrebatenſia maiora, quæ paulo ſunt Brabanticis minora, ſingulæ enim tribus horæ quadrantibus abſolui poſſunt. Sumo hanc Regionis Longitudinem inter Orientem & Meridiem iuxta Pagos Gouſancourt, ac Meſſencouture, finioque inter Occidentem & Septentrionē, tribus ſupra Ardæam Oppidū milliaribus: Latitudo vero vbi maxima eſt, ſumpta à Meridie in Septentrionem & contra 14. dicta non excedit milliaria. Ambitus eius quamuis valde ſit inæqualis, & tortuoſus, ſupra 90. dicta milliaria non amplectitur. De Comitatu Guineſi, Bolonienſi, ac Portu Iccio, proximo ſcribemus capite. Vide & ſupra lib. 1. cap. 10. & 14. Regionis Itinerarium, ad Vrbem Atrebatenſem referemus. Hanc fluuius Scarpa perlabitur, ac quatuor dictis milliaribus ſupra Vrbem oritur, iuxtaque Tornacum in Scaldim deſinit. Habet Comitatus Atrebatenſis ab Oriente Hainegaudiæ Comitatum Flandriæ partem cum Ditione Cameracenſi: ab Occidente Comitatum Bolonienſem, Pontij, Vimeuſij ad Oceanum vſque: A Meridie maiorem Picardiæ partem: A Septentrione, partem Flandriæ alteram, Caletes, ac Comitatum Guineſij ad Oceanum vſque. Abeſt Atrebatum Colonia Agrippina milliaribus germanicis maioribus circiter 32. Brabanticis, 65. itinere dierum æquinoctialium ſex: Mechlinia vero Brabanticis milliaribus circiter 33. germanicis vero duodecim.

Comitatus Atrebatum Oppida ac Municipia, Atrebato diſtantia:

Papames. Pas. Hennin. Lietart-	mill.	5	hor.	5.
Eäcourt Abbatia. Cantimbre Abbatia. Sainct Pol. Bethune Billij. Bours	mill.	7	hor.	7.
Eſcluſe	mill.	3	hor.	3.
Viuier Abbatia	mill.	2	hor.	2.
Arleux. Lens. Aunaij Abbatia	mill.	4	hor.	4.
Eſtreun. Mareul Abbatiæ	mill.	1	hor.	1.
Auxij. Heſdinfert. Azincourt Freſſin	mill.	10	hor.	10.
Blangijs. Lillers. Beaupré Abbat.	mill.	9	hor.	9.
Roſeäville	mill.	12	hor.	12.
Auchy. Baſſée	mill.	6	hor.	6.

Parmes. Sainct Geerge	mill.	8	hor.	8.
Aire	mill.	11	hor.	11.

Terouane excisa anno: 1553. duobus distabat, Aira, tredecim Atrebato milliaribus.

Rentij. Faucquẽberga. Esquardes	mill.	13	hor.	13.
Sainct omeer	mill.	14	hor.	14.
Cercamps Abbatia	mill.	15	hor.	15.
Licques. Tournehem. Estaples	mill.	17	hor.	17.
Rumigem. Ardres	mill.	18	hor.	18.
Cressionniere	mill.	19	hor.	20.
Ghuines	mill.	20	hor.	22.
Hames. Oye. Boloingne	mill.	21	hor.	24.
Cales	mill.	22	hor.	26.

Limitaneæ Ciuitates, absunt Atrebato.

Lisle. Cambray	mill.	8	hor.	8.
Orchies. Bouchain	mill.	9	hor.	9.
Douay	mill.	5	hor.	5.
Greuelinge	mill.	21	hor.	26.
Creuecœur	mill.	10	hor.	10.
Chastelet	mill.	12	hor.	12.
Dourlens	mill.	6	hor.	6.
Abbeuille	mill.	15	hor.	16.

De Caletibus: Portu Iccio, Gessoriaco: Comitatu Ghuinensi, ac Boloniensi.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

DE Caletibus, aut Calecis (vtraque enim reperitur lectio) præter Cæsarem, paucos admodum scriptores mentionẽ facere, certũ est. At de Portu quem Cæsar Iccium, alij Ittium vocant ac de Ptolomei Gessoriaco Nauali, frequentior apud scriptores est sermo. Fuisse tamen Caletenses aut Calecos, morinorum ad mare Gallicum, Britannicumque habitantium vicinos, Populumq; non imbellẽ, nec exiguę potentiæ, ex vno Cęsaris loco, bel. gal. lib. 2. circa initium apparet. Non enim vspiam amplius ds ijs scribit. Quare multo eos maiorem Ditionem, possedisse necesse est, quam hodie Continet Comitatus Ghuinesij, ac Ditio Oiaua quarum metropolis hodie vocatur Caletum: gallofrancice Calais: germanice Cales: habetq; tantum in longitudine (quam ab oriente in occidentem duco) milliaria brabantica octo: In latitudine, quæ inter meridiem & septentrionem conspicitur, quatuor, totidẽ horis facile conficiendis. Habent huius capitis Ditiones ab oriente vicinos

partem

partem Flandriæ ac Artesiæ:ab occidente & Septentrione maris Britannici ac Aquitanici partem:à meridie itidem maris Aquitanici,ac Picardiæ partē. Neq; etiam Comitatus oppidumque Boloniensis Cæsaris sunt Caleci(etsi plærique eius sint sententiæ)habens Boloniæ Comitatus in latitudine ab oriente in occidentē ducta vbi maxima est,tantū septem milliaria:In longitudine à meridie in septentrionem tracta,duodecim tantū milliaria. Neque etiā hi duo Comitatus simul iuncti,amplā Cæsaris tempore Calecorū Ditionē,constituere possunt,è qua decem Virorū millia,extra Prouinciam militatum ducas,& insuper satis domi relinquas,ad fines,imbellemque turbam tuendam. Coniuncti enim dicti Comitatus in longitudinē 19. gallica maiora milliaria,quę brabāticis sunt minora:In latitudine vndecim,in ambitu vero non vltra 35. constituent. His adde quod cum nostro tempore dictæ Regiones,non vt Belgarū, Galliarūque mediterraneæ habitentur,quo modo cultas existimabimus Iulij Cęsaris ætate cum syluis & saltibus horridæ,paludibus ac stagnis,pro maiori parte essent inaccessæ,quæ nunc humana industria ac incolarū frequentia pro maxima parte vsibus humanis aptæ sunt redditæ. Cogente igitur ratione fatendū est, longe ampliorē Regionem,Cæsaris tempore possedisse Caletes, quā hodie habitant Caletani & Bolonienses simul iuncti. Et quū eos neque in Flādria versus septentrionem & orientē(vbi eodē tempore Morini,Menapij,& Neruij,ijs multo potentiores sedem habebant)neque versus meridiē(vbi Atrebates,Veromandui,Ambiani,& Bellouaci habitabant)collocare possimus,necesse est plane,ijs maris Gallici littus,Britanniæ obiectum demus,idq; longius certe multo, quā hactenus plærique existimauēre. Qua de re antequam sententiā nostrā aperiamus,nonnihil de Iccio,aut Itio,tum etiā de Gessoriaco Portu ac Nauali,disseramus necesse est. Itium enim aut Iccium,tum etiā Ptolomæi Gessoriacū,Portum Morinorum fuisse, non Calecorum mihi pro certo è Cæsaris Commentarijs persuasi,quem(cum de vtroque Tacitus sileat)audiamus sub finem lib. 4. bel. gal. priore britannica expeditione,in hūc modū scribentē: Ipse cum omnibus copijs in Morinos proficiscitur,quod inde erat breuissimis in Britanniam traiectus. Huc naues vndiq; è finitimus Regionibus & quā superiore ęstate ad veneticū bellū fecerat classem,iubet cōuenire. Et paulo post: Dum in his locis Cęsar nauium parandarū causa moratur,ex magna parte Morinorū legati, ad eum venerūt,qui se de superioris temporis consilio excusarent. Hæc omnia ad Portū Iccium facta,clarius cōstabit è lib. 5. bel. gal. altera Cæsaris in Britanniā expeditione. Quare cum aperte è dictis verbis Iccium aut Itium Portum fuisse Morinorū,hoc est, Ditionis eorū, Cæsar scribat,non video quare hunc temere Caletibus asscribemus. Nec obstat quod eodem loco lib. 4. Cęsar scribat,octodecim onerarias vento detentas, octo millibus passuum, hoc est,duobus fere milliaribus brabanticis, ab Iccio Portu constetisse, nec ad se, vento aduersante , venire potuisse, seque has ea de causa attribuisse. Satis enim eodem loco post paucas lineas indicat,& hunc fuisse Morinorum Portum,iussisseque

se ideo

se ideo Q. Titurio Sabino, & L. Arunculæo Cottæ, vt reliquum exercitum in Menapiorum, ac Morinorum Pagis, qui ad se Legatos non miserant, è locis amicis ac pacatis ducerent, P. autē Sulpitio Rufo pręcipit, vt se profecto, cum necessario præsidio, dictos Portus tueretur. Hęc vero vt melius intelligantur, etiam quam breuis ex Iccio Portu, in Britanniam fuerit traiectus, asscribamus posteriora rerum iam narratarum Cæsaris verba sub finem libro 4. bel. gall. in hunc modum scripta: His constitutis rebus, nactus idoneam ad nauigandum
„ tempestatem tertia fere vigilia soluit, equitesq; in vlteriorem portum progre-
„ di, & naues conscendere, ac se sequi iussit, à quibus cum paulo tardius esset ad-
„ ministratū, ipse hora circiter diei quarta cum primis nauibus Britanniā attigit,
„ atq; ibi in omnibus collibus, expositas hostiū copias armatas conspexit. Quibus è verbis clarum est, Cæsarem in itinere non fuisse, vltra horas quinq;. Sed non æque manifestū est, quid intelligat per vlteriorem Portū, Boloniensem ne Greuelinganum, an Duinkercanum. Quin enim hic vlteriorem vocat, altero mox folio superiorem appellat Portum. Quod ad me attinet, existimo fuisse Duinkercanum, aut Greuelinganum Portum, quod Cæsarem eos Portus qui Orientem spectant non Occidentē, Vlteriores ac Superiores nominasse censeam. Caletanis autem hodie nostris, dicta Oppida Orientem: Boloniensem vero Occidentem respicere notissimum est. Si enim Cæsar hunc Portū fuisse fuisse Caletensium sciuisset, sine dubio enim suo nomine expressisset, ac Caletensibus non Morinis attribuisset, vt enim semper Iccium Portum, Morinis dare videmus. Erant igitur Cæsaris tempore Morinorū Portus, vbi hodie stat Niportum, Duinkerca, Greuelinga, Caletum, ac Bolonia, omniaq; ad Amnem vsque Canchæam, ac Ponti Comitatum. Hinc enim veterum Caletensium limitem cœpisse, ac ad Sequanæ Amnis ostium vsque protensum fuisse existimo, cuius tam præpotentis Nationis loca ac Portus, Cæsar non tacuisset, si Iccius, aut Gessoriacum eorum Portus fuissent, quum lib. 2. bel. gal. non subticuerit, Caletes proprij iuris neminique subditos, decem virorum millia, contra se fuisse pollicitos, cum Menapij in tanta finium amplitudine septem: Morini quindecim millia tantum promisissent. Fine certe lib. 4. bel. gal. Cęsar reditum suum (post repressam punitamque Britannorum rebellionem) cum exercitu in Galliam, instante æquinoctio Autumnali (vt aperta, claraq; eius verba pręse ferunt) describens, Morinorum Ditionis fuisse, memoratos iam Portus, his
„ apertis declarat verbis: Ipse idoneam tempestatem nactus, paulo post mediam
„ noctem naues soluit, quæ omnes incolumes ad continentē peruenêre. Ex his
„ onearię duæ, eosdem Portus quos reliquæ capere non potuerunt, sed paulo in-
„ fra delatæ sunt, quibus ex nauibus cum essent expositi milites circiter trecen-
„ ti, atque in castra contenderent, Morini quos Cæsar in Britanniam proficis-
„ cens pacatos reliquerat, spe prædæ adducti, non ita magno suorum numero
„ circunstetere, ac si se interfici nollent, arma ponere iusserant, & quæ sequuntur ad finem vsque lib. 4. Hæc è prima Cæsaris in Britanniam profectione è

quarto

quarto bell.gall.libro exposita, desumptaq; sunt. Nunc quędam adferamus ex altera eius Britannica profectione ac expeditione, è lib. 5. bell.gal. vbi in hunc ›› scribit modum: Collaudatis militibus atque ijs qui negotio præfuerant, quid ›› fieri velit ostendit, atque omnes ad Portum Iccium conuenire iubet, quo ex ›› Portu commodissimum, in Britanniam traiectũ esse didicerat, circiter passuũ ›› millium triginta à continenti. Ac iterum paulo post: ijs rebus constitutis, Cęsar ›› ad Portũ Iccium, cum legionibus peruenit. Diutius Cæsar altera hac traiectione mense Iulio (qui tum Quintilis appellabatur) facta, quam priore, in itinere fuit, horis circiter 18. tum quod ventus flare intermisisset, tum quod oceani, æstusque violentia, à recto itinere abreptus, Britanniã ad sinistram reliquisset, coactis emensum iter repetere, quod paulo post dicto lib. 5. his verbis declarat: ›› Ipse cum legionibus quinqne, & duobus millibus equitum, ad solis occasum ›› naues soluit, & leni Africo prouectus, media circiter nocte vento intermisso, ›› cursum non tenuit, & longius delatus æstu, orta luce sub sinistra, Britanniam ›› relictam conspexit. Tum rursus æstus commutationem secutus, remis contendit, vt eam partem Insulæ caperet, qua optimum esse egressum, superiore ęstate cognouerat. Ex his verbis liquido apparet, breuem admodum ex Iccio Portu in Britanniam fuisse Cæsaris tempore traiectionem, quod adhuc clarius confitetur, describẽs suum cum exercitu è Britannia in Galliam reditum, paucarũ horarum lapsu absolutum, eodem lib. 5. his verbis: Quas (scilicet naues) quum ›› Cæsar aliquandiu frustra expectasset, ne Anni tempore nauigatione excluderetur, quod æquinoctium suberat (scilicet Autumnale) necessario angustius milites collocauit, ac summam tranquillitatem consecutus, secundam inita cum ›› soluisset vigilia, prima luce terrã attigit, omnesque incolumes naues produxit. Vnde liquet Cæsarem in reditu, vix, sex, aut septem horis in itinere fuisse, idq; mense Septembri, quum paulo ante dixisset, non multũ ęstatis superesse, ac instare æquinoctium, necessario Autumnale. Breuissimam igitur fuisse ex Iccio Portu in Britanniam traiectionem, ex præcedentibus Cæsaris verbis, luce clarius apparet, triginta tantum scilicet millia passuum, quę hodie 30. faciunt Italica milliaria 25. Anglica: Octo gallofrancica: ac quinque tantum brabantica, vt etiamnũ hodierna docet experientia Iccium igitur necessario tum tẽporis, Morinorum non Calecorum (vt plæriq; existimant) fuisse Portum, tum è breuissima eius loci in britanniam traiectione, dictisq; Cæsaris locis, tum ex apertis eiusdem verbis, palam factũ esse arbitror. Restat inquirere, vbi verus fuerit Iccius, vbi Gessoriacus Portus, nam non parum de his inter scriptores controuertitur. Certe vt hęc è Cæsare Tacito, Plinio, alijsq; scriptoribus lis terminari non potest, sed prope petitis argumẽtis, ac verisimilibus pugnatur coniecturis, ita ego nullorum adhuc rationibus abduci potui, quin Icciũ Portum nostrum Caletum, aut fanum Audomari: Gessoriacum nauale aut Portum hodie Boloniensem, aut Diepensem potius statuo. Marlianus Carletum nostrũ Portum ›› Icciũ statuens, his describit verbis: Itius Portus ad dextrã Zelandiã, Hollandiã ››

„ ac Flandriam hodie habet, ad sinistram autem Comitatũ qui dicitur Pontus,
„ pars Picardię deinde Nortmannię Ducatũ. Ex opposito Anglię consistit. Op-
„ pidũ est illic Populorũ,quibus Caletũ nomẽ est,id adiecto Itij Portus nomine,
vt quibusdã placet, Calitium nũcupatur. Hactenus Marlianus. Sed hęc quoq;
non male quadrant oppido Fani.D. Audomari. Fallitur Marlianus quod Caletum veterum Caletensiũ oppidũ esse opinetur. Ridere lubet compositũ ab eo Calitium, admiraturus si apud veterẽ aliquẽ reperirem scriptorem, Nos Caletum, non Calitium dicere, ficta latina voce solemus. Sunt viri litterati, qui non Caletum nostrum, sed oppidũ quod à D. Audomaro, nomẽ hodie sortitur, veterum esse Iccium, aut Itiũ Portum volunt, in qua inter alios est sentẽtia, Christophorus Assonleuillius, Hauteuillæ, ac Bochoutij Dominus, Regi Philippo Catholico nominis secundo Hispaniarũ Monarchę, eiusq; apud Belgas Prefectis, à Cõsilijs secretioribus, quã Amicus noster Abrahamus Ortelius in Frontispicio
„ Chartæ topographicæ Artesię, his verbis exponit. Vulgo creditur Ca-
„ letũ Iccium Portum à Cæsare dici, vnde è Belgio in Britanniã soluerit. Verũ si
„ res penitius inspiciatur, alium fuisse Portum videre est; sancti videlicet Audo-
„ mari Oppidum, quod olim fuisse Oceani Portum, atque Sinũ maris latissimũ,
„ vel præalta littora, quæ ipsam Ciuitatẽ quasi cingunt demonstrãt, aliaq; innu-
„ mera argumẽta, & antiquitatis vestigia, quę aperta terrã adiacentem, salo, ma-
„ rique subfuisse, vel nullo loquẽte conuincunt, nec non constãs in hodiernũ diẽ
„ fama declarat. Quinimo & nomen vetus Ciuitatis quod: Sithieu: est (nam san-
„ cti Audomari recens esse, nemo est qui nesciat) id arguit, quasi dicas, Sinum vel
„ Portum Iccium, ipsumque Portum apud Morinos fuisse, quos Virgilius & Lu-
„ canus extremos hominum vocant. Hæc præterea ita se habere plurimis argu-
„ mentis, tam ex transitu, quam reditu Cęsaris è Britannia, attentus lector facile
„ deprehendet. Nec spatium triginta millium passuum, aut circiter, quo ibi Insu-
„ lam à continenti distare describit, quo minus id crediderim, impedimento esse
„ potest, cum maris æstus (maxime in tanta loci angustia) facile aut addat, aut
„ detrahat. Quamuis enim ipsum maris spatium, ibi à terra continenti, ad Insulã
„ vsque, non admodũ discrepet. Hæc de Iccio Portu dicta sufficiant, penes alios esto iudiciũ. Ista ex Domini Assonlevillij sententia, Amicus noster Abrahamus Ortelius in opere suo nunquam satis laudato, Mundi Theatro. Quod ad me attinet, fateor è veteribus authoribus, perspicue, clareque doceri non posse, quo olim loco Itius, aut Iccius fuerit Portus, bene quidem quod sub Imperio ac Ditione Morinorum, & inde breuissimum in Britanniam fuisse traiectum. Vbi autem mare continenti aliquid addiderit, aut abstulerit, facilius asseritur, quam docetur, & id non minus olim in Britannia, quam apud Belgas vsu-uenisse potuit. Hoc nostro sæculo non est breuior in Britanniam è Belgis, quam ex oppido Caleto traiectus. Paulo enim longius abest Bolonia, teste experientia. Sed iam satis de Portu Iccio, ac Itio. Nunc de veteribus Calecibus, aut Caletibus pauca dicamus. Ex omnibus Cæsaris iam memoratis

locis,

locis, aperte constare potest (monstrauimus enim nostri temporis Caletes & Bolonienses, olim in Morinorum fuisse agro, ac sub eorum Imperio, Caletes vero Cæsaris tempore habitasse, maritimos agros omnes qui hodie intra Canchæam ac Sequanam Amnes continentur, vtriusque ostijs limitanei, ac Authij, Somonæque fluuiorum, maritimam partem obtinuisse, manereque adhuc hodie, ad Sequanæ Ostium, veterum Calecorum nominis vestigium in Regione gallofrancis hodie dicta: Le Caux, hosque Populus postea (morinis grauiter à Romanis afflictis, ac atrebatum Imperio subiectis) trangresso Amne Canchæa, occupasse agros vbi nunc est Comitatus Boloniensis, ac Ghuinesij, conditoque haud procul Iccio Portu Oppidulo (quale adhuc hodiernum est Caletum) illud Gentis suę nomen indidisse Cales, admodū est verisimile. Hęc de veteribus Calecis nostra est sentētia. Habent veterum Calecorū agri, hodie hæc oppida: Monstreulium, Douuria, Ponsassielana, Rua, Berca, Fanum Valotij, Abbeuilla, Heua, Arquesium, Caia, Cressia, Caillium, Crotoium, Totosium, Treportium, Diepa, Caudebecum: Fanum Valerij, Fescantum, Fleuum quod quidam Ptolomei Iuliobonam faciunt: Haure-de-gracia, ac plæraque alia loca, quorum distantias (quanquam hodie Picardis attributos) ad Vrbem Atrebatensem referemus. Verum antequā id aggrediamur. Pauca de Ptolomei Gessoriaco Nauali dicamus. Robertus Cœnalis Boloniam Oppidum, agri olim Morinorum, hodie Comitatus Titulo ornatū Gessoriacum simpliciter appellat, ac à G[illegible]oriaco Nauali distinguit, quo authore non tradit, ideo fides illi non debetur. Gessoriacum autem Nauale, nonnulli Gandauum, alij Casseletum Flandriæ, tertij fanum Audomari esse volunt, sunt qui boloniā esse contendunt. Sed cum nulla adferant probabilia argumēta, nec verisimiles coniecturas, quo modo ijs credemus? Quūque Cæsar, nec Tacitus, nec Amm. Mar. Gessoriaci mentionē faciat, verisimile videtur, obscurum eorū tempore fuisse locum, circaque Plinij, ac Ptolomęi tēpora, innotuisse, fuisseque Boloniensem Portum. Sunt etiam viri aliquot docti, ex quorum ore me audiuisse memini Ptolomei Gessoriacum, Portum esse Diepensem, quem olim Essuorum clientium Calecorum fuisse volunt, ac proinde hoc Ptolomei loco mendū esse, restituendumque pro Gessoriaco Nauali, Essuoriacum Nauale, ac si dicas Essuorum Nauale, Statio, aut Portus, asserentes plurima olim Ptolomeo, quanquam locorum inuestigatori diligentissimo, perperam fuisse transmissa, multo autem plura temporis decursu à librarijs locorum, rerumque ignaris fuisse, & adhuc manere, corrupta alia, transpositis & mutatis subinde litteris, mutila, ac hiulca, nobis esse relicta. Certe cum Cæsar duobus Britannicis expeditionibus suis, toties Iccij Portus meminerit, si quid eo tempore Boloniensis Portus nominis ac famæ habuisset, sine dubio in omnibus alioqui diligentissimus non tacuisset. Attuli opiniones, ac sententias, iudicet in his rebus probe versatus lector. Comitatus, Caletensis, Guinesij, Oyæ, Boloniæ, ac Atrebatensis, partes sunt veteris Flandriæ.

Olim enim fines Flandriæ, multolatius quam nunc patuêre. Comprehendebat enim Flandria, quicquid Somonæ, Scaldeque Amnibus continetur, quod non solum è veteribus doceri potest Historiographis, sed etiam è priuilegijs, dictis Ditionibus à Flandriæ Comitibus datis, ac quod apud Atrebates in Abbatia. D. Vedasti, & apud Fanum. D. Audomari in Abbatia. D. Bertini, alijsque harum Ditionum locis Comites aliquot Flandriæ inueniantur sepulti. Francorum Rex Lodowicus Sanctus, Atrebati Comitatum Anno Christi 1238. instituit, in Scuto ea donans insignia, quæ etiamnum pingunt, quę tum etiam erant Regni Francici, excepta superiori linea, his Comitatui tantum attributis Oppidis: Atrebatum Antistite, Ditissima Vedasti Abbatia, ac Prouinciali Concilio clarum: Fanum Audomari: Aira: Hesdinum: Lensium: Baupama: Bethunia non ita dudum, cedente proprio Domino, Comitatui est iuncta. Ratio autem auellendi hanc partem à Flandria hæc fuit. Philippus Alsatius Flandriæ Comes, qui floruit anno Christi. 1165. numero, 16. cum nec se, nec fratres, liberos gignere videret, Elyzabetam, sororis suæ Margaritæ, ac Balduini quarti Comitis Hannoniæ & Namurci filiam, dat in vxore Philippo Augusto, Francorum Regi, in dotem ei concedens eam Flandriæ partem, quæ hodie Artesia appellatur cum Metropoli Atrebato, qui Philippus Augustus, vel vt alij volunt Lodowicus Sanctus, huic Ditioni Comitatus Titulum donauit, addens nouo Comitatui, Ditionem Guinetanam, Caletensem, fanum D. Pauli, ac Boloniensem vt nimirũ dicta Elyzabet ea ab Auunculo Philippo alsato in dotem acceperat, quę Ditiones postea filiarum coniugijs à Comitatu Atrebatensi separatæ, per se quoque singulę, Comitatus Titulum, vt hodie apparet accepêre. Hæc ita se habere inter alia multa diserte docet Vitræa fenestra quæ etiamnũ Atrebati in Templo. D. Mariæ Magdalenæ hoc anno. 1598. visitur. Latitudo Ditionis veterum Calecorũ assignari non potest, quod eam, exiguam fuisse existimé, ac plane inæqualem, Morinis, Atrebatibus Veromandius, Ambianis, Rhemis, ac Bellouacis fines quam poterant maxime versus Oceanũ protendentibus, ac proinde Calecibus exiguos in Latitudine agros, relinquentibus: Longitudo vero, quam ab Oppido Monstreulio, ad Haure-de-graciam sumo, siue ab Ostio fluminis Canchenæ, vsque ad Sequanæ Amnis cum Oceano coniunctionem, hoc est, à Septentrione versus Occidentem, milliaria gallica comunia habet plus minus quadraginta. Nunc eius Itinerarium demus:

Veterum Calecorum hodierna Oppida, ac Municipia, Atrebato distantia.

Monstreul. Abbeuille. Sainct-Valoy	mill.	15	hor.	15.
Douuien	mill.	14	hor.	14
Pont-Asselanc. Rue	mill.	16	hor.	16

Crotoy. Berc. Treport. Cajeu. Sainct-Valery	mill.	18	hor.	18.
Heu. Cailly. Diepe	mill.	20.	hor.	20
Arcques	mill.	21	hor.	21.
Totes	mill.	22	hor.	22.
Caudebeec	mill.	27	hor.	28.
Fescant	mill.	28	hor.	28.
Harfleu	mill.	29	hor.	34
Haure-de-grace	mill.	32	hor.	36.

De Picardia.

CAPVT DECIMVM NONVM.

EAm Belgarum partem descripturus, quæ ab Hainegaudijs & Atrebatibus, ad Amnem vsque Sequanam Parisiorũ Lutetiam mediam secantem tendit, ac hac parte Belgarum finibus terminũ ponit, non simpliciter Picardiam dabimus, sed multo ampliorem Ditionem. Continet enim hoc nostro tempore Picardia, has tantum Regiones, quas olim Romani Ciuitates appellabant, nostri temporis Titulis tunc Mundo incognitis, ac proinde à primarijs Ciuitatibus, Regiones nominantes. Comitatũ Ponti, à multitudine Pontium dictũ, quibus aquosa abundat Prouincia: Vimeusij: Santerræ: Vermandosij: Terrachæ: Tertoinosij, cum Ciuitatibus ad vtramq; Somonæ amnis ripam conditis, quæ sunt: Abbevilla: Castellũ: Pons-Remigij: Picquegniacum: Cauchia: Ambianũ: Corbeia: Braia: Cappium: Perona: Hannum: Fanum Quintini. Sed dictis Regionibus ac Ciuitatibus nos adiungemus vt veteribus Belgis debitos, Comitatum Rhetellij: Partem Nortmanniæ Cissequenanã: Ducatũ Briẽe: Champangæ, ac Franciam Cissequananã. Comprehenduntur hæ Picardię Prouinciæ nobilissimæ, omnes illæ Regiones, quas flumen Canchena (si eum à Mosa, vsque ad Oceanum fluere natura voluisset, id autem nunc tibi finge Lector) ac Sequana, à fonte ad Ostium suum includit. Eæ enim olim omnes, Belgarum terminis concludebantur, & erant sub Imperio, aut Veromanduorum, Ambianorum, Bellouacorum, Suessonum aut Rhemorum. Horum omnium hoc capite Itinerarium dabimus. Sedes enim eorum ac limites, ex Cæsare, ac alijs satis sunt noti, & adhuc hodie nomen, & Agrorum partem retinent quęque de his scribi possent supra libro primo cap. 14. à nobis sunt exposita. Picardię etymon omnes scriptores ignorare se fatentur, ridiculis coniecturis ludunt, antiquam tamen non esse appellationem omnes confitentur. Nos lubenter rem in medio relinquimus, cum nil cęteris certius habemus. Ea quę hodie proprie vocatur Picardia, ab Occidente, hoc est, à mari Britannico in Orientem longo tractu extenditur, latitudine inæquali. Continet enim eius Longitudo milliaria gallica comunia

(cuius maiora banbanticis non ſunt paria) circiter. 40. Latitudo autem vbi maxima, ſexdecim non excedit. Interſecat mediam Prouinciæ longitudinem, Amnis nunc Somona dictus (qui an olim Samana fuit appellatus, ac inde Sama obrina, aut Samarabria, quaſi Bria, aut Braia, ad Samaram Amnem ſita, quibus lubet mecum opinentur. Facile eum ex Samaren, ac Samara, factum eſt, Somme ac Somona, qui apud Veromanduos, iuxta pagum Feruacum ortus, in Oceanum Britannicum, ad limites Comitatus Ponti, ac Vimeuſij, quos ſecat, ſe effundit, Picardiamque inſigni dulcium aquarum affluxu vberem, ac fœcundam reddit. Quare diſtinctionis cauſa, vniuerſam hanc Ditionē in Ciſſomonanam, ac Transſomonanā (ex Atrebatibus ac Hainegaudijs Picardiam aſpicientes) diuidemus. Irrigatur Picardia præter iam dictis Amnibus: Oya: Marna olim Matrona: Epta: Aina: Auba: Morana, multiſq; alijs fluuiolis, ac riuulis. Sed quoniam, hæc non recto curſu flexuque in Oceanum, ſed in Sequanam, aut alios maiores fluuios, obliquo itinere feruntur, Somona, ac Sequana, cum aliquot alijs recto curſu in Oceanum tendentibus, hunc noſtræ diuiſionis honorem, merito Somonæ tribuimus. Omnium vero diſtantias dirigemus ad Vrbem Nouiodunum veræ Picardiæ annumeratum, ac Archi-Præſulatus antiqua Dignitate, Sedeque inclytum, fere in medio ſitum earum Regionum quas præſenti capite ſub nomine Picardiæ conprehendimus, idque ad ripam Amnis Oyſæ. Omnium harum Regionum Longitudo ſimul fere eſt, centum comuniū gallicorum milliarium, ab Oriente in Occidentem oculos vertens: Latitudo vero vbi maxima, 30. dicta milliaria non excedit. Ambitus vere eſt, 230. dictorum milliarium. Abeſt autem Nouiodunū Colonia Agrippina germanicis milliaribus maioribus circiter, 50 decem dierum æquinoctialiū itinere: Brabanticis vero circiter centum: Mechlinia autem Brabanticis diſtat milliaribus circiter, 50. dictis diebus quinque, facile pediti noſtro conficienda.

Ciſſomonanæ Atrebatibus, ac Hannonijs Picardiæ Ciuitates, ac Municipia, Nouioduno diſtantia:

Chaſtelet. Feruac. Ville	mill.	10	hor.	10
Bohan. Bohoury Abbatia. Encre Corbie	mill.	11	hor.	11.
Sainct Quintin. Perone	mill.	8	hor.	8.
Vermand Abbatia	mill.	7	hor.	7.
Chapelle	mill.	15	hor.	15.
Miraumont	mill.	12	hor.	12.
Bray	mill.	9	hor.	9.
Amiens	mill.	14	hor.	14
Cauchie	mill.	16	hor.	16.
Dorlens. Domart. Acheu	mill.	18	hor.	18.
Bertincourt Abbatia	mill.	17	hor.	17.

Pont Sainct Remy. Beausart	mill.	20	hor. 20
Cocquerel	mill.	19	hor. 19.
Sainct Riqueur	mill.	21	hor. 21.
La Motte	mill.	22	hor. 22
Damiper. Foremontiez. Aury	mill.	24	hor. 24.
Dampmartin. Rue. Lanequy	mill.	25	hor. 25.
Crotoy. Bercq. Treport	mill.	28	hor. 31.
Pont-Affe lane	mill.	26	hor. 28.
Monstreul	mill.	31	hor. 34.
Dourien	mill.	29	hor. 32.

Transsomonanæ iisdem Picardiæ Ciuitates ac Municipia Nouioduno distantia.

Guisæ. Senlis. Villecocret	mill.	12	hor. 12.
Estreu au Pont. Fonssomme Clermont	mill.	16	hor. 16.
Ripemont. Cressij. Laons	mill.	9	hor. 9.
Veruing	mill.	15	hor. 15.
Marle. Paillaidz. Soisons. Criel	mill.	10	hor. 10
Genlis. Chaunij Compeigne	mill.	4	hor. 4.
Gournay. Roie. Nelle. Han	mill.	5	hor. 5.
Fere	mill.	6	hor. 6.
Crespij. Sainct Lambert. Coussy	mill.	7	hor. 7.
Mondidier. Verberie. Troies	mill.	8	hor. 8.
Labbaie du Bois	mill.	3	hor. 3.
Bretoëul Abbatia	mill.	11	hor. 11.
Picquegny. Foix. Sanct Leu- Breceuil. Liance	mill.	18	hor. 18.
Senerpont. Chasteau. Cailly	mill.	21	hor. 23.
Blangij. Maroeul Abbatia. Laig- nij. Aumale. Dormant.	mill.	22	hor. 24
Abbeville. Pontoise. Pont Charrenton	mill	23	hor. 25.
Sainct Valerij	mill.	26	hor. 28.
Heu. Andelij	mill.	32	hor. 35.
Arcques. Tores. Vitry. Rouan Sainct Meneheu	mill.	40	hor. 48.
Diepen. Clermont en Rhetel lois. Barle Duc	mill.	42	hor. 46
Caudebeec. S. Desir. Monfaucon	mill.	50	hor. 58.
Fercant. Veuconleur. Ianville	mill.	53	hor. 62.
Harfleu	mill.	55	hor. 65.

Haure

Haure-de-grace	mill.	60	hor.	70
Andelot	mill.	62	hor.	73.
Caien. Luſarche	mill.	28	hor.	31.
Meaux. Sainct Denijs. Eſcouam Beauuois. Rheims	mill.	20	hor.	20
Braine au Saine. Parijs. Eſpernay-	mill.	25	hor.	28.
Cler. Rhetel. Vechaſtel	mill.	29	hor.	36.
Creueſſe	mill.	17	hor.	20.
Conflans. Giſors	mill.	24	hor.	24.
Porcien chaſteau Challons	mill.	34	hor.	40
Lignij	mill.	48	hor.	55.
Beaumont au Loyſe	mill.	14	hor.	14.
Chaſteau Thierry	mill.	19	hor.	20.

Quos agnoſcant Principes hoc libello memoratæ Belgarum Regiones, hoc Christi Anno cIↃ.IↃ.XCVIIII.

CAPVT VIGESIMVM.

Veterum Belgarum, eorumque Prouinciarum ſitus, ac loca, cum noſtri ſęculi Ditionibus ac Regionibus iam ſatis comparaſſe, ac explicaſſe videmur, adiunximuſque ſingularum Itineraria, quæ demonſtrent diſtantias omnium Ciuitatum, Vrbium, Oppidorum, Municipiorum, aliorumque clariorum locorum (quantum mihi vel oculato teſti ex peregrinationibus, vel Topographicis diſcere licuit Tabulis) ad vſque primarias Regionum Vrbes, ac ab ijs ad Coloniam Agrippinam, Brabantiaq; Mechliniam, à quibus primarijs Ciuitatibus, facillime non ſolum diſtantiæ minorũ locorum vniuſcuiuſque Prouinciæ, ſed etiam vicinarũ Regionum, atque adeo totius Belgij cognoſci poſſunt. Quamobrẽ quatuor tantum reſtare, videntur, vt his duobus libellis finis imponatur. Primum vt doceamus, quibus hodie Principibus Belgę pareant. Deinde vt demonſtremus nauigabilium Belgij fluuium Fontes ac Oſtia, quaſque tranſeant, aut alluant, Ciuitates, Vrbes, ac Oppida antequam in maiores illabantur Amnes, aut proprio ſeruato Alueo, in Oceanum ſe exonerent. Tertio, vt ob oculos ponamus comparationem Monetæ veterum Hębreorum, Græcorum, ac Latinorum, cum dicti Anni pecunia, inter Europeos Chriſtianos maxime vſitata, deinde & diſtantias longitudinem itineris, dictarum Gentiũ. Quarto ac poſtremo, vt Corollarij vice iungamus, ſingularum aliquot, vtriuſque ſexus hominum germanicæ originis nomina, eorumq; etyma. Belgarum igitur Populi Anno à nato Ieſu Chriſto 1598. quo his commentandis ſupremam manum impono, aut parent Philippo ſecundo, Hiſpanicarum, Indiarumque Monarchæ potentiſſimo: aut Francogallorum

lorum Regi:aut minorum Gentium Regulis,Ducum,Comitũ, aut Marchionum,Titulo insignitis, quorũ pars Ecclesiæ Catholicæ Titulo Archi-Episcopi aut Episcopi,nomen dedere,Principatumq; ad hæredes non transmittunt, sed liberæ electioni sacri Senatus,morientes relinquunt: Pars sacras Dignitaten non agnoscens hæreditarios Principatus , iustis relinquunt successoribus, ita tamen,vt absoluti Principes nequaquam existentes,certis legibus ac conditionibus Cæsarũ Germaniæ nutũ,authoritatemq; respiciant,Imperij Clientes se ferant.Id,ac Cæsarem patronũ agnoscant. Horum primi sunt inter superiores Belgas Rauraci olim Sequanorũ clientes;nunc Basileam primariam Ciuitatẽ,ad vtramque Rheni ripam sitam, imposito Amni Ponte habitantes, ac Imperij Germanici libertate gaudentes. Antistitem suum multis sæculis Dominũ agnouit,sed non ita dudum mutata Maiorum Relligione,vna eademque opera,ab eius Imperio ad Heluetios defecit. Eadem est conditio Argentoratensium,Triboccorũ metropolis,qui olim partim Treuiris,partim Mediomatricibus paruere,nunc exacto Sacrorũ Pręsule,Annuis seruiunt Magistratibus, extra Vrbem illi suum relinquentes Principatũ, & Iurisdictionem. Nemetes, qui hodie Spieram liberam Imperij Ciuitatẽ Metropolim habent, Relligione palam non mutata,Antistiti suo,ac Cæsari,Ius,authoritatemque integram relinquunt,ornati publico Imperij Senatu, qui hic fixis sedibus, de ortis in Imperio controuersijs,Iudicia exercent,ac sententias sine prouocatiône fert. Sequitur wormatia,Vangionũ caput,libera etiã Imperij Vrbs, mutata cum aliquot vicinis maiorũ relligione,Præsuli quoq; suo intra murorum ambitũ,ius, iurisdictionemq; ademit. Vicina wormatiæ Moguntia, in maiorũ relligione etiamnũ constans,Archi-Pręsulem agnoscit,ei de Iure, neque de authoritate quicquam ademit. Huius Sedes olim wormatiæ fuit,Moguntiã translatus ob Archi-Episcopi Geruilionis perpetratum cum perfidia homicidiũ in nobilem Saxonem. Sequuntur Treuiri,& Colonienses, liberæ quoq; Imperij Germanici Ciuitates,honore antiquissimæ Archi-Episcopolis Sedis decoratæ , apud quos inuiolata in hunc vsque diem Catholica semper Romæ obseruata Relligio Christiana,stat sarta tecta,manetque Archi-Præsulibus,Ius, & Iurisdictio antiqua. Hæ septem superiorum Belgarum (vt nostro numerant æuo) liberæ Ciuitates,Imperij Germanici immunitate splendentes,soli Imperatori, Antistitique suo,certis legibus,non absolute parent, inter quos vt diximus Archi-Episcopali,ac Septemuirali dignitate sunt ornati Moguntinus Imperij per Germaniam Archi-Cancellarius,Treuerensis per Galliam, Coloniensis per Italiam.In cuius ergo Prouincia Cæsar,aut Romanorum Rex eligitur,ab eo è sacro Suggestu id Populo euulgatur.Mortuo Cæsare, Moguntini est cæteros Septemuiros certo conuocare loco , noui Cæsaris nominandi causã. Sedente Cæsare in Sede Imperiali,Moguntinus illi à dextris assidet, Coloniensis à sinistris,Treuerensis ex aduerso.Iam nominatæ septem Superioris Belgij Ciuitates,hodie,se non cum Belgis,neq; cum Gallis,sed inter Germanos numerari,

dici,haberique volunt,Gallique vocati sumopere indignantur. Quod vero ad eorum linguam attinet,omnes magis Trans-Rhenanorum,quam Cis-Rhenanorum germanorum enunciationem imitantur. Atqui hęc de Belgis, hodie etiamnum Imperium Romanum,sub sacrorum Principum gubernatione, ac vmbratili veteris Imperij Maiestate,si non re,saltem nomine agnoscétibus,libertatemq; tuentibus,satis sint dicta. Nunc ad profanos Principes,memoratū etiam Imperium vt Patronum reuerentes,transeamus,inter quos ac Sacras(vt paulo ante diximus)ea est differentia,quod sacrorum Principū Imperium, sit tantum ad vitam,eoque mortuo,ad Sacrum Senatum, noui successoris libera transeat electio,imo viuum adhuc Principem Sacrum,ob mutata Relligionis decreta,ac sacramenta,alijsque magnis de causis,loco mouere,aliūque illi substituere,ex more,ac lege,multis confirmata exemplis,liberrime possunt,idque toties,quoties necessitas, ac ratio postulauerit. Verum hæ electiones,quacunque ratione factæ,tum demum ratæ,firmæq; habentur, quum à Pontifice Romano fuerint approbatæ,id autem Confirmare vocant. Profanorū vero Principum,Regna,ad legitimos transeunt hæredes,nec proscriptis quidem alius, quam Suus hæres succedere potest, qui non Romanū Pontificem, sed Cæsarem,aut alium Imperij Principem,Patronum agnoscunt. Ex horū numero, est Dux Cliuiæ,cuius Regni pars Cis-Rhenana ad Belgas pertinet,similiter & Ducatus Iulię vniuersus:Comitatus meursij,Nienaræ,Alpę,ac aliquot alij imbecilles Reguli,Cæsarem, aut Prępotentium vicinorum nutum respicientes, quibus si addamus Ciuitatem Aquisgranensem Caroli Magni conditoris nomine se efferentem,nil amplius inter Belgas reperiemus quod germanicum agnoscat Imperium. Geldria,enim Hollandia,Zelādia,Zutfania, Trans-Isalana,Groninga,Linga,Vltraiectini,Antwerpiani,Cameracēses, cęteriq; similis aliquando conditionis Belgę,in Austriacę familiæ potestatem concessêre,quos certis conditionibus Carolus quintus Cęsar,eiusque successor,ac frater Ferdinandus,accedente summi Pontificis approbatione, ab omni potestate, iurisdictioneq;,Imperij Germanici liberauere, Austriacis eorūq; legitimis hęredibus, parêre,ac obsequi voluere. Dictorum Cæsarū Caroli,ac Ferdinandi, summiq; Pontificis Diplomata,quibus nominatę transactiones continētur, conceptis, solénibusq; exaratę verbis,tā quod spectat ad Ditiones Belgicas quę Imperiū Germanicū agnoscere solebāt,quā ad vniuersam Austriā,Regionesq; illi iūctas à me in epitomen redacta,latineq; conuersa,libello singulari de Austriæ vetustate ac nobilitate,historię nostræ rerū belgicarū præmisso in fine sunt iuncta. Leodiensium Pręsul Dignitatē sacram,ac profanam obtinēs,in sacris, vt cæteri suæ conditionis Romanū agnoscit Pontificem: In profanis,pro parte dictum Imperiū,manente tantū Principatus electione, apud Leodiensiū sacrū Senatum,approbatione vero apud summū Pontificē. His accedit Mediomatricum Princeps,stirpis antiquissimę, dicti etiā Imperij pro parte cliens, Lotharingiæ vero Dux hæreditarius. Sequitur Frācogallię Rex,qui Belgarū aliquot amplis, poten-

po tentibus, ac opulentis imperat Populis, obtinetque Ditionē eam omnem, quā olim Rheni, Suessones, Bellouaci, Ambiani, Veromandui, Vellocasses, Caletes, Essuy, Portus Gessoriaci habitatores olim possedere, hoc est, quicquid nostro sæculo flumine, AA, finibus Artesiæ, Veromanduorum, ac ab Oppido Maseres, ad Mosæ Amnis fontem, deinde Matrona, Sequana fluuijs, Oceanoque Britannico terrarum includitur, nosque superiori capite, sub Picardia cōprehendimus. Quæ autem ex iam dictis Belgarum Prouincijs, nemini attributa restant, omnia Philippo secundo Austriaco, Hispaniarum, ac Indiarum Monarchæ hęreditaria possessione de iure, eiusque successoribus parêre debent, dimidiatamque circiter antiquarum Belgarum partem conficiunt, verumque auli Hirtij lib. 8. bell. gal. Belgium, Trans-Rhenanis non connumeratis. Prouinciæ certe amplissimæ, potentisimę ac opulentissimæ, si sibiipsis opes, potentiam, ac amplitudinem non inuidissent. Sed iam singulis Principibus, Rebusque Publicie, suas asscribamus Prouincias, vt ea quæ hoc capite narrata sunt, Lector breui in Tabella, ab oculos posita inspiciat, deinde ab Belgarum flumina pergemus.

Catalogus Belgicarum Regionum, Germaniæ Cæsarum Imperio Subiectarum, vt ex hoc Anno 1599. Latine, & Vernacule proferuntur.

Ciuitas	Basiliensis	hodie dict. Germanice	*Bazel.*
	Argentoratensis	hod. dic. ger.	*Straetsburg.*
	Spirensis	hed. dic. ger.	*Spiers.*
	VVormatiensis	hod. dic. ger.	*VVorms.*
	Moguntina	hod. dic. ger.	*Mentz.*
	Treuirensis	hod. dic. ger.	*Trier.*
	Coloniensis	hod. dic. ger.	*Colln, ac Ceulen.*
	Aquisgranensis	hod. dic. ger.	*Aken.*

Comitatus	Meursij	hodie dicti: *T'Graeffschap van*	*Meurs.*
	Nienaer		*Nienaer.*
	Alpæ		*Alpen.*

Ducatus Lotharingiæ aut magis proprie loquēdo Lotreichiæ) pars Inferior, versus Occidentem & Septentrionem vergens, quæq; olim Mediomatricibus, non pars Superior quæ Sequanis parebat, Belgarum erat Prouincia, hodieque appellatur corruptissime Loreine.

Belgarum Regiones Anno 1599. Philippi secundi Hispa. Monarchæ hæredi parentes, hæ sunt.

Ducatus	Geldriæ	hodie	*Gelderlant.*
	Brabantiæ	hodie	*Brabant.*
	Limburgi	hodie	*Limborch.*
	Lutzenburgij	hodie	*Lutzenborch.*

Comitatus	Zutfaniæ	hodie	*Zutfen.*
	Hollandię	hodie	*Hollant.*
	Zelandiæ	hodie	*Zeelant.*
	Hannoniæ	hodie	Hainaut:ac *Haincgau.*
	Flandriæ	hodie	*Flaenderen.*
	Arthesiæ	hodie	*Arthois.*
	Namurci	hodie	Namur:ac *Namen.*
	Fani D.Pauli	hodie	*Sainct Paoul.*
Ditio	Vltraiectina	hodie	*Tlant van Vtrecht.*
	TransIsalana	hodie	*Tlant van Ouer-Isel.*
	Gruningana	hodie	*Gruniger-Lant.*
	Frisiæ Occidentalis	hodie	*VVest-Fries-Lant.*
	Lingana	hodie	*Tlant van Lingen.*
	Mechliniana	hodie	*Tlant van Mechelen.*
	Valkenburgica	hodie	*Tlant vā Valckenburg*
	Dalemiana	hodie	*Tlant van Dalen.*
	Cameracensis	ho.	Diocese de Cābrai:*Tlāt vā Cameric.*

Belgarum Regiones Francogallorum Regi parentes Anno 1599.

Rhemi	hodie	*Reims.*
Suessones	hodie	*Soisons.*
Bellouaci	hodie	*Beauvois.*
Ambiani	hodie	*Amiens.*
Veromandui	hodie	*Vermandois.*
Vellocasses	hodie	*Veuxcaßin.*
Gressoricum Nauale	hodie	*Boulloignois.*
Essuij	hodie	*Conte D'Eux.*
Rotomagi	hodie	*Normandie*: tantū, Cissequanana.
Francia	hodie	*France*: tantum, Cissequanana.
Campanga	hodie	*Champaigne*: tantū, Cismatronana.
Picardia	hodie	*Picardie.*

Comitatus	Ponti.	hodie	*Le Contè De:*	*Ponthieu.*
	Rhetellij.			*Rhetellois.*
	Tirassij			*La Taraße.*
	Caleti ac Guinesij	hodie		*Cales. Ghuines.*

Si qui alij, quocunque etiam Titulo insigniti, aliquid apud Belgas posidēt absoluti sunt Belgarum Principis aut Francogallię Regis Clientes, & Subditi: Qua autem lingua sint vsi Galli ante cognitam admissamque Romanam.

D.Hiero-

D. Hieronymus Comment. in Epiſtolam ad Galatas lib. 2. in proemio ad Paulam & Euſtochium his verbis docet. Galli antiquitus à candore corporis Galatæ nuncupabantur. Hinc vtiq; Galatia Prouincia in quam Galli venientes cum Græcis ſe miſcuerunt. Vnde primum Regio Gallogręcia, poſt Galatia eſt nominata. Vnum eſt quod inferimus, & promiſſum in exordio reddimus, Galatas excepto ſermone græco, quo omnis Oriens Loquitur, propriam linguam eandem pene, habere quam Treueros, nec referre ſi aliqua exinde corruperint, quum & Afri Phœnicum linguam ex parte mutauerint, & ipſa latinitas, & Regionibus quotidie, mutetur, & tempore. Fuiſſe autem Treuerorum linguam eam quæ fere eſt hodie, nil eſt certius, eandem nimirum cum Germano Belgis, ac Inferioris Germaniæ lingua.

De Clariorum Belgij Fluminũ, pro parte Nauigabiliũ Fontibus, ac Oſtijs, quasque alluant, aut perluant Ciuitates & Oppida.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

HAbent Belgæ præclara aliquot, & pro parte nauigabilia flumina, quę non ſolum mirum in modum Regionem irrigant (vt quoq; faciunt non nauigabilia) fertilem que ad omnia vitæ humanæ neceſſaria ferenda faciunt, ſed etiam Portuum commoditate, incredibiles Colonis Opes, inuehunt, ac procurant. Ex his hæc imprimis ſunt præcipua.

Hhenus.	Deilia, ſeu Dilia.
Rheno-Lecca.	Leia, ſeu Liſa.
VVahalis.	Authia.
Iſala vtraque.	Duela.
Moſa.	Lieua.
Moſella.	Mâtrona.
Scaldis.	Canchia.
Linga.	Ha, ſeu, AA.
Sabis.	Netha vtraque.
Demera.	Oiſa.
Sequana.	Scarpa.
Somona.	Ourta, ſeu, Vrta.

De Rheno, Rheno-Lecca, VVahali, Iſala vtraq́, Linga, Moſella.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

RHenus omnium Belgij Amnium Pater ac Caput, Dominuſq́; nobiliſſimus, ab vna parte Belgas à Celtis: Gallos à Germanis diſtinguit, quod, ab alia parte faciunt Mâtrona, ac Sequana. Et quamquam ſupra libro 1. cap. 12. de Rheni, Ortu, curſu, ſectione, ac Oſtijs, neceſſaria fere omnia

ſcripſerimus, hoc tamen loco pauca ſunt repetenda, eaq; adiungenda, quæ ibi locum non habebant. Rheni ortum dicto cap. 12. libri primi ex Cæſare ſtatuimus è Lepontijs qui Alpes incolunt. Strabo autem & Ptolomeus ex Adela Monte Alpiũ parte (vulgo nunc: Eitzel, ac Mons Diui Gottardi dictus) oriri volunt. Sed qui veros eius fontes, hodie notiſſimos diſcere cupit, conſulat Glareanum, & Ægidium Tuſcanum in Comment: ad Cæſarem, tum etiam Sebaſtianum Munſterum Coſmographiæ libro tertio cap. De Amnibus & Fluminibus Germaniæ, in hunc fere modum ſcribentem: Secundus poſt Danubium, magnus Germaniæ fluuius eſt Rhenus, qui initium ſumit non procul à Curia Ciuitate Epiſcopali, germanis dicta: Chur : in ſummis Alpibus, & mons vnde ſcaturit, vocatur Straboni Adula, habetque ibi Rhenus fontes duos, vnde geminus promanat Riuus, qui rapido meatu fluentes, per montiũ abrupta, & conualles, vno ſupra dictam Ciuitatem Curiam milliari coeunt. Vnus Riuus ab loci Incolis, Rhenus Prior: Alter poſterior appellatur. Ab Ortu Rheni prioris, vſque ad Fontem Rhodani (ſi rectum iter per Alpium cacumina, eorumque conualles continuari poſſet) trium horarum eſſet iter. Sed tanta eſt ibi montium ſublimitas, perpetua glacie & niue hyeme, ac æſtate rigentium, vt iter rectum teneri non poſſit, quod hiſce meis matura æſtate vidi Oculis, ac corpore ſum expertus Anno Chriſti, 1546. iter faciens per montem, vulgo: Furcam: dictum, frigus vix ferens, ita vt non ſine ratione veteres, has Alpes ſummas appelarint. Porro vt Rhodanus recta fertur in occaſum, ſic Rhenus prior ad Ortum, donec Ciuitatem Curienſem iam dictũ adeat. Hic enim inter altiſſimos conflictatus montes, tandem in ampliſſimã deſcendens prope, Riuacum, ac Meinsfeldium Oppida vallem, recto itinere in ſeptentrionem vergit, duos in itinere tranſiens Lacus. Prior à veteribus appellatus fuit, Brigantinus, Acronius, Acronus, & Podamicus, hodie à propinqua primaria Ciuitate Conſtantienſis dictus: Alter ab antiquis eſt dictus, Venetus, hodie Inferior, & à Ciuitate Cella quam lambit, Cellenſis appellatur. Prior ſiue Cõſtantienſis, prope eandem Ciuitatem, Rhenum in Alueum ſuum effundit, qui verſus Occidentẽ flectens, hanc plagam non deſerit, donec Lauffenbergam, haud procul Baſileam Rauracorum peruenerit. Inde enim rurſum tantopere, adamatam, deſijderatamque, repetens ſeptentrionẽ, enim donec ad mare Germanicum venerit, ibiq; aquas ſuas depoſuerit, non deſerit. Hactenus Munſterus. Rhenus iuxta Argentoratum recipit Amnem Illam, hodie Ellam: Spirę Neccarum: Moguntiæ mœnum in ripa germanica: Bingæ Naham, Ptolomæo Naviam, hinc Rhenus petit wezaliam Ciſ-Rhenanam ſeu Superiorem, Fanum Ghuierij, Bopardũ, Confluentiam vbi recipit moſellam Ptolomeo, Obrincus dictus, tum pergit Andernacũ, Bonnam, Coloniã Agrippinã, woringam, Nucium vbi Erpũ admittit; Ordingã ex hinc labitur, tum Orſoiam, Bercã, Buricam, Sanctum, Grietam, Griethauſam, Cleuam, moxque ad Arcem Lobecanã primo facto diuortio, in duas diuerſas abit partes. Prior antiquitus wahalis

dicta,

dicta, nomen adhuc seruat, vernacula linqua: *VVael*: appellata. Altera pars, Rheni appellationem retinet. A Germanica ripa (gallicis iam enumeratis) habet Rhenus has præcipuas Ciuitates. Tauasium, Curiam, Meinsfeldiũ, feltkirchium. Deinde transmisso Constantiensi Lacu, Schaf-husiam, Lauffenbergam, Babisilęam minorẽ (maior enim in gallica est ripa) Badenwileram, Brisachum, Offenbergam, Heidelbergã ad Neccarim qui inde haud procul è regione Vrbis Spirensis Rhenum influit, tum Francofortũ ad Mœnum, qui duobus hac Ciuitate milliaribus germanicis è Regione Moguntiæ in Rhenum illabitur. Sequitur Lintziũ, Duisseldorpiũ, è Regione Nucij oblique positum, tum Keiserswaerdia, Duisburgũ, tribus Rheno milliaribus dissitũ, vbi Rura Transrhenana se Rheno, loco dicto, Ruiroort, miscet, ac paulo infra Amnis Emsera, tum wezalia Trans-rhenana seu Inferior cuius mœnia lambẽs fluuius Lippia, hic se Rheno immergit. Deinde sequitur Resium, Emmeriũ, Arnhemũ, wageninga, Rhena, wica, Viana vbi mutato nomine, Lecca, nominari incipit. Paulo lo antequã Rhenus Scafhusiam venit, ab occurrentibus montibus rupibusq; in angustias in sublime coäctus, terribili fremitu, strepituq;, procul mugitum, ac fragorẽ, auditu horribilem excitat, donec satis diu inter angustias luctatus, ac ex earum conuexis crepidinibus, in concauã vallem delatus, ingenti impetu pręceps, altitudine circiter. 50. cubitorũ, cũ visentiũ horrore ac timore ruit, tanta vehementia è cataracta illa, in liberam conuallẽ se deuoluens ex alto, vt omnes aquas in spumã, nebulamq; conuertat. Incolæ hodie hanc Catharactã lingua vernacula, *Lanfen*, quod fugam significat appellant, hoc loco naues, nec pisces ferẽs, tanta est vis & violentia ruentiũ ex alto in Vallem, aquarũ. Oppidũ Schaf-husia, ab vtraq; sui parte, nil pręter iratas, frementesq;, ac atrũ spumantes Rheni videt aquas, in fœcundissimo alioqui conditũ solo rerum omnem affluentia claro. Ponit has Rhenus iras paulo infra Basilęam, vbi ampliorem laxioremque nactus Alueum, modestiori, magisque composito itinere, inter Occidentẽ, & septentrionẽ, naues iam ferens Onerarias, & apertas, testas, delicatos, optimosque pisces, iucundo, temperatoque fluxu ad mare Oceanũ defertur. Plærique veterum, Rheni duos tantum nouere Alueos, wahalim, ac quẽ ad Vianam Rheni nomen in Leccam commutat, ferebaturque olim per Vltraiectum Leidam, ac Arcem Britannicam in Oceanum. Reliqua duo Rheni Brachia, Leccam, ac Vetham, quod exiguis fluerent Alueis, parumque traherent aquarum, neglecta, multisque incognita diu mansere, quum tameu, Leccæ, VVahalis, ac Mosæ alueo iuncta se cum his in Oceanum etiamnum, hodie; ad Vicum nomine, Crimpen, exonerent: Vehta vero in Septentrionem tendens, ac in Lacus immensos se immergens, ad Fleui Ostium, nemini, vt apparent olim notum, antequam Drusus excauata sui nomis fossa, Isalæ Rheni aquas cõmunicasset, in Oceanũ cadit. Sed Isala ad eosdem quo Vehta tendens, seque immergens Lacus, Fleui Ostiũ ex eo tempore clarius, notiusq;, vt apud Pliniũ patet reddidit. Vnus Cæsar plura quã duo Rheni Brachia seu Alueos,

&

& plura Ostia libro 4. bel. gall. agnouisse videtur. Tacitus lib. 2. duo tantum, cęterorũ, vt diximus neglectu potius quã ignorantia, quod horũ exilitatem, ac exiguitatem illorum splẽdor & amplitudo, obfuscaret, premeretq́ne. Facta fossa Drusiana, tertius accessit clarus, amplissimusque Rheni Alueus, tertiumq; innotuit tum Fleui ostium, ita vt ad Alueorum, ac ostiorum Rheni veram cognitionem nil opus sit, quam recta temporum cognitione, & distinctione, nimirũ quo tempore Batauia optime cum vicinis innotesci cœperit, quid Lecca quid Vehta, ante obstructum ad Catwicum, Rheni ostium fuerit, quid Isala ante fossam Drusianam. His probe cognitis, facile de Rheni Alueis, Ostijsque diligens lector per se iudicabit. Tribus igitur, meo iudicio Rhenus, à primo diuortio in oceanum ostijs olim ferebatur. Primum fuit vbi se wahalis ac Mosa in Oceanum Britannicum, vno Alueo deuoluebant Plinio Helium vocatũ, cuius Heida Pagus, eodem hodie loco, vestigium tuetur, idemq; est Ostium, mutata tantum postrema vocis syllaba, aut à Plinio male reddita. Secundum fuit vbi Rhenus, altero facto diuortio, Vltraiecto Leidam recta contendens, ad Arcem Britannicam, seu Armamentarium Romanum, in Pago Catwico olim situm, nunc vero ab oceano deuoratum, aquarum alteram partem in mare quoque Britannicum trahebat, fuereque duo hæc ostia, ac duo aluei omnium famosissimi, veteribusque omnibus qui de Rheno scripsere notissimi. Tertiũ fuit Rheni Ostium, paucis nisi posterioribus temporibus quod constituit tertius Rheni alueus nomine Vechta, Vltraiecto (quicquid id tum fuerit) versus septentrionẽ (vt iam dicta duo Ostia versus occidentem) descendens. Sed hic Rheni alueus, quod non tam erat amplus clarusque vt VVahalis, ac Leidã transiens Rhenus, inque Paludes Septentrionales, haud procul Fleuo aquas suas amitteret, minus meruit nominis, & famæ. Proprie tamẽ Fleui ostium hic alueus circa VVesopum ac Mudam oppidis, in Oceanum germanicum delatus, cõstituit, ac meruit. Sed post Drusi tempora etiam Isalæ suas concessit Vehta aquas, vt etiamnum nostro apparet sæculo. Hæc olim tria Rheni vera fuere Ostia. Lecca enim tum temporis, quartum efficiens Alueum, exigui erat nominis, humili, ac exili contentus canali, Hæli ostio se cum VVahali ac Mosa Oceano committens. Quintus successit alueus, ducto fossa Drusiana, cuius tamen aquæ Fleui ostio contentæ, nouum non excauauêre. At hodie Rhenus quatuor alueis, à primo diuortio separatus, duobus tantum Ostijs, aquas in Oceanum defert. Primus alueus est VVahalis: Alter Rhenus eum Lecca nomen mutans: Tertius Isala Cis-Rhenanus, è Lecca manans: Quartus Isala Trans-Rhenanus, de quibus statim sigillatim sumus scripturi. Prius Rheni ostium, Brielanum est, amplissimum, capacissimúmque, quo nunc tres eius aluei, VVahalis Lecca ac Isala Cis-Rhenanus Mosæ iuncti, in mare Britannicum illabuntur. Alterum ostium à Ciuitate Trans-Isalana nomine Campa, Campense, aut Campanum nunc appellare (si vellet vsus) liceret, quo per Sinum Meridionalem, ab Isala Trans-Rhenano, pars aquarum Rheni, à Vehta auersarum, aut desertarum, ad veteris

Fleui

Fleui Ostium (nunc Flielant incolis vernacule dictum) in Oceanũ germanicum deferuntur. Vide de his plura lib. I. cap. 12. & popularem meum Adrianum Iunium in sua Batauia c 8, imperiosis verbis (vtinam ijs adhuc esset contentus) opinionem suam tuentem. Ab Ortu, hoc est, à fontibus Rheni, vsque ad Ostium eius Hœliũ, hodie Brielanũ, quod maximam aquarum eius partem in Oceanum euomit, numerantur circiter. 140. germanica milliaria maiora, quorum singula vt conficiat pedes noster duabus ad minimum, vt sæpe diximus, eget horis. Iam Rheni diuersa in suos alueos fluenta, separatim describamus. Rhenus igitur facto ad arcem Lobecanam, infra Emmericum, ac Cleuam Oppida, Diuortio, in duos abit alueos. Prior qui Rheni nomen seruat, dexteram petens, Germaniam à Gallia separare perseuerat ac primum alluit Oppidum Huessen, in veteri Batauia situm, nostra ætate Cliuiæ Duci parens. Hinc pergit Arnhemũ Ptolomei Arenacum Trans-rhenanũ in Voluwa Oppidum, Geldriæ Ducis Senatui, quem Cancellariã vocant, à qua nulla est prouocatio, clarũ. Sequitur Wageninga in eadem germanica Ripa sita, Taciti Vada: Tum Rhena, vt quidam volunt Taciti Grinnes: VVica olim Batauodurũ, vbi Rhenus deserto veteri alueo (qui Vltraiectum recta contendens, etiam hodie ad Oceanum vsque nomen perditis aquis retinet, ne guttam quidem aquæ Rhenanæ trahens) omnibus aquis in Leccæ Riuum irruit, allabensque Oppidum Culeburgum (Amm. Marcell. vt arbitior Quadriburgũ, in ripa Batauica situm, quemadmodum & Viana, olim Dianæ fanũ) oblitus iam plane veteris nominis, Lecca exinde nominari gaudet. Fertur Rheni Lecca (vt nouo composito nomine, quis hic sit alueus, Lector extraneus melius intelligat) à Viana Schoõhouium inter ac Niportum, indeque in Vicum nomine *Crimpen*, se aquis iungit Meruanis (vulgo ita dictus, ab Arce & Ditione Meruana prope Dordracũ sita, ac pro parte in medijs aquis adhuc exstante, olim, ad Mosæ, ac wahalis Ripam à Merwicho, seu Merouẽo, francorum Duce ædificata) quas Mosa, wahalis, ac Linga, ad Oppidum Batauiæ Gorinchemum, in vnum coeuntes constituunt. Crimpa Roterodamũ alluens, omnibus alijs contemptis relictisq; appellationibus (vti & alij ibi conuenientes fluui) Mosæ nomen amplectitur, contendensque Sciedamũ, Vlaerdingam, Geerulietum, ac tandem Brielam, vno infra id Oppidum milliari, ingenti, amplissimoq; Ostio, in Oceanum germanicum se regurgitat, quod Ostium Plinius Hælium vocat, nobis vestigium nominis manere vt diximus videtur in proximo Pago nomine Heida, aut in propinquo illi Ostio, milliari cum dimidiæ Brila distante, dicto Flackęa. Liberũ vnicuiq; manet consentiendi, aut dissentiendi arbitrium. Ab Arce Lobecana, ad vsque Ostium Brilanum, Rhenoleccæ Alueus, milliaria continet Brabantia circiter 35. singula hoc itinere, hora cum quadrante, pediti nostro conficienda. Alter Rheni ad Arcem Lobecanam, à diuortio Alueus in Latus sinistrum seu gallicũ vergit, olimq; & hodie Latinis wahalis: Germanis: *Die VVael*: appellatur, tribusq; infra dictum diuortium milliaribus in gallica ripa nobilem habet Ciui-

Rheno-lecca.

VVahalis

tatem Nëomagensem, ante hos Belgarũ tumultus Geldriæ lumen. Infra hanc in ripa Batauica Tielã, ac mox iterum in gallica Bommelium, exigua in Insula quam VVahalis, ac Mosa efficiunt, conditũ, tunc Worichemum, ac statim iterũ in ripa Batauica Gorinchemum, Dordracũ, Roterdamũ, Sciedamum, Vlaerdingam, vnde tandẽ per ostium Brilanũ in Oceanum se quoq; exonerat, paulo pluribus Rhenolecca, à diuortio ad ostiũ vsq; milliaribus iter suũ conficiens. Isala Cis-Rhenanus, quẽ tertium hodiẹ Rheni alueum constituere diximus, oritur prope Oppidũ Vianã, ex alueo Rhenoleccẹ, qui Cis-Rhenanus Isala olim ne in rerum natura fuit, an primũ natus sit, cum Vltraiectini destituti aquis Rhenanis, è Rhenolecca in Vrbem suã, notã hodie deducerent fossam, dubiũ, incertumque est. Coniectura feror, vt existimẽ Rhenoleccẹ aquas, facta fossa Vltraiectina, cum ob Territorij dictæ Vrbis eminentiã ac altitudinẽ, ad dictã fossam commode, naturalique fluxu peruenire non possent, partẽ aquarum, quẹ ex inferioribus, iuxta dictã fossam riuulis, incilijsq; fluebat, in dictã fossam esse delapsam, quæ exinde varijs locis, riuulisque auctæ, tandẽ mediocrem, nauigabilemq; quẽ hodie videmus fecêre Amnẽ. Oritur autem vt dixi Isala Cis-Rhenanus, prope oppidulum Viana, è fossa Vltraiectina, aquas suas è Rhenolecca mutuante, moxq; in tres se scindit Riuulos. Primus Schoonhouiũ fertur cuius alluẽs muros, mox Crimpã delatus Rhenoleccẹ aquas suas reddit. Alter Haehstratij excisa oppida, se cũ primario Riuulo, haud procul Ciuitate Gauda iũgit. Tertius pręcipuusq; Riuulus Viana Isselsteiniũ, à se nuncupatũ Oppidulum leni fluxu defertur: hinc Montvoortiũ, deinde Audewaterã, tum Gaudam claram Hollandię Ciuitatẽ alluens nobile Emporiũ efficit, inde recto cursu, medio itiner Crimpã, ac Roterodamũ itinere, è regione Pagi à se denominati Isselmonda) quod germanis ad verbũ, Isalæos, sonat) in Mosam influit, ac cum Rhenolecca, VVahaliq; ostium Brilanum petit, decem circiter tantũ dicta milliaria, à Viana, Isselmondã vsque obtinens. At Trans-Rhenanus Isala, aliud est flumen à Cis-Rhenano, non vt hoc è maiori aliquo manans, sed naturali fonte, terra erumpens, ac multis in itinere Riuulis, torrentibusque auctus, cum ipso forte Terrarum orbe exordium sumit. Fons eius conspicitur in VVestfalia, qua ea Cliuiæ Trans-Rhenanæ est vicina, haud procul Municipio nobilis familiæ, Raesfeldicæ, duarum ab oppido *Boerkem*, trium à Ransdorpio horarum itinere distans. A Raesfeldio, sinuoso lapsu in Cliuiam delatus, primum allabitur Arci Rhijnbergio, deinde in VVestfaliam suã reuersus, perlabitur oppidulũ nomine VVeert, indeq; Comitatũ Zutfanię ingressus, transit oppidulũ à se denominatũ Isalburgum, tum Anholtum, tandẽ perlabitur Arcem Vlftanã, veterum Vsipetum, ac Visipiorũ vestigium (quanquã sint qui hos distinguant, vbi eum Amnis AA, ingreditur, tum pergens Oppidulũ alluit nomine Burgũ, inde Doetechemum, tandemq; Doesburgum, vnde ante Drusi Neronis tempora, ad sinistrã relicto Rheno, recta in Lacus septentrionales, haud procul Rheni ostio Fleuo, cum tantũ Vehtæ, aquas Rhenanas absorbente, ferebatur. Postquã vero dictus

Isala Cis-Renanus.

Isala Trans-Renanus.

Drusos

Drusus à Doesburgo Isalaque in Rhenum spatio duorum milliarium (si rectū terra iter menti fuerimus) fossam duxisset, auctus Trās-Rhenanus Isala, aquarum Rheni magna copia, alueum suum iuuante natura auxit, profundiorem, ampl oremq; Rhenoleccæ, parem certe VVahali fecit, veterique cōtinuato itinere, Doesburgo Bronchorstium, indeq; Zutfaniā, recepto non contemnendo Amne Borkelio, tum Dauentriā alluens, Hattemū quoq; ac Campas oppida lābit, & ad dictas Campas, in veteres immensos septentrionales Lacus, hodie Sinus Meridianalis, & vernacule: *Die Zuyder Zee*: hoc est mare meridionale dictus) in Oceanum Germanicum, ad Fleui ostiū (nunc vernacule: Tvlie: dictū) aquas suas exonerat, à fonte suo hucvsque milliaria germanica circiter 40. conficiens, singula pediti nostro conficienda sesquihora. Nunc Lingæ Amnis cursū deliniemus. Oritur autē is in ipsa Batauia, duobus tantū à Rheni primo ad arcē Lobecanam diuortio milliaribus, iuxta Pagum nomine *Angeren*, vicinū oppido Heussen, vnde multos, ac opulentos perlabens Vicos, ac complures recipiens Riuulos statim se minoribus nauigijs tractabilem facit, incredibilemq; commoditatē, vniuersę superiori exhibet Batauiæ, quod nulli melius quā ciues Gorinchemiani experiuntur, ingentes diuitias suas, præcipue huic Amni acceptas ferentes. Quum enim vniuersa Batauiæ Insula, omnium rerum humano vsui necessariarum sit refertissima, tum superior eius pars, magis frumento producendo, sementique faciendo, quā inferior idonea est, quippe quę non tam campestris, depressa, ac palustris sit, fertilissimos tamen quoque habens, pascendo pecori campos, quorum omnium fructus, siue ij è frumento, lacte, volatilium diuersorum ouis, ac præcipue ferarum Anatū immensa captura, siue è piscibus fluuiatilibus proueniant, Gorinchemū per Amnem lingā, incredibili quotidie copia, ac maxime diebus Lunæ vænum deferuntur, indeque maioribus tectis onerarijs, per vniuersam Hollandiā, Brabantiam, Geldriam, vicinasq; Ditiones longissime diuenduntur. Decurrit à fonte suo, ad vsq; Oppidum Burā Linga, sex milliariū hollandicorum spatio (quę paululū Brabāticis sunt maiora) nullo alio eo itinere reperto oppido. Sed quoniā Bura exigua est, inops, & campestre oppidulū, vt & tria subsequentia, Aspera, Heukelemū, ac Leerdamum, triquetro spatio ædificata, æquali inuicem interuallo, quod duarū horarum nostrarū tempore pedes expeditus, facile absoluet, salutatis tantum horū trium mœnibus mox recta Gorinchemum defertur, ac clarum per se Batauiæ Oppidum, suo ingressu multo reddit clarius & beatius, eadem fere ratione qua Cis-Rhenanus Isala, exigui etiam nominis flumen Gaudanam Ciuitatem, inter Hollandicas siue magnitudinem, siue pulchritudinem, opulentiam, siue nomen spectes, nulli inferiorem effecit. Quum enim ad finem Insulæ Bommelianæ, circa Arcem Louvesteiniam, iterum ac postremo VVahalis Mosaque coëuntes, aquas miserant, positoque vterque nomine, *Merwve*, appelationem suscipiant (de quo paulo ante locuti sumus) fere medium Linga perlapso Gorinchemum, VVahali, ac Mosæ aquas suas

Linga.

cōmunicans, nomen quoq; in ſempiternū deponit, ac cōmuni Meruwę appellatione cum cæteris fluens, tandem Crimpæ recipit aquas Rhenoleccæ, Iſalmondæ, ac Ciſ-Rhenani Iſalæ, vbi vno ſimul alueo quinq; flumina VVahalis, Rhenolecca, Moſa, Linga, ac Iſala Ciſ-Rhenanis ad Roterodamum Moſæ hic iterum recepto nomine, Brielano Oſtio in Oceanum deferuntur. A fonte ſub Gorinchemum vſque numerat Linga, milliaria hollandica mediocria decem, ſingula ſeſquihoræ iter, à pedite noſtro deſiderantia. Nunc Moſellæ curſum

Moſella. deſcribamus. Oritur hic Amnis in Rauracis, haud procul Ditione Baſilienſi non longe ab Oppido hodie germanis dicto Blumer, decem circiter germanicis milliaribus maioribus, hoc eſt. 25. horarū itinere, à fonte fluuij Araris, quem hodie gallofranci, Saōnam, vocant, octo tantum dictis milliaribus ab Archi-Epiſcopali Vrbe Beſontio, ad Amnem Dubiū, qui Veroduni in Ararim influit ſito, quos Amnes moſellam ac Ararim, Imperatore Nerone, L. Vetus, alijs Verus altergermaniæ Inferioris exercitus Legatus, facta in vtrumq; foſſa, iungere conſtituerat, vt è mari mediterraneo, per Ararim, Rhodanum, moſellam, ac Rhenum, in Oceanum germanicum, incomparabili cum vtilitate, ac commoditate nauigari poſſet, ſublatiſque terreſtrium itinerum difficultatibus, nauigabilia inter ſe occidentis, & Septentrionis littora fierent. Sed nobili ac generoſo propoſito inuidit Ælius Gracilis, Belgicæ alter Legatus, deterrendo Veterem, ne legiones, aliarum Prouinciarum commoda ambire aſſueſceret, author eſt Tacitus lib. 13. in hunc modum ſcribens: Paulinus Pompeius, L. Vetus, ea tempeſtate exercitui præerant. Ne tamen ſegnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & ſexaginta annos à Druſo aggerem, coërcēdo Rheno abſoluit. Vetus Moſellam & Ararim, facta inter vtrumq; foſſa, connectere parabat, vt copiæ per mare, deinde Rhodano, & Arare ſubuectæ per eam foſſam, mox fluuio Moſella in Rhenum, exin in Oceanū decurrerent, ſublatiſque itinerum difficultatibus nauigabilia inter ſe Occidentis & Septentrionis littora fierent. Inuidit operi Ælius Gracilis Belgicæ legatus, detorrēdo Veterem, ne legiones alienæ Prouinciæ inferret, ſtudiaque Galliarum affectaret, formidoloſum id Imperatori dictitans, quo plærunque cohibentur conatus honeſti. Ex his Taciti verbis inter alia id verum eſſe elicitur. Moſellam haud procul Arari fluere, ac proinde iuxta eoſdem fere montes (vt & Moſa) eorum exordium, fonteſq; reperiri, quod verū eſt, niſi quod Araris fons magis ad meridiem occidentemq;: Moſellæ ad Septentrionē, orientemque vergat. Habet ab exordio ſuo Moſella ab vtraque Ripa has Ciuitates, Blumeram: Muſtelburgum, Montrollantium, Baianum, Tullium, quod Moſellę exigui Riuuli aquas communicat, Pontmuſſonium: Metim vbi Sellam recipit: Nancium, Fanum Nicolai, Theoniſvillam: Siricum, Rodemarcam intra quam ac Treuerim Ditione Lutzenburgica recipit Amnem Atartum, Alizentam, Alſattum, Ouram, Sauram, Pruinum, Minam amnes: ab altera Ripa Amnem Sariam. Supra Treuerim recepta Kiela fluit Berch-Caſtellum, ac Confluentiam, vbi ſe Rheno iungens,

nomen

nomen splendoremque perdit. A fonte Mosellæ, vsque ad eius cum Rheno congressum, censentur dicta germanica milliaria circiter 70. non tamen vt Lector existimet me plane naturalem fluminum obliquitatem, ac tortuositatem, hac deliniatione exacte comprehendere, sed medio eorum alueo, recta tantum insistere, hoc est, quam maxime possum rectum ripæ meæ sequi, non obliquum cursum. Mosellam quemadmodum & Vrbem Treuerim, quam alluit, suis carminibus egregie celebrat, doctissimus Poeta Ausonius, ex quo hæc pauca adferre visum fuit carmina:

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,
Treuericæque Vrbis solum, quæ proxima Rheno,
Pacis vt in medio gremo Secura quiescat,
Imperijque Viros, quod alit, quod vestit & armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem,
Largus tranquillo, prælabitur amne Mosella
Longinqua omnigenæ, vectans commertia terræ.

De Mosa, Sabi, Scaldi, Leia seu Lisa, Lieua, Netha vtraque, Demera.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

CÆsar Comment. bel. gal. lib. 4. circa finem secundi folij, in hunc modum de Mosæ ortu scribit: Mosa profluit, è Monte Vogeso, qui est in „ finibus Lingonum, & parte quidem Rheni recepta, quæ appellatur „ VVahalis, Insulam efficit Batauorum. Videndum quis sit Mons Vo- „ gesus, qui olim Lingones. Cæsaris ætate Lingonum Ditio ea præcipue fuit Galliæ parte, quæ hoc nostro sæculo dicitur Bassignij, habens ab oriente superiorem Lotharingiam, ac Alsatiam: ab occidente Campangam: à meridie vtrăque Burgundiam: à Septentrione inferiorem Lotharingiam, cum Comitatu Rhetelensi. Ciuitas in hac est Ditione Langrensis, hodie dicta Langres, quæ olim Lingonum primaria, vetustæ appellationis vestigium sola seruare, sonumque eius referre, doctis existimatur. In hac Ditione, haud procul Oppidis nunc dictis, Montenaij le Roy, ac Andelot, visitur Collis magis, quam mons decliuis ac fertilis, in quo Mosę scaturit fons. Vogesi vero nominis relliquias in Oppido Vaudemontio relictas quidam volunt. Etenim, *Val-de-mont* litterarum contractione, idem esse quam Vogesi-mons arbitrantur, iudicent lectores. Loci certe vicinitas aliquid fidei facit. Vicinus est Mosæ-fons, Arars, Matronę, ac Mosellę fontibus, cursus diuersus. Araris (enim nunc Saona, media parte cursus sui, recepta Lugduni Rhodano, recta in meridiem & Occidentem fluens, tribus Ostijs in mare Mediterraneum illabitur. Matrona versus occidentem cursum dirigens, ac haud procul Vrbe Parisiensi in Sequanam se

Mosa.

immergens, vno cum eo ostio, mare Britannicum ingreditur. Mosellam nunc in Occidentem, nunc in Septentrionem, contendentem, Confluentiæ Treuirorum Oppido Rheno iunctam in Oceanum germanicum fluere superiori capite docuimus. Mosa fere eandem mundi plagam amplexa, à fonte suo, vsque in germanicum Oceanum, nusquam nisi semel in honorem Ditionis ac Arcis Meruwanæ nomen suum deponit, quod tamen post quartū, aut quintum milliare iterum recipit, nobilissimis Amnibus (quod non parum est mirandum) lubenter proprijs positis nominibus, in Mosæ appellationem eo loco concedentibus, ac inter hos Pater Rhenus, nobilissimæque eius duæ filiæ, wahalis, ac Rhenolecca. Mosa autem à fonte innauigabilis manet fere ad Oppidum vsque Fani. D. Tibaudi, inde admissis nauigijs petit Marcam: Fanum Michaelis: Verdunium: Montfauconium: Viuiacum: Villam Francam: Mousonium: Dousium vbi Chieram fluuium, Oppidū Iuosium alluentem, cum alio Torrente recipit. Hinc adit Sedanium seu Esdainium : inde Doucherium: Lummesium : Masieriam infra quam mox Amnem Semoiam ac Virum, viginti milliarium decursu, è Lutzenburgijs per Leodios, Arduennatesque fluentes recipit, aquisque eorū valde augetur. Tum pergit Eumaiū: Virœum, vbi crescit Amne Noira qui Marieburgi Oppidi mœnia lambit. Exin Carlomontium, ac Ghiuæum; hinc tendit Dinantum vbi Leschæ amnis aquis ad pagum Anserenum crescit: tum Bouinam vbi recepto fluuio Boscha Namurcum pergit Sabimque Amnem recipit, adiutusque in itinere fluuio Mehaingna Houiam Oppidum alluit: inde Leodium ingreditur, vbi Ourta, Alba, wesa, alijsque Torrentibus non parum tumens, Vinetum petit, tum Traiectum ad Mosam, à se denominatum, *Maestribt*: vbi Iecquelæ aquis Tungrorum Vrbem irrigantibus, ac Illæ Valkenburgum alluentibus augetur. Hinc salutat Oppidum Stochemum: Maesseicam: VVessemum: Ruremondā, vbi Sualinam Amnē, ac Cis-Rhenanam Rouram admittit. Est enim & Trans-Rhenana Roura, vt paulo ante scripsimus, cuius Ostium in Rhenum se exonerans dicitur Ruiroort, hoc vero Ruirmont, vnde Venlonium Mosa alluit: tum Gennapium: Cucam: Grauam: Rauesteinium: Batenburgum: Megenum: Kesselium, ac vno singulę diuersis in ripis à Mosa distantes milliari Boscoducum, ac Bommelium, dimidio milliari Heusda, vbi primum facit Mosa diuortium, qua de re statim. Iterum ad diuersas Mosæ ripas, mox se offerunt, VVorinchemiū, ac Gorinchemum, vbi auctus aquis Linganis, ac Wahalanis, in honorem nobilissimi Francorum Ducis Merowëi (vt superiori capite scripsimus) Meruwæ hic nomen admittit, mox Mosæ iterum recepturus. Nam Gorinchemo Dordracum fluens in duos iterum abit alueos. Sinister vnicum tantum habet Oppidum nomine: *Geervliet*. Dexter, plura, vnde Roterodamū alluens, oblitus Merowëi, Mosæ nomen resumit, fluens Sciedamū, Vlaerdingan, tandemque Brilano amplissimo Ostio, multis alijs mixtus Ammibus, in Oceanum decurrit, fluxu adeo præcipiti, ac coniurata aquarum pertinaci consensione,

ſenſione, vt longo ſpatio, ſalſis Oceani aquis, magna admiratione inmixtus, nec in longum, nec in latum, ſolitam amittat dulcedinem, gratum, imprimis pabulum, ijs præbens piſcibus, qui vtriuſque aquæ commertio, vſuque gaudent, & vtuntur. Habet Moſæ Alueus à Fonte ad Brilanum vſque Oſtium milliaria germanica maiora circiter centum, primum ab Oriente in Occidentem, deinde reflexo curſu iterum in Orientem, tum in ſeptentrionem, poſtremum denuo ad Occidentem tendens in mare Britannicum euoluitur, circumplexus hoc ambitu inſignes, ab vtraque Ripa Belgarum Prouincias, Vrbes, Ciuitates, ac Oppida, Vicorum vero infinitum numerum. Et quanquam hoc tempore niſi vnum Belgæ agnoſcant Moſæ Oſtium, duo tamen olim extitiſſe quidam volunt, alioqui enim fruſtra etiamnum hodie, ab Incolis Veterem & nouum, Orientalem & Occidentalem Moſam nominari dicentes. Veteris Moſæ Alueum fuiſſe exiſtimant, vbi nunc ſtat Oppidum Heuſda, indeque eum fluxiſſe, Geertrudebergam: (quum ibi & hodie duret Veteris moſæ appellatio, incolis dicta: *Doude Maes:*) Zeuenbergam, indeque recta inter Hollandiæ & Zelandiæ Inſulas Oceanum eo petijſſe alueo, qui marina inundatione ampliſſimus factus hodie *Flacce*, aut *Flac-zee* dicitur, & ad Inſulam Gorçam aquas in Oceanum exoneraſſe. Alij ſentiunt veterem olim fluxiſſe Moſam Geertrudeberga Dordracum, ibique iterum ſciſſum in duo brachia. Prius ſiniſtrum latus ingreſſum recta curſum tenuiſſe Peterhouckium, Hienortum, Beierlantium, Heenvlietam, Puttam, Geervlietum, tandemq; Brilano Oſtio ſe in mare præcipitaſſe: Alterum dextrum latus petijſſe, comitantibuſque Rhenoleccæ, ac wahalis aquis, Roterodamum, Sciedamum, ac Vlaerdingam fluxiſſe, coniunctumque cum veteri Moſa, Brilano oſtio Oceanum intraſſe, wahalis ibi nomine etiamnum hodie in Oſtij ripa extante, in Pago nomine: *Svvarte vvael*: quod nigram ſonat wahalim, ob aquarũ eo loci, ratione fundi, in atrũ colorem mutationẽ. Si prior opinio eſt vera, duobus olim Moſa Oſtijs in Oceanũ decucurrit: Sin poſterior, vnico tantũ Helio, ſeu Brilano oſtio cõtentus extitit, duobus tamẽ decurrens Alueis, quod ex Tacito, vt magis veriſimile probari poſſe reor, qui lib. 2. ſic ſcribit: Nam Rhenus vno alueo continuis, aut modicas Inſulas circumueniens, apud principium agri Bataui velut » in duos diuiditur, ſeruatq; nomen, & violentiã curſus, qua germaniã præuehi- » tur, donec Oceano miſceatur. Ad gallicam ripam latior, & placidior affluens, » verſo cognomento wahalem Accolę dicunt, moxque id quoq; vocabulũ mu- » tat Moſa flumine, eiuſque immenſo ore, in eundem Oceanũ effundit. Quibus » verbis nil niſi de vno Moſæ loquitur Oſtio. Atqui hæc ſatis de Moſa, altero » poſt Rhenũ Belgicarum Amniũ Principe ac Domino. Sequitur fluuius Sabis, *Sabis.* qui Namurci (olim Nemetocennæ) in Moſam influens, oritur in fine Ditionis Cameracenſis ac Veromanduorum, vix duarum horarum itinere, ab Oppido Cambreſio parte ſyluæ Carbonariæ quæ hodie Hainegaudijs dicitur: Mourmaux: ac ex meridie verſus Orientem, in Moſam fluit. Augetur Sabis magna

Torren-

Torrentium, Riuulorumq; multitudine, qui varijs è Collibus ac Nemoribus, ab vtraque ripa in eum confluunt. Primum quod à fonte suo alluit Oppidum Landreçisiũ est, idque ad Pagum Foliam, deinde Barlaimontium, Ameriã, Mabugam medio secat, hinc rursum ad Ripam habet Thuinũ, Montignium, Tigneussium, marchiennam ad Pontem iuxta quam in Sabim influunt Heura seu Eusa, ac Pietonium Amnes. Sequitur Montignium ad Sabim, Chasteletum, Chastelnianũ, Froimontium, vbi Ornum recipit, tum adit abbatiã Floreffam, ac Molognam. Hinc Namurci in Mosam, posito Sabis nomine se abdit. Ab eius fonte Namurcum vsque, recta iter gradiendo, vix. 30. sunt milliaria Brabantica. At si obliquum tortuosumq; Aluei tractum, Ripam Sabis semper tenendo, sequi velis, pluisquam 80. dicta reperies milliaria, ita se hic amnis in gijros, flectit, reflectitque. In hoc tamen tam exiguo aquarum suarum decurso, Sabis supra 25. torrentibus, frequentes aquas trahentibus angetur, ac ad Namurcum ingenti aquarum copia, Mosam opulentiorem reddit. Facile nauigabilis redderetur, nisi accolæ plus commoditatis, ac vtilitatis sentirent, è Molarũ diuersi generis multitudine, quæ violento aquarum eius cursu circumactæ, non solũ frumenta frangunt, pannum lineum in chartæ vsum contundunt, sed & crudum, recensq; è terra effossum ferrum, expoliunt, perpurgant, ac fabrorũ omnigeno vsui aptum reddunt, vnde in varias venum exportatur Prouincias.

Scaldis. Sequitur Scaldis, semel atque iterum Cęsari, vt Sabis memoratus, Tacito nunquam. Is sex circiter brabanticis milliaribus à fonte Sabis, quatuor à fonte Somonæ Oritur. Hij enin tres Amnes, ex eodem Colle in finibus Veromanduorum, ac Cameracensium decurrentes, funduntur. Scaldis vero inter Arces Chastelet, ac Boureuoir, iuxta Abbatiam. D. Martini, Ditione Veromanduorũ oritur, rectaque Cameracum petens (quod septem ab eius fonte distat milliaribus) Vrbem medio perlabitur, quemadmodum & Hourdaignam: hinc tendit Bouchainum, vbi Senseto amne augetur, tum Valenchenas medio secat, ac se hic primum nauigabilem præbet, in itinere Selle amne, quod Oppidũ Cambresium, interluit recepto, inde Condeti Oppidi mœnia lambit, ac Hainæ & Honsnauij amnium aquis tumens Mortaingam delabitur, vbi Scarpæ Atrebatensium, ac Duacensium fluuio augescit. Inde Tornacum contendens Vrbem superbam ad Arcis latus, quemadmodum mox Audenardum & Gandauum transit, vbi recepta Lea, Lieua, ac Moura, primumque reciprocũ, sentiens maris æstum deserta mox arroganti Vrbe, sinuoso lapsu Teneramundam, mediocritate gratam allabitur, vbi Teneram alijs Dendram recipit, pauloq; post ad Arcem Rupelmondanam, Durmam cum humili suscipiens Rupella se iungit Demeræ, Deiliæ, Nethæ, Zinnæ, ac aliarum Amnium aquis, rectaque Antwerpiam contendens, ac fastuosæ, opulentæque Vrbis ingressum, nisi per incilia dignatus Ciues salutat, mœniaque attrectando, Portum eis insignem ac tutum efficit, indeque ad tria lapsus milliaria, marisq; salito æstu admisso, in duo ingentia, facto aquarum diuortio se scindit membra, duobusque in Oceanum

properat

properat Ostijs. Prius membrum Brabantiam à Flandria separans inter Biervlietum Flandriæ, ac Vlissingam Zelandiæ Oppidum nomine: *Hont*: in Oceanum tendit: Alterum membrum, Antwerpia Bergis ad Scaldim seu Zomam defertur, hinc Reimerswalam, à dextra Tolam oppidum relinquens, indeque ad Insulam Scouwiam (corruptã è Scalde vocem, ac rectius Scaldiam dicendam) retento vbique nomine, Oceani inundatione confuso Ostio, in eundem desertur, huc vsque à fonte emensus milliaria Brabantica circiter, 80. Fecerat Scaldis Antwerpiam, ante Belgarum ciuilia bella, cuiæuis totius Europæ Vrbi parem, siue pulchritudinem, Opes, amplitudinem, situm, commoditatem, siue populi frequentiam spectes. Sed nunc prôh dolor, orta è nimia opum confidentia dissentione, veteris splendoris tristi memoria luget. Hæc de Scalde Cęsaris tempore non admodum claro, hodie vero præstantissimis Belgarum fluminibus nil cedens. Qua autem ratione Cæsar bel. gall lib. 6. Scaldũ Mosam influere dicat, nõ satis me intelligere fateor, ac proinde doctioribus examinãdum relinquens, rem non magni momenti verbosè hoc loco tractandam non censens. Cum Marliano intera, donec certiora, didicero, in ea sum opinione, vt existimen eo Cæsaris loco librariorum culpa mendum irrepsisse, legendumque Sabim, non Scaldim. Offert se nunc Leia sic germanis dictus gallofrancis, Lisa. Oritur is è media Atrebatum Ditione, in Comitatu fani. D. Pauli, iuxta abbatiam Rouseauvillęam, vnde placide labens, mox Pago Lisburgo ex se dat nomen, indeque compluribus receptis Riuulis, morinorum Terowanam nunc excisam lambit: inde Airam munitum Atrebatensium Oppidum contendit, vbi duobus auctus Amnibus, mox Flandriæ limites ingressus, eius longitudinem Gandauum vsque in duas fere æquales secat partes, Flandriam officiens Cis, ac TransLisanam. Aira fluit Haueskercam: inde mervillam: tum Armenteriam vbi ad Pagum Dulsemontiũ, Duelam Insulensium Amnem recipit. Hinc alluit Menenam: Halewinum: mox perlabitur Cortracum, receptoque in itinere Torrente Mandera, sexto inde milliari in Vrbe Gandensi illabens Scaldi, nomen ac alueum cedit, hic vsque à fonte milliaria circiter brabantica, 34. emensus. Lieua vero exigui itineris Amnis, sed immensam Flandris prębens commoditatem, oritur iuxta Middelburgum Flandriæ Oppidum, vnde olim ducta Dammum vsque, duorum milliarium itinere fossa, Lieua ea ratione aquis admodum auctus, totus nauigabilis est factus, nisi solito siccior æstas, eius aquas minuat. Gandenses certe ac Brugenses, nauigijs hinc inde Lieua commeantes, Sluza in Oceanum per eundem vehuntur. Tandem Gandaui in Scaldim illapsus nomen perdit, vnaque cum Lisa eum auctiorem, clarioremque reddit, emensus Middelburgo Gandauum, sex tantum milliaria Brabantica, rectum terra iter considerans, non incuruum vt sæpe dixi, fluminis lapsum. Netha Brabantiæ flumen duobus oritur Campeniæ brabanticæ fontibus, quorum aluei Oppido Lira aliquot in itinere Torrentibus ac Riuulis aucti coëunt. Prior ab Incolis Netha maior

Leia, seu Lisa.

Lieua.

Netha vtraque.

appellatur,oriturque prope Vicum Bombergam, vnde fertur Mollam, Ghelam,Hulshoutium,Itegemium,deinde ad Oppidum Liram: Alter Netha minor dicitur,oriturq; inter Pagos Deschelium, ac Rhetium,perlabensque Oppidum Herenstalsium, ac Grobbendonckij recipiens Torrentem AA, maiori Nethæ Liræ se iungit,ac vno comuniq; alueo egressi Oppido,iustum iam flumen tectis nauigijs portandis sufficit. Lira,Duffelam contendit: inde walemum,tandemque inter Heindoinckium ac Rumpstam, Demeræ, Deiliæque coniunctus,haud procul Rupelmonda,Scaldim perdito nomine illabitur, huc vsque à fontibus non amplius quindecim confectis brabanticis milliaribus, magnæ alioqui Brabantis commoditatis ac vsus Amnis. Sequitur Demera brabantia latitudinē fere in duas ęquales secans partes,qui Ditione Leodiensi, duobus vt Netha oritur fontibus. Prior vnico milliari distat Tungrorū Vrbe, scaturitque iuxta Pagum nomine Hoesselt : Alter duobus ab hoc dissitus milliaribus ad Pagum erumpit nomine Suetendael. Prior Riuulus Oppidum transit Bilsenum,ac paulo infra hoc posteriori coniunctus, vno exinde alueo fluentes Demera appellantur,receptoq; Ratbeco,ac Stimmero Riuulis,Hasseltum Leodiensium Oppidū perlabitur, indeque haud procul Oppido Herca,recepto amne Herco, Brabantiæ limites ingressus, ad primum eius Oppidum Halam aquis augetur diuersorum Riuulorum, inter quos sunt præcipui Geta (qui Ioudoignam,ac Thenam transit) ac Vlpa.Inde Demera perlabitur Diestam,Sichemium,Airschotum,Rotselaram vbi recipit musarū Louaniensium delitias,Deiliam, qui multis Torrentium Riuulis auctus Louanij primū fit nauigabilis,inde recta Mechliniam Deilię Demera nomen suum in gratiam musarum cedens, Vrbemque medio perlabens in eius egressu augetur aquis Boemerij Amnis, qui Mechliniam iucundissime, varijs locis, vt Demera, & Deilia irrigans, admirabiles quoque cōmoditates præbent. Mechliniam Demera,cum Deilia,ac Boemeria egressus, Rupelmondæ se in Scaldim abdentes nomina perdunt,in itinere admittentes Zinnam Bruxellensium Amnem, ac ab altera ripa iam dictam Nethá, willebrouchi vero,fossæ Bruxellanæ aquas, aliquotque alios non ignobiles torrentes,ac Riuulos. Iam ipsa Vrbe Mechlinia Demera,ac Deilia,maris æstu turbantur,crescunt ac decrescunt, dulcedinē tamen non amittunt,quæ res huic Vrbi ingentes adfert commoditates,maioribusq; tectis in Vrbe onerarijs Portus est & Statio tutissima. A fontibus Rupelmondam vsque obtinet Demeræ alueus circiter viginti brabantica milliaria,rectum iter dimetiendo: & circiter,50.si incuruū eius spectes lapsum. Deliberatum aliquando fuit interBrabantię ordines,Traiecto ad Mosam (itinere ferme trium brabanticorum milliarium) in Demeram vsque fossam nauigabilem ducere,veteremque Demeram, Bilseno Louanium vsque perpurgare, aliquotque locis ampliorem facere, vt è Mosa in Scaldim, ac contra, ingenti Brabantiæ,propinquarumque Prouinciarū commodo, ac vtilitate, hinc inde nauigari,mercesque omnigenæ,vehi possent. Obstitere vtilissimo, generosoq; conatui

Demera.

Deilia seu Dilia.

conatui, qui eum rebus suis priuatis incommodum arbitrabantur, deterrentes iam ad opus inclinatos, ingenti, vt volebant, sumptu, qui in extruendis ab vtraque Demeræ ripa aggeribus, esset faciendus, contra brumales Mosæ inundationes, ex aqua pluuia, aut liquefacta niue, ingens damnũ minitantes, ac in fabricandis aliquot ingentibus, notæ nostro sæculo rationis Obicibus aut Catharactis (Belgæ eas *Sluisen*, ac *zaßen* appellant,) ne libero aqua Mosana defluxu, ingentem aquarum hyeme vim trahens, propinquos agros ac Campos, magno colonum detrimento, Vere vsui inutiles redderet Aestus enim maris huc vsque non pertingit, ac proinde ab hoc, nil periculi. At Traiecto ad Mosam, Mechliniam, Antwerpiamque secundum obliquam Demeræ ripam tendenti, Campi, agrique in decliuum semper, magis, magisque vergentes speciem periculi veram, conatui obtendebant, hacque de causa minus versatis, facilius Opus dissuadebant. Sed non tam magno sumptu huic periculo obuiam iri poterat, vt dissuasores volebant, sed multo minori. Vnica enim, eaq; maiori, firmiorique Traiecti ad Mosam Opus erat Catharacta, quæ instante Mosæ inundatione, nouo eius Ostio, ad certos dies obijceretur, cumque rectũ, antiqumque cursum tenere cogeret, rursumque aperiretur, cessante periculo. Et quid vetaret huius Catharactæ molem, tumenti obycere Mosæ, quum videamus diuersis Flandriæ, Hollandiæ, Zelandriæ, ac Frisiæ locis, eas magno commodo ingetique cum vtilitate, insanienti obiectas Oceano, vim, violentiamque eius omnem, retundere, ac repellere. Sumptus vero in vniuersum opus faciendi, breui tempore, ingenti cum fœnore rependeret, constitutum Principis consensu, ad dictam Catharactam mediocre Portorium, quod non grauatum commeantes hinc inde naues, subuectionis commoditate, ac vtilitate inuitati, essent soluturi, ex quo non solum in omne æuum facta Opera tueri, sed etiam ea omnia fieri, molirique possent, quæ ad fluminis profunditatem, amplitudinemque augendã, conseruandarumque riparum eius, iustam altitudinẽ, docente natura, ac tempore, necessaria fore censerentur. Si aliquibus ex hoc opere commodum esset accessurum, imprimis certe Traiecto ad Mosam, vicinisque Leodijs, ac omnibus humilibus Brabantiæ Oppidis, quæ Demera allabitur, quæstus incredibilis ac vtilitas inæstimabilis nasceretur: maioribus vero Brabantiæ Ciuitatibus, tam ad rerum subvectionem, quam exportationem, ingenti nouum hoc opus foret, vsui, eorumque mercatum mirum in modum augeret. Sed vtile, necessariumque negotium, primum Ciuilia Belgarum bella distulere, deinde sciolorum aliquot imperitæ dissuasiones, vt contemneretur effecere. Postremo ignauorum hominum negligentia, Ambitiosorum inuidia, auarorum pusillanimitas, vt magno Prouinciæ incommodo, nobilis conatus omitteretur, in causa huc vsque fuere. Quid posteri sint molituri tempora docebunt.

De Sequana, Matrona, Oisa, Somona, Authia, Cauchia, Scarpa, Deula: Ha seu AA. Ourta seu Vrta.

Capvt Vigesimvm Qvartvm.

Sequana. SEquana hoc capite se nobis offert primum describēdus, qui vt Rhenus suo cursu Belgas à Germanis distinguit: ita matronæ Sequana cōiunctus Gallos Celtas aduersa fere ex parte, à Belgis disterminat. Oritur autem Sequana in finibus veterum Heduorum, ac Lingonū (de quibus sæpissime Cæsar) quod hodie est in finibus Ducatus Burgund. haud procul Pago ac abbatia D. Sequani, hodie Burgundus dicta: Seine sur Seine: (Sequana enim hodie Francogallis dicitur & scribitur: Seine, è: finali breui seu fœminino, hoc est, vix prolato) non longe à fonte fluminis Mosæ: Ionę: Matrone: Araris: ac Mosellæ, tendensque recta versus occidentem, primum perluit Aisiam Ducis, tum Chastillonium, Musium Episcopi, Pontem Barram perlabitur, tum tendit Troiam Campangæ, Merium, vbi Aubam amnem recipit, hinc pergens alluit Megentium, mox Monterauum cęde Ioannis Intrepidi Burg. Ducis Famosum vbi amnem Ionam admittit. Sequuntur ad vtramque ripam MorenaNemoursij Oppidi amnis, in Sequanam illabentis, Braia, Melunium olim Melodunum, Corbeila, Pons Charrentonnius, vbi Matrona in Sequanam illabitur. Hinc Lutetiam Parisiorum Vrbem intrat, seque separans, rursumque coëens, quatuor ad minimum intra Vrbem Insulas costituit. Egrediens vno alueo, mox Argenteulam alluit, tum Fanum Germanici, Possium, ac Confluentiam ad coitionem Sequanæ ac Oisæ conditam, denominatamq;. Hinc tendit Moullainium, Mantam, Gaillonium, infra quam recipit, Eptam ac Dreussiam Amnes, vnde aquis mirum in modū auctus, mox in Celtica ripa alluit, Pontemlarchæ: In Belgica Ripa Rothomagū, nobile Nortmannię Emporium, ac Caput, vnde pergens lambit Bouillam, tum Caudebecum, ingentique mox, sed vnico in Oceanum Britannicum defertur ostio, in Belgica Ripa post Caudebecum adhuc habens Harflæum, ac Haure-de-graciam: In Celtica Ripa post Bouillam, Pontauium, Marinum, Honflenum, Tenoquesiū ac fanum Saueusij, à fonte vsque in Oceanum obtinens milliaria gallica communia circiter: 160. centum fere brabantica effectura, sed vt aliquoties dixi, obliquum cursum non sequor, sed rectum terræ tractum, qua de re in vniuersum semel obtestatum volo de fluminum cursu agens, imo non solum eorundem, à suis fontibus vsque ad Oceanum, aut vbi in maiora flumina se perdunt spatium, intervallumque describo: sed etiam quum Vrbium, Ciuitatum, Oppidorum, Municipiorum, Arcium, & Abbatiarum inter se distantiss demonstro.

Matrona. Matrona gallofrancis hodie Marne, dictus, haud ita procul à Sequanæ fonte ortum capit, multa tamen propinquior est Mosæ, Araris, ac Mosellæ fontibus, adeo

adeo vs ex eodem monte Vogeso hęc flumina oriri verissime dicantur. Nascitur autem Matrona, è pluribus fontibus quorum omnium Riuuli Challonnij (veterum Catalaunum) in vnum confluunt alueum è quibus vnus paululum supra Oppidum Vaucouleurium scaturit, alluensque Ligniũ, ac Barram-Ducis se cęteris Challonnij iungit. Secnndus infra Fanũ Desiderij (Caroli quinti Cęsaris obsidione, ac Reineri, Nassauij, Aurantij Principis morte clarũ) ac Vitrium Oppidum se effundit: Tertius iuxta Ciuitatẽ Chaumontiũ prorumpit. Quartus paulo supra Oppidũ Montmirandellũ è terra effluit, proprieque Matronæ nomen obtinet. Challonnij, vt diximus, hi Riuuli in vnũ coëuntes, exinde amplius non separantur, sed vno contenti Matronę alueo, ac nomine, mox alluũt Aspernaum, Dormantũ. Chasteau-Thiriacũ, Maussium olim Meldenses, Claiã, Langesium vbi Moram amnem recipiens mox ad Pontẽ Charentonium, suas eiusq; aquas, perditis nominibus Sequanę cõmunicat eius exinde nomine & ostio, in mare Britannicũ se exonerans 80. tantũ milliaria gallica, brabãtica 50 à fonte suo, Pon-Charrentonium vsque decurrens. Oisa apud Picardos oritur haud procul oppido Guisa, Pago nomine: Hanap: vnde salutata Arce Ripemõtia, Feram oppidum petit, concursuque amnis Sęræ, facta exigua Insula, in hãc dictam feram, egregie opere, ac natura munitã, dat conspiciendam. Fera fertur Chaunium, inde Nouiodunum Archi-Præsulatu clarũ, duobusq; infra id milliaribus Amnẽ recipit Ainonem Vrbe Rhetellensi, Rhemensi, Vellij, Suessonũ, ac Compeniga clarum, nobilitatemq; Ab Ainone Oisa alluit Creilam, Fanum Leuij, Baumontium, Pontoisam, ac tandẽ Confluentiam ita denominatã, quod hoc loco Oisa perditis aquis ac nomine, vt paulo ante Matrona, in Seqnanę alueum se condens, eius appellationẽ assumat, vnoque cum Matrona, ac Sequana alueo ostioq;, in oceanum britannicũ deferatur, non amplius 60. gallicis, ac circiter 35 brabanticis milliaribus à fonte suo, ad vsque Confluentię ostiũ conficiens. Somonę (olim vt conijcio Samaro, aut Samara dictus) fons, nõ vltra septem Brabanticis milliaribus, ab Oisæ fonte distat, in eadẽ scaturiens Picardia, haud procul Pago Feruec, sesqui brabantico milliari & tribus gallicis, è fano D. Quintini nobili Veromanduorũ Ciuitate distans, vnde non procul olim Samarobrinã, aut Samarobriuã (vtraq; enim reperitur lectio) fuisse mea fert opinio, & cõiectura. Etenim Samarobrinę nomen ter bel. gal. lib. 5. apud Cæsarẽ reperitur, idq; vt ex eo colligi potest, haud longe à flumine, quod hodie Somona dicitur, tum tẽporis vt existimo, Samaronem dictũ, ac proinde Cameracũ esse Samarobrinã, quod Scaldis perluit non potest, cuius amnis Cæsar de Samarobrina loquens nullam facit mentionem. Samaronem autem nunc Somonam, olim Samarobrinam alluisse aut perlapsam esse ex eo conijcimus, quod Vrbs à dicto fluuio, partem nominis trahere videatur. Accedit, quod locus etymo respondeat, & consonantia Samaronæ ac Somonæ, aut vt lingua gollofrancica effert, Samaronne, & Somme aliquid extorqueant, parum tanti temporis interuallo mutatis literis variantes. Vrbem autem fuisse Samarobrinam insig-

Oisa.

Somona.

„ nem, Cæſar dicto libro his verbis docet: Concilio Gallorũ Samarobrinæ per-
„ acto. Et paulo poſt: Craſſum Samarobrinæ pręficit, Legionemque ei attribuit,
„ quod ibi impedimenta exercitus, obſides. Ciuitatum, literas publicas, frumen-
„ tumque omne, quod eo tolerandæ hyemis cauſa conuexerat, relinquebat. Et
„ iterum: Ipſe cum tribus legionibus circum Samarobrinã, tribus hibernis, hye-
mare conſtituit. Stetiſſe autem Samorobrinam, non procul fano Quintini, vbi nunc eſt Bray ad Somonam, lubenter cum Abrahamo Ortelio ſentio, ac quæcunq; nomen Bray, ac Brie, ijs in locis tenent ex huius exciſæ Vrbis relliquijs, hic conſediſſe, ac veteris appellationis partẽ conſeruaſſe omnino ſtatuo. Facit quoque pręclaram huius Vrbis mentionem Cicero lib. 7. Epiſt. ad Trebatium. Cæſar quoque nobiſcum facere videtur, qui cum ex altera Britannica expeditione, in galliam redijſſet, legioneſque apud Belgas in hiberna diuidiſſet, ipſe ſe in Gallia apud Carnutes dicit manſiſſe, vnde poſtea certior factus Q. Ciceronis caſtra, ab Eburonibus, Treueris, ac Neruijs oppugnari ſumma celeritate eo contendit, euocatumq; ex hibernis C. Fabium, ac M. Craſſum ſingulis cum legionibus, illum Samarobrinæ manere, Caium Fabium, ſecum in hoſtes proficiſci voluit. Ex quibus omnibus inter ſe attente collatis, clare apparet Samarobrinam ad flumen Somonam, non ad Scaldim fuiſſe ſitam. Fanũ enim Quintini, haud procul abeſt à Bellouacis, vnde cũ ſua legione veniebat Craſſus, Samarobrinæ à Cæſare in præſidio relictus. Longius vero multũ Cameracum, Cæſari in Neruios tendenti, ad liberandum obſidione Ciceronem, & extra, iter, vt non erat Samarobrina, fuit poſitum, quare & C. Fabium è morinis euocatum, in Atrebatum fines ſe operiri iuſſit. Si quis certiora habet communicet, lubenter relictis noſtris ei accedemus. Somona autem Quintini mœnia alluens, mox ad vtramq; Ripam habet Hannum, Peronam, Corbeiam (à Corbeo Bellouacorum Duce denominata, de quo vide Hirtiũ bel gal. lib. 8.) vnde mox intrat Vrbem Ambianorum lambit deinde Picquiniacum, Abbeuillam, Fanum Valerij, interque Treportum, ac Crotoiam, vnico, ſed nobili, oſtio in mare Britannicum defertur. Amnis certe qui ingentes, iam memoratis Ciuitatibus vtilitates, ac commoditates præbet, proximoſque irrigans agros, eam Picardiæ partem, ferendo frumento, fœcundiſſimam facit, nec vina aër, agerque à Somona adiutus, habitatoribus negarent, ſi plæriſque ab ijs locis, vt decet coleretur, nunc propriæ ignauiæ, ac ſocordiæ, meritas luunt pœnas. Somonæ iter à fonte vſque in Oceanum eſt circiter 60. gallicorum, & 30. Brabanticorum milliarium. Propinqui ac vicini ſunt Somonæ, Authia, ac Canchia Atrebatenſium fluuij. Oritur Authia duobus fontibus: Prior eſt ad Pagum Grincourt, dimidiæ horæ itinere diſtans ab Oppido Pas: alter ſeſquihoræ itinere, ab hoc ſeparatus viſitur iuxta Pagum Caignolla, coëuntque Vico, Certonio, inde ſemper vno alueo contenti, alluunt Authiam, Dourlonum munitiſſimum Picardię Oppidum, tum Auxium perlabitur, lambit Abbatiam Villencourtiam, tandemque ad Oppi-

Authia.

dum

dum Pons-Assellarum, leni fluxu in Britannicum mare, modico ostio influit, milliaria tantum Atrebatensia viginti, Brabantica decem à fontibus suis ad mare vsque conficiens. Succedit Authiæ vicinus Cauchia fluuius etiam apud Atrebates exordium sumens iuxta Vicum Hoisin, tribus tantum Brabanticis milliaribus, vtriusque fluuij fontibus Atrebato distantibus. Primum quod à fonte Cauchia inuisit Oppidum, Hesdinum vetus est, abhinc annis triginta excisum, extante eiusdem nominis tantum Pago. Sequitur Hesdinum nouum, vnico à veteri distans gallico milliari, quod nunc dicitur: Hesdinfert: infra quod ad semimilliare, amnis Tornosius, fanum D. Pauli perlabens in Canchiam deposito nomine, ac posthac vnico cum eo alueo, & ostio contentus deuoluitur. Inde Canchia festinat Monstreulium, donec vtraque in Ripa hinc Fanum Iodoci, inde Estaplessium Oppidum adeat, ac quatuor, aut ad summum quinque, receptis post Tornosium Torrentibus, aquas suas, peramplo nobilique ostio, in mare britannicum euomunt, à quo ostio, ad fontem vsque, supra 18. gallica, ac octo Brabantica milliaria Canchia non decurrit, incredibiles tamen commoditates tam exiguo spatio, accolis præbens. Sequitur ex eodem Atrebatensium Sinu amnis Scarpa, Vrbium Atrebatensis, ac Duacensis Cornucopiæ, qui sex supra Atrebatum eius Ditionis milliaribus, iuxta Pagos Vaulincourt, ac Bellæ, duobus tantum à Canchiæ, ac quinque ab Authiæ fontibus scaturiens dictis milliaribus, sed cursu plane diuerso. Vt enim illi duo ab Oriente in occasum, ita Scarpa, ab Occidente in ortum defertur. Secat fere medio Atrebatum ac Duacum, indeque ad Municipium Mortangam, haud procul ab Vrbe Tornacensi in Scaldim illabens, nomen, ac memoriam perdit 30. circiter Brabanticis milliaribus à fonte Mortangam vsque distans. At Duela etiam Atrebatibus ortum debens ac à meridie in Septentrionem fluens, tribus supra Oppidum Lens milliaribus oritur haud procul Pago Ablaing, indeque Lensi: mœnia lambens, ad claram Flandriæ Vrbem gallofrancice: Lille: Belgogermanis: Rijssel, hodie latine: Insulæ: dictam, vario mercatu diuitem contendit, eamque medio ferè transiens, auctus in itinere aquis fluuij Oppidi Basseæ, ad Pagum Duselmontium, Lisam Flandriæ amnem, posito Deulæ nomine influit, ac cum eo Gandaui in Scaldim se mergens, huius exinde alueo & appellatione contenti, Oceanum germanicum apud Zelandos ingrediuntur, non supra viginti Brabantica milliaria, à Fonte in Lisam vsque Deula percurrens. Vnus adhuc restat Atrebatensium fluuius cum Deula à meridie in septentrionem ac Occidentem fluens nomine, Ha, vel vt plærique malunt efferre: AA, cuius nominis multi varijs locis apud Belgas reperiuntur amnes. Oritur hic noster Ditione Atrebatensi, haud longe finibus Comitatus Boloniensis, iuxta Pagum Vasurdal, septem circiter milliaribus à Fano Audomari distantem, receptisque mox tribus Riuulis, quorum vnus Rentiacum alluit, multis salutatis

Canchia. *Scarpa.* *Duela.* *Ha, seu AA.*

ſalutatis nobilibus Vicis, tandemq; ad fanũ Audomari perlatus Vrbem medio tranſit, ac antequam exeat, in duo ſciſſus brachia, ad Vicum Econium, duobus Audomaro milliaribus denuo cöit, ſed mox iterum exigua effecta Inſula, ad abbatiam Rummingemiam, Amnem Colmã, Borburgum Flandrię perlabentem recipit, tum tertio, eoq; maximo facto diuortio, Inſulã quinq; Pagorum capacem efficit. Pars ea quæ à poſtremo diuortio ſiniſtrum latus petit, Caletes pro parte adit, alijs multis in itinere adiutus Riuulis, Torrentibus, ac Incilijs: pro parte vero noua facta Inſula prope Grauelingã veteri Ha, ſe iungit. Pars altera diuortij dextrum latus petens nomen Ha, ad Oceanum vſq; retinet, receptoq; iuxta Greuelingam Torrente, vt diximus, Colma, quartam efficit Inſulam, ac tandẽ Portu, Oſtioq; ampliſſimo, Grauelingæ in Oceanũ ſe mergit, nauibus male fidã, prębens ſtationẽ, quod vadoſus oſtij Ha alueus naues maiores oneratas, ſine periculo nõ emittat neque admittat, niſi marini ęſtus liberali aquarũ acceſſione repleatur ventuſq; pro neceſſitate è terra aut, mari flans id permittat, quæ pro maiori parte Belgicorum Portuum eſt natura, ac conditio, vocanturq; hac de cauſa lingua belgogermanica: Tij-Hauens: Terræ inter vallum quod flumen, Ha, à fonte vſque ad Oceanum decurrit, 15. milliaria Brabantica non ſuperat. Hoc tantillo ſpatio, incredibilem accolis adfert commoditatem. Nobilitatus eſt hic amnis memorabili victoria, Ammiralis Egmondij Comitis, contra Heinrici ſecundi, Francorum Regis exercitum obtenta, Anno Chriſti, 1558. Reſtat deſcribendus Lutzenburgenſium Amnis, *Ourta*, ſeu *Vrta*, vernacula eorum lingua dictus: *Vrt*. ac: *Ourt*: duobus è fontibus, vnico Brabantico milliari inuicem diſtantibus oriens. Prior fons ad Pagum *VVampach* conſpicitur: alter ad Vicum, *Ourt*, orientalem. Coëunt in vnum alueum poſt ſeſquihoræ, è fontibus lapſum, inde Oppidũ petunt *Hoffaliſam*, infra quod ad ſeſquimilliare, haud procul Oppido, quod à Rupe nomen habet, in ſe recipit, Ourtã minorem, ad Pagum Ourt Occidentalem ſcaturientẽ. Sex infra Rupem milliaribus (non paucis admiſſis in montoſa Regione Torrentibus ac Riuulis) exiguam facit Inſulam, in qua ſitum oppidum Durbium alluit, tum vlterius contendens, tandem in Ditione Leodienſi ad Pagum Monbardium, in ſe recipit amnem Albam aquas Spadanas, ac Zurenbornenſes præterfluentẽ, eo nomine per Europam nobilitatas, quod indies vtriuſque hominum ſexus experientia diſcat, earum potu ventriculi ſordes, cruditateſque, mirum in modum elui ac purgari, Iecoris obſtructiones aperiri, crudos humores pelli, tenaces, viſcoſoſq; incidi, ſeparari, ac per Aluum, veſicamq; depelli, & proinde calculoſis præſentiſſimum eſſe aquæ huius potum remedium. Monbardus Ourta Leodium petens, ac ſe Moſæ, eiurato antiquo nomine miſcens, prius in itinere augetur amme Vulſa, cum aliquot alijs Torrentibus ac Riuulis, proximis è montibus & Collibus defluentibus. Ourta à fonte Leodium vſque, 24. circiter obtinet Brabantica milliaria, duplo plus ſi obliquum, tortuoſumque aluei eius curſum ſequaris, vt ſæpe & de alijs admonui fluminibus, & nunc poſtremum iterum moneo.

Ourta, ſeu Vrta.

moneo. Hæc de præcipuis aliquot Belgarum fluminibus dicta sufficiant. Possent enim & complures alij, adferri, qui per omnes eius vagans Prouincias, exacte singula describere vellet. Sed cum pars maxima in iam commemorata flumina desinat, infinitum fere foret, eorum omnium exacte proponere velle, ortum ac finem.

De vocis Belgij Etymo: ac vnde eius Prouinciæ pro maxima parte in Clypeis vtantur Leonibus.

Capvt Vigesimvm Qvintvm.

VAriæ Doctorum Virorū acutæ circunfertur coniecturæ, conantium inuestigare rationes & Etyma antiquissimorum nominū, quæ Germanorum & Gallorum Populis, Vrbibus, Oppidis, ac singulis hominibus, olim indita fuere. Ea mecum examinans ridere nonnunquam lubet, admirari subinde, dubitare aliquando, dum quid credā statuere nequeo, subtili non raro etymi inuentione ratione, ac veritate victus, lubens in sententiā pedibus eo. Est in hisce rebus argutissimus & acutissimus nostri temporis scriptor, Ioannis Goropius Becanus, dignus qui à matura ætate cum iudicio & attentione legatur. Imitatus est eum Hadrianus Iunius Popularis meus sua in Batauia, sed duriore stylo, ac agrestiore vena, cui Operi vtinam Vir Doctus lineam adhiberet cum id authori morte præuento non licuerit. Cogor horū exemplo, postremo hoc capite, aliquid de vocis Belgij etymo in medium adferre, magis mei liberandi causa, quā quod certi aliquid me demonstraturū, polliceri velim. Nisi enim ita fecero, ingratus erga Belgas meos censebor. Cum enim duobus hisce libellis, toties priuata nomina interpræstari sim conatus, ac sępius publica, nil de Belgis in medium adferens (quorum causa omnis hic susceptus est labor) quo modo excusari potero? Tres olim præcipui fuere Galliæ Populi, Celtæ, Armorici, ac Belgæ. Nam quod Regio Gallia sit dicta, non Incolarum eius ea fuit nominis impositio, sed Gręcorum, & Romanorum. Quid: *Keltæ* (ita enim olim pronuntiabant) ac Armorici significent, non est huius instituti inquisitio. Quid vero singuli de vocabulo Belga sentiant, prolixe & fastidiose hic repetere, operæpretium non est visum, consulat authores cui est otium. Ego in ea sum opinione nomē Belga Nationi, ac Populo, à vicinis fuisse datū, sumptumque ab eorum moribus, ac natura ferocia, & pręcipue illi adhæsisse Belgarum parti, qui apud Cæsarem Belgij, non Belgarū nomine censentur, distincti sine dubio à successoribus eius ab ijs Belgis, qui postea Germani Superiores & Inferiores fuere appellati, de quibus supra lib. 1. cap. 1. & 4. satis diximus. Quum enim Cæsar Belgas nominat, vniuersam comprehendit sine vlla distinctione Prouinciam à Rauracis ad Oceanum vsque vergentem. Quum Belgiū vocat

Inferiorem eius partem ad Oceanum pertinentem tantum intelligit, quos aliquando in Britanniam traiecisse & maritimam eius oram occupasse, inhabitasseque asserit, bel.gall.lib.5.his verbis: Britanniæ pars maritima ab ijs incolitur qui prædæ, ac belli inferendi causa, ex Belgio transierunt, qui omnes ijs fere nominibus Ciuitatum appellantur, quibus orti ex Ciuitatibus eô peruenerint, & bello illato ibi remanserint, atque Agros colere cœperint. Inter hos autem fuisse præcipuos, ex Cæsare & Tacito constat, Menapios, Neruios, Morinos, Caletes, Aduaticos, Ambiuaritos, Bethasios, Atrebates, Bellouacos, Ambianos, Veromanduos, Essuos, Vellocasses, Batauos, Canenifates, horumque Socios, & Clientes, quorum Ditiones proprie à Cæsare Belgium esse appellatum, facile ex eius scriptis colligi potest, ac imprimis ex iam allegato loco, dicens eos ex Belgio transijsse, ac nominatos ijs Ciuitatum nominibus quibus erant oriundi. Quomodo posset apertius Belgium Regionem dicere, quam scribere, diuersas sub se habuisse Ciuitates, sed hac de re nos libro primo cap.4.prolixe loquuti sumus. Sed fuerit ne hęc vetustissima Belgarum inter ac Belgium distinctio, an à Cæsare primum instituta, ex nullo asseri potest fide digno scriptore. Mea est opinio à Cæsare distinctos fuisse hoc modo Belgas. Si enim antiqua hæc Gallorum fuisset diuisio, Cęsar in principio libro primo bel.gall. belgas adferens, non tacuisset. Accedit quod eius successores Cæsares, non solum diuiserint Belgas, in Belgicam primam, & secundam, sed etiam in Superiorem & Inferiorem. Similes rerum conuersiones, Prouinciarumque diuisiones, vniuersa Gallia à Romanis est perpessa. Apud quos igitur Belgij vocis etymon melius inuestigabimus, quam apud eos quos imprimis hoc nomine Cæsar, eiusque successores appellari voluêre, & quos nunquam vt publice latine loquerentur adducere nec cogêre potuere, ac proinde diutius & incorruptius Belgij nomen & vocabulum conseruauêre. Sunt autē hij è prædictis Populis, imprimis hodie Brabanti & Flandri, apud quos vocabulum: *Belgen*: etiamnum hodie adeo est tritum ac vulgare, vt id pueris, ac mulierculis fere singulis momentis in ore esse audiamus, presertim cum quid necessariò dicturi, aut facturi sunt, quod verecundos, honestosque oculos ac aures offendere, præsentisque alicuius honoratæ personæ dignitatem iuste, & merito lædere posset, tum veniam sermonis aut facti deprecaturi dicere solent: *en vvillet u niet belgen*: *En belget u niet*: hoc est, ne quæso ægre feras: ne more belgarum excandescas: ne ad ferrum, armaque ruas, sed dicti aut facti mihi veniam dato. Et alio sensu: *Hy belget hem*: ægre fert, arma, ferrumque respicit: *Hy salt hem belgen*: ægre feret, excandescet, arma rapiet: *Zy belget hem*: ægre ferunt, excandescunt: *Zy sullent hem belgen*: ægre ferent, stomachabuntur: *Ic belget my*: ægre fero, irascor: *Ic moets my belgen*: ad iram cogor, irritor, ac millenis alijs locutionibus, quibus vox *Belgen* semper, verbi nunquam, Nominis naturam habet, tam est Brabantis, ac Flandris, comunis, frequensque, vt fere nulla magis. Significat autem eis proprie, Verbum *Belgen*, animo ad iracundiam, vindictam, excandescentiá,

pugnam

pugnam ac pœnam commoueri, indeque sine dubio nata est alia hæc Vox verbalis: *Belgen*, aut illa ex hoc, significans tam Superioribus quam Inferioribus germanis etiam hodie, pugnare, ac dimicare. Et quoniam veteris Belgij Nationes, è Teutonibus, Cimbris, Germanis, Celtis, alijsque Cis, & Trans-Rhenanis Populis conflati, ortique sint, eaque de causa ferociores, ac ab humanitate, cultuque cæterorum gallorum alieniores erant, neq; ita libere apud eos mercatores, quam inter hos commearent, comuni consensu indita Nationi appellatione, eos nostra coniectura *Belgen*, aut *Balgen* vocitarunt, hoc est, homines feroces, sæui, atroces, iracundi, violenti, pugnaces, ac stomachosi, facile rem ægre ferentes, in peiorem partem interpratàtes, ac proinde ad contentiones, ripas, dissentiones, vindictas, ac pugnas promptos, paratosque. Sic & veri Galli olim: *kelten*: (vt & greci scribunt κελται: Romani: k: carentes: Celtæ, sed olim proferentes keltæ Kæsar, κικερος) videntur, mea opinione appellati, à verbo: *kelen*: quod etiam hodie vtrisque Germanis Iugulare, ac mactare sonat. Quum enim per Germaniam, Italiam, Græciam, ac Asiam minorem arma circumtulissent, Regna occupassent, Coloniasque condidissent, Iugulatorum nomē tam apud suos quam exteros acceperunt. Gallorum enim nomen multo est recentius dictosque volunt hos Populos à Græcis propter candorem. Gala, γαλα enim græcis, latinis est lac. Quod si nostrum, de Belgio etymon, quibusdam minus placuerit, hij à Cimmerijs, Euandri matre, imo ex ipsa Patriarchę Noë Archinaue aliquid sumant, per me licet, ea tamen conditione, ne me reluctantem, inuitumque, ad tam longinqua secum initia, è domisticis Germanicis, vi pertrahant, nec deserta germanica lingua, qua maiores nostri Belgæ, ac maxima olim pars Galliæ est loquuta, è nescio quo alio ignoto, obsoletoque sermone, etyma petere cogant, sed vtrique nostrum liberum, hac in parte maneat iudicium, eligendique, etymi facultas, ab omni criminatione, conuitio, ac mordacitate aliena. Quare enim minus inter Belgas *Belgen* aut *Balgen* vocabulum remansisse negabunt, quam apud Atrebates *Atrecht*: Rhemos *Rheims*: Swessones *Swessen*: Bellouacos *Beauvois*: Ambianos *Amiens*: Veromanduos *Vermandois*: Treuiros *Trier*: Tungros *Tungren*: Neruios *Naerden*: Morinos *Mouren*: Menapios *Menene*: Ambiuaritos *Antwerpen*: Leuacos *Loeuen*: Centrones *Centron*: Batauos *Betouwe*: Gallia *Gaule*: Caletes *Cales*: *Maeten* mattiacos: Frisios *Friesen*: Grinnes *Gruningen*: Sunicos *Sons*: Gugernos *Gulich*: Leucos *Lucenburg*: German *Germani*: Alman *Alemanni*; ac penes multos alios multa similia, non plane extincta nec obscura vetustatis suæ prima vestigia prę se ferētia, lectoriq; non omnino obstructæ Naris, maiorū nomenclatura olfaciendā prębentia. Idem apparet è varijs veterum scriptorum locis, à diuersis viris doctis collectis, inter quos apud Suetonium in Vita Vitellij cap. vlt. obseruaui hæc „ verba: Cui Tolosę nato, cognomē in pueritia Becco, fuerat, id valet gallinacei „ rostrū. Et Plinius lib. 9. cap. 4. ait: maximum animal in Indico mari Pristis, & „ Balena est, in Gallico Oceano Phijseter, ingentis Colūnę modo se attollens, „

altiorque nauium velis diluuiem quandam eructás. Et hodie germani: *Bec*, omnium auiū Rostris tribuunt Physeter quoque plane germanica est vox, è duobuscomposita monosyllabis: Phis etiam hodie nobis Piscem significat: Eter, commestorem, & Voratorem nobis sonat. Est igitur: Phiseter nil aliud, quam Deuorator Piscium, compositio ignota Plinio. De Belgarum etymo pro instituta breuitate, iam satis sit dictum. Aliquid in medium adferamus de signis, quibus domi ac militiæ, publice ac priuatim, singulæ Prouinciæ in Scutis, ac Clypeis vti gaudent. Certe vetustissimū esse morem, inter omnes vniuersi Orbis Terræ Populos, vt in expeditionē profecturi, certis inter se signis ac notis, maiores, minoresque Nationes, dignoscerentur, notius est, quam vt probatione egeat. Id enim nisi fieret, qua ratione è diuersis semper collecti magni exercitus Populis, in re subitanea, hosteque præter expectationem ingruente, sine confusione, ac perturbatione, ordines agnoscere, seque in aciem conglobare, ac suo quisque loco, ordineque Ducum Imperia expectare, accipereque possent? Romanæ militiæ signum aquilam fuisse, nulli non est notū. Vnde illud Ciceronis post cladem Pompei magni Pharsalicam, cum in Concilio nuntiaretur, supra centum Aquilas esse conseruatas: bene quidem inquit, si cum Vulturibus nobis res esset. Aquilam in acie ac prælio deserruisse, hostiq; prodidisse, aut reliquisse, capitale, summumq; erat probrum. His signis Aquiliferi immori rebus duris, & aduersis malebant, quam audire à se desertas fuisse. Certe non pauci huius ignominiæ exprobrationem non ferentes, mortem propria manu quæsiere. Præter Aquilam singulæ Legiones, Tribuni, ac Centuriones priuata habebant signa aquilam supra omnia alia eminentem cingentia, quibus à se inuicem discernebantur. Eadem omnium Imperiorū, ac Regnorum consuetudo fuit, quorum signorum notæ, partim apud Græcos, Latinosque scriptores extant, partim ab ijs neglecta, memoriæ digna non sunt visa, partim in vetustis inueniuntur Nummismatibus. Scribit sæpe Liuius signa militaria relata (scilicit ex hoste) multa, aut pauca. Idem & alij habent historiographi, sed quid ea prę se tulerint, non memorant. Mos quoque fuit in Clypeis & Scutis, signum alquod depictum ostendere, vnde omnium bellico vigore feruentem, ferocem, imperterritum, & ad quæuis adeunda pericula promptissimum, omnibus notum cupiebant. Scutorum vix vllus amplius apud Christianos remansit vsus, pediteśque nostri certis signis, è leuissimo, lectissimoque, diuersorum colorum panno serico confectis distincti, ea pertinacissime obseruant, sequuntur, ac defendunt. Equites vero quanquam certa etiam ad lanceas ferant serica signa, vnumque inter omnes sacrosanctū, tamen imprimis hodie dignosci volunt, è Sago militari laneo, aut serico, armis superinduto, varijsque coloribus ac ornamentis distincto. Duces vero tam Equitum quam Peditum, è cristata varijs plumarum coloribus casside, Aureo torquem, ex colli pendente, ac imprimis insigni perampli vnius certi coloris serici panni, ab altero humero per dorsum, ventremque fluentis, ac in

aduersum

aduersum fœmur, duplici nodo constricti, aureisque filis finiti, volunt internosci. Tormentorum enim ac mediocrium, minorumque sclopettorum multitudo, omnibus hodie vsitatissima facit, vt Clypeorum ac Scutorum vsus fere desierit, quemadmodum in vniuersum, Arcium, sagittarnmque diuersa genera. Certe Gallos olim, Britannos, ac Germanos, scuta varijs coloribus eleganter & scite infecisse, testes sunt Cęsar, Tacitus, alijque multi. Id autem nil aliud fuisse certum est, quā certa, Regum, Ducum, Patronorumq; suorum domestica ac militaria signa, quæ honoris causa ferebant, significantes eandem se cum eis fortunam experiri statuisse. Hodie hęc signa, ea de causa: Arma voeant: quod se ea armis tueri (vt à maioribus bello, armisque parta) ac defendere velle demonstrent, olim ignota, nulloque in vsu, hodie vero lippis & tonsoribus vsitata, imo nulla nunc visuntur, nec publica, nec priuata loca, ędes sacrę, nec profanę, quarum exteriores, ac interiores parietes, latera, tectorum laquearia, ac cacumina, hic signis ac armis non reperiantur ornata, illita, ac tanto numero scatentia, vt Vitreæ fenestrę vitium iudicarentur habiturę, si non hęc magno cum fastu prę se ferrent. Nec contenti profana omnia loca, Vias publicas, Principum Ædes ac Valuas, interiora, secretioraq; omnia Cubicula, cum Cloacis fere, ac Latrinis harum ostentatione, spectantium nausea onerasse, Sacras quoque Ædes, vt dixi, Fanaque omnia publica priuata, externa, ac dometica inuolauêre, signis his, armisque adeo impleuêre, vt vix Diuorum Statuis ac Imaginibus locus sit relictus, quibus eorum fortia ac Heroica, pro Relligione facta, ad exemplum populo proponerentur. His fere solis hodie nobilitatem Germani, Gallique metiuntur, his tument, superbiuntque, alijsque præferri volunt. Ad id vulgus hominum, infimaque etiam plębs aspirat, iniquo ferens animo si domestico depicto Clypeo carere dicantur. Proinde quo se eis pares faciant, indies similia excogitare non desinunt, eademque publicis priuatisque exponunt locis, ac se quales, quantique sint, ex his estimari volunt, maxime si fortuna, animo ac industriæ fauens opes auxerit. Tum Aureę, Argenteæ, sericæ, ac purpureæ accedunt vestes, torques, monilia, brachialia, armillæ, inaures, adamantes, carbunculi, smaragdi, vniones, porphyrites, ac siquid prætiosius rerum natura produxit, nemini cedunt, sed inter præclarissimos annumerari volunt. Atqui non raro fit, vt propter summas opes eorum filię à nobilissimis ducantur adolescentibus, quorum familiæ liberorum multitudine, aut alijs de causis ruinam minabantur. Neque sufficit, vt Terra, Aërque hæc signa Scutis adpicta deferant, indomitus omni humana arte oceanus, fluctibus quoque, vndisque suis ea recipere est coäctus. Naues enim, harumque Armamenta, intus, ac foris, varia diuersorum signa, armaque ferre didicere, nomináque non raro ab his signis recepere. Neque vero id alicui mirum habeatur, cum nouum, recensque non sit. Nam si Virgilio Latinorum Poëtarum Principi credere debemus, non solum Romani & Gręci, sed etiam olim Troiani idem pro more habuere, ipseque Pater Æneas sua id classe

 obser-

obseruauit, more sine dubio à maioribus accepto, ac posteris per manus tradito. Hunc enim in modum Æneidos libro decimo canit:

Æneia Puppis.

Prima tenet, rostro Phrygios, subiuncta Leones.

Quibus verbis significat Proram nauis Ænæ depictis leonibus fuisse ornatam. Et cum dicit Phrygios Leones, indicat Phryges (quorum olim Troia, seu Ilium fuit caput) Leonem pro militari signo circuntulisse. Quid vero olim Belgarum, eorumque diuersi Populi pro signis tulerint militaribus, Authores non tradunt, fabulari quosdam recentiorum hic scio. Sed quod commenta sua ex antiquis scriptoribus probare non possunt merito reijciuntur Francorum, ac postea Caroli Magni temporibus, omnia fere fuisse mutata certum est. VViltos exinde, Nortmannosque partim noua adduxisse signa, partim Belgarum antiqua seruasse dubium non est, quæ ad ea perdurauere tempora, quo Duce Godefredo Bullionio, Belgarum Reguli, cum cæteris Europæ Principibus, in Syriam, Palestinamque, ad Sacrum proficisceretur bellum. Vnde victores reuersi signorum notas in Armis, Scutis, Clypeis, Vexillis, ac Sagis militaribus, pro maxima parte mutauere. Quidam enim cæsi à se mahumetici Principis signum, in fortitudinis ęternum testimonium sumentes, posteris reliquere. Alij deuictæ alicuius præclarę Vrbis signũ assumpsere, aut alijs de causis auita maiorum suorum gentilitia signa, domum reuertentes mutauere, quod etiamnum hodie videre licet, in Hollandiæ, Flandrię, Brabantiæ vetustis Clypeis. Alij distinctionis causa noua signa excogitauere, quemadmodum Duces Brabantiæ, à Lotharingis separati, quod & multi alij sunt imitati. Quod autem tam multi Principes, mutatis coloribus Leones affectarint, factum censeo imitatione Asiaticorum Principum, ac præcipue eorum qui minorem Asiam incolebant, cuius maiorẽ partem, cum olim Troianos possedisse intellexisset, eosq; in Scutis Leonem circuntulisse audijssent, quum se omnes à Traionis oriundos vulgo credi vellent & adhuc hodie multi velint, imo nõ pauci idipsum iamdudum sibiipsis persuasissent, Troianum omnes Leonem assumebant, ac promiscue volebant. Nec defuere qui cum locum Natalẽ Sampsonis, fortissimi olim Hebręorum Ducis adijssent, ab eo Leonum Victore, se mutuatos esse Leonẽ profiterentur. Quicquid sit abundarunt certe ex eo tempore, Belgarum Principes, & Prouinciæ, imo priuati nobiles Leonum, diuersi coloris insignijs, hodieque vtuntur, nec vspiam in Clypeis, tot Leones, ac Aquilæ, quam nostro tẽpore in Germania, ac Belgio, reperiuntur. Pręcipue autem Belgarũ Prouinciæ Leonibus vtentes, hæ nostro sunt sęculo: Brabãtia in Atri coloris clypeo Leonem Aureum prioribus vngulis insurgentem ostendit. Hollandia eundem in Aureo clypeo purpurei coloris habet: Zelandia idem, nisi quod loco inferioris corporis partis vndas represẽtet aurei ac Cærulei coloris maximas. Limburgum idem quod Hollandia fert: Lutzenburgum etiã, nisi quod purpurei Leonis

nis corpus, quinque transuersis cæruleis Tignis, veterum Lutzenburgensium armis distinguatur. Geldria in Cæruleo Clypeo, Aureum habet insurgentem Leonem. Zutfanię Clypeus duorum est colorum. Pars Superior Aurea purpurem habet Leopardum: Inferior cęrulea Crucem Auream. Flandrica, ac Hainegaudia atrum Leonem, aureo ferunt Clypeo. Idem habent Namurcenses, nisi quod Leonis caput, corona est aurea redimitum. Frisię Clypeus atri coloris, duos Leopardos Aureos, hunc in superiori: Illum in Inferiori Clypei parte præ se fert.

Conditiones quibus Cæsar Carolus Quintus, cum Imperij Germanici Ordinibus ac Septemuiris, de Belgarum Ditionibus sibi de Iure parentibus transegit, initæ Augustæ VVindelicorum, Vigesimo sexto Iunij, Anno Christi 1548. ac è Diplomate, germanica Superiori lingua Conscripto, in Sequens Latinum Epitomen, redactæ.

CAROLVS DEI GRATIA, &c. Pollicetur Cæsar Carolus Quintus, pro se, omnibusque successoribus suis Belgarum Principibus, se tantum Imperio contributuros, pro Belgarum Prouincijs, Imperium iam olim agnoscere consuetis, quibus annumeratur Geldria, Zutfania, Vltraiectum, Trans-Isalania, ac Groningana, Linganaque Ditio, quantum soluunt duo Imperij Septemuiri, seu Principes Electores ad Rhenum habitantes, idque non ex debito, neque de iure, aut alicuius natæ actionis causa (quum dictæ Regiones Imperio, ab anni antiquitate commemoratæ, nil tamen conferre sint solitæ, neque assuetæ, nudo tantum nomine Imperiales dictę) sed libera voluntate, ac amore beneuolentiaque, iuuandi cum necesse erit Imperij, idque tam in numerata pecunia, quam equitum, peditumq; auxilijs, quorum tamen missionem, necessario belli, aut alio tempore, redimere collata pecunia poterit, tantum, singulis mensibus mittens, quantum dictorum peditum, ac equitum stipendia postulabunt ac exigent. E contra Imperium tempore necessitatis, aut alio, in auxilium ab ijs requisitum, vocatumque, dictos Belgas, eorumque Principes, omni ope, ac facultate defendet, ac tutabitur. Vocati Belgæ ad Imperij Comitia, liberum eis erit, & manebit, venire, aut domi manere. Ad Imperij Tribunal, Cameramque Imperialem, inuiti euocari non poterunt, nec vt se Iudicio eius sistant, cogi. Eodem prouocantem sequi necesse, nisi velint, non erit. Ad Contributiones in capita imperatas, vniuersales pecuniarũ, Collationes, Tributoque, etiam quacunq; ingruente necessitate, cogi non poterunt. Si vni-

vniuerſalis contra Turcam à Cæſare decernatur expeditio, Belgarum Princeps tantum offeret ac conferet in numerata pecunia, milite, aut vtroque, quantum tres Imperij etiam qualeſcunque Principes, Septemuiri, ſeu Electores. Belgarum Principis omnes ſubditi, ſub vno, non varijs cenſebuntur Dominijs, quem; *Diſtrictum*: vocant, lingua ſuperiori Germanica: *Kreys*: Belgarum Ditiones, quæ ab omni antiquitate, Imperij Clientes ſeu Feuda, aut ſimpliciter Ditiones Liberæ ſunt habitæ, in eodem ſtatu dictis conditionibus manebunt. Prædicta omnia & ſingula, ſi à Belgarum Principibus non obſeruentur, in hoc vno tantum caſu Cameræ Imperij Iudicio, ſtabunt, ſuberunt, ac parebunt, & ab ea ad ſatisfaciendum, dictis conditionibus, Iudiciali Via, lege, ac forma, cogi poterunt. Actum Auguſtæ VVindelicorum, Anno, Die, ac Menſe, vt ſupra. Subſignatum erat:

Carolus.

Finis Dei Auxilio.

DECLARATIO
Valoris, Monetæ Æreæ, Argenteæ, & Aureæ,
quæ olim apud Hebræos, Græcos, & Latinos, præcipue in vſu fuit, eiuſdemque quantum fieri potuit cum noſtri Sæculi Anni à nato Chriſto Milleſimi ſexcenteſimi Moneta, Analogica Comparatio.

ITEM,

Tractatus de Menſuris Longitudinum, quibus olim Græci, Romani, Hebræi, ac Peregrini, in faciendis Itineribus præcipue ſunt vſi, Hiſtoriarum Lectoribus ſcitu perquam neceſſarium.

CAPVT PRIMVM.

VARIO hæc à me tempore, Amice Lector, coäceruata, ac in proprium, vſum parata, nunc tibi offero. Adiunxi quæ ab alijs aliquot harum rerum ſtudioſis iam olim in rem ſuam erant collecta mihique humaniter communicata. Si non ſemper exacte ſupputationem feciſſe aut authorũ mentem aſſecutus eſſe inuentus fuero, pro tua humanitate (omiſſa acerbiore reprehenſione) caſtigare dignaberis. Non enim acerbo turbulentoque quo ſcripſi ſæculo otium mihi fuit, hæc iterum, atque iterum ad vnguem examinare, & elimare. Accedit quod rei obſcuritas, ac diuerſitas, ob monetæ tanti temporis decurſu variam mutationem, facile hominem etiam oculatiſſimum, naturæ imbecillitate, in errorem trahat, aut perducat, dum quod non videt, ſe videre ſibi perſuadet. Pauci enim aut verius nulli reperiuntur huius materiæ ſcriptores Viri etiam doctiſſimi, qui per omnia inter ſe conueniant, preſertim in initijs, ac in minimi Ponderis, Monetæque declaratione, cumque noſtra comparatione. Quare ſi aliquoties eadem res repetatur noli offendi. Si enim vlla in re, certe in hoc campo inſigniter memoria, ac iudicium ſunt exercenda, reique neceſſarię repetitione aliquoties iuuanda. Ex Budęo, ac Georgio Agricola, duobus huius ſtudij luminibus, quæ hic tibi offero, præcipue deſumpſi, qui enim poſt hos ſcripſere, eos magiſtros agnoſcant neceſſe eſt. Vtere his lector donec meliora habebis, ſi non inanẽ cupis impendere Legendis Græcorum, Latinorumq; hiſtorijs operã. *Cifris* (vt vocant barbaros numeros) adiunxi Latinam enunciationẽ, vt latini numeros ſuos efferre ſunt ſoliti. Numeris quoque Latinis addidi Ciferarũ notas. Sic hodie appellãt

numerorũ commodissimas figuras, à Barbaris, ante pauca sæcula, nequaquam Barbaro ingenio excogitatas, vti neq; Musices nostræ hodiernæ notulæ, ab ijsdem, inuentæ, traditæq;. Et quanquã pro vectiori ætati in lingua latina vtrunq; versatæ, necessarium id non scirem, Adolescentibus tamen, ac ijs quibus ob diuersam vitę conditionẽ latina lingua minus in vsu manere potuit, non incommodum ingratũ, nec inutile futurum pro certo mihi persuasi. *Nunc ad rem.*

Λεπτον, Leptum græce: Latine dicitur Minutum, pondus est Atticum seu Atheniense, Ponderum omnium munitissimum, ac vix in vsu, tantumq; constituendorum reliquorum Ponderum, Monetarumque causa, pro fundamento inuentum. Lepta autem seu Minuta tria cum dimidio, Granum constituunt, de quo vt Ponderum omnium Basi, nunc est dicendum.

Granum Pondus Medicorum ac Aurificum græcis dicitur σιλάριον, Belgæ ac Germani vocant: *Een Aes*: Francogalli: vng, Grain. Hinc tanquam Basi ac fundamento reliqua inituntur pondera, vt à quo originem suam, vt Numeri ab vnitate habent. Id autem firmum, constansque Pondus esse debet, non autem estimari à grano Tritici, siliginis, auenæ, hordei (à quo tamen hordei grano, plærique Medicorum granũ suum estimant) Leguminis, aut alterius generis seminis, quod hæc nuspiam Terrarum in pondere conueniant, imo nec sibijpsis singulis annis, singulis in Regionibus, neque in agris respondeant. Sed granum nummulariorum accipimus minutum, quod Aurifices hodie Germani vocant: *Een aes*: Galli: vng grain: omnibus mundi nationibus ac Populis admirabili consensu idem, vnunq; Pondus, quodque Auri sacra fames inuiolate, ac incorrupte, magna cum admiratione vna ratione, ac pondere seruat, retinet ac sequitur. Ex hoc Grano, pondere minimo, exurgunt (vt dixi) crescuntque reliqua pondera, donec veniatur ad Græcorum, Mnam, seu Minam, & Latinarum Libram, quæ etiam dicitur, As, &, Pondo. De Lepto & Grano satis sit dictum, pergamus ad reliqua, Græcorum, Latinorum, tum Hebræorum, ac Exterorum Pondera, vnde Monetæ sunt conflatæ, incipientes à minimis, ac desinentes in maximis.

Chalcos Pondus est Atticum seu Atheniense: latine dicitur Aereolus, penditque { Lepta Septem. | Grana duo.

Siliqua pondus est Medicorum, constituens duplicatũ Æreolũ seu Chalcum, penditque { Lepta quatuordecim. | Grana quatuor.

Obolus

Obolus proprie Pondus est Atticum, pendens	Lepta quadraginta duo. Grana duodecim. Ærëolos sex. Semiobolos duos.	Hemiobolos, Latine Semiobolus, põdus proprie est Atticũ seu Atheniense, pendes Oboli dimidiã partem, id est, Lepta viginti vnũ: Grana sex: Ærëolos tres: Siliquã vnam cum dimidia.

Scrupulus proprie est pondus Romanũ, quod & dicitur Scrupulum: Scripulum Scriptulũ & Scribulum pendetque:	Lepta octoginta quatuor. Grana viginti quatuor.	288 144 24. 12. 8. 6. 4. 3 2/7. 1 5/7.	Faciunt	As: Librã: seu Pondo Romanũ Selibram: seu Semilibram. Vnciam. Semunciam. Duellam. Siliquum. Sextulam. Denarium. Victoriatum.
	Scrupuli autem			

Victoriatus etiam proprie est Pondus Romanum, pendens	Lepta: 144. Grana: 41 1/7	Faciunt autem Victoriati	168. 84. 14. 7. 4 2/3. 3 1/2. 2 1/3. 2.	Libram Romanam. Selibram. Vnciam. Semiunciam. Duellam. Siciliquum. Sextulam. Denarium.

Drachma proprie est Pondus Atticum, pendens	Grana 72.	Continet autem in se drachma	Scrupula. Obolos. Semiobolos Ærcolos. Lepta.	Tria. Sex. Duodecim. Triginta Sex. Ducenta, quinquaginta duo.

Denarius proprie Pondus est Romanũ, pendens	Victoriatos duos. Scrupulos 3 3/7	Faciunt autẽ Denarij	84. 42. 7. 3 1/2. 2 1/2 1 3/4 1 1/6.	Libram Romanam. Selibram. Vnciam. Semunciam. Duellam. Siciliquum. Sextulam.

Sextula Pondus est Romanum est, continens
- Denarium — $1\frac{1}{6}$
- Victoriatos — $2\frac{1}{3}$

Faciunt antem Sextulæ
- 72. Libram Romanam.
- 36. Selibram.
- 6. Vnciam.
- 3. Semiunciam.
- 2. Duellam.
- $1\frac{1}{2}$ Siciliquum.

Siciliquum, & Silicicus, Pondus etiã Romanum est cuius.
- 48 Librã Romanã
- 24. Se Libram.
- 4. Vnciam.
- $1\frac{1}{2}$. Duellam.
- 2. SemuNciam

Continetq; in Se Siciliquum
- Sextulam — $1\frac{1}{2}$
- Denarium — $1\frac{3}{4}$
- Victoriatos — $3\frac{1}{2}$
- Scrupula — sex
- Drachmas - duas

Duella Pondus etiam est Romanum, cuius
- 36. libramRomanã.
- 18. Selibram.
- 3. Vnciam.
- $1\frac{1}{2}$. SemVnciam.

Faciunt

Continet autem in se Duella.
- Siciliquum — $1\frac{1}{3}$
- Sextulas — Duas
- Denarios — $2\frac{1}{3}$.
- Victoriatos — $4\frac{1}{2}$.
- Scrupula — Octo.
- Drachmas duas cũ duobus scrupulis.

SemVncia Pondus etiam est Romanũ, pendens Drachmas quatuor, cuius
- 24 libramRomanã.
- 12. Selibram.
- 2. Vnciam.

Faciunt

Continet autem in se SemVncia
- Duellam — $1\frac{1}{2}$
- Siciliqua — duo.
- Sextulas — tres
- Denarios — $3\frac{1}{2}$.
- Victoriatos - Setẽ.
- Scrupulos - duodec.

Vncia proprie Pondus est Romanum. Est autẽ Romanis Vncia, duodecima pars Assis, Pedis, Libræ ac cuiuscunque rei diuidendæ, vt apparet, apud IureCos: Mathem: Medicos & alias Disciplinas. Signũ Vnciæ apud veteros Græcos fuit: Γo apud posteriores ∽ Sescunciæ hoc fuit: *SC*.

Faciunt autem Vnciæ
- 12. libram Romanam.
- Sex: Selibram.

Continet autem in se VnicaRom. has partes
- SemVncias — duas
- Duellas — tres
- Siciliqua - quatuor
- Sextulas — Sex.
- Denarios — Septẽ.
- Victoriatos — 14.
- Scrupula — 24.
- Drachmos - Octo.
- Obolos — 48.
- Semiobolos — 96.
- Siliquas — 144.
- Grana — 576.

Libra

Libra proprie etiam est Pondus Romanũ fuitque veteribus duplex: Vna antiqua, quæ & exacta nominatur, constans è 12. Vncijs, aut Drachmis: 96: Atque hæc proprie fuit Libera Romana, As, *seu,* Pondo. *Altera dicta est Libra Centenaria, ac propriefuit Græcorum,* Mna, *seu* Mina, *constans è 12. Vncijs, ac quatuor Drachmis, seuè Drachmiscentum, summo etiam Romanis vsui, propter mercaturæ, rerumque omnium cum Græcis communionem. Continet autem hæc in se Libra Romana,* As, *seu Pondo, hæc enim tria Romanis idem valent:*

Semisses, seu, Selibras	duas.
Trientes	Tres.
Quadrantes	Quatuor.
Sextantes	Sex.
Sexcuntias	Octo.
Vncias duodecim, seu Dextantem & Sextãtem: Dodrantẽ & Quadrantẽ: Bessem & Trientem: Septuncẽ & Quintuncẽ: Vnciam & Deuncem	id est, vt infra patet, Vncias Duodecim.
Semiuncias	Viginti quatuor.
Duellas	Triginta Sex.
Siciliqua	Quadraginta octo.
Sextulas	Septuaginta duas.
Denanos	Octoginta quatuor.
Victoriatos	Centum Sexaginta octo.
Scrupula	Ducenta octoginta octo.

Nostro sæculo, etiam Duplex in vsu est Libra. Vno quæ Regia dicitur, dictarum Vnciarum sexdecim, qua mercatores hodie vt plurimũ vtuntur, quanquam varijs locis etiam reperiatur Libra, Viginti, Octodecim, quindecim, quatuo decim, & duodecim Vnciarum: Altera vocatur Libra Nummularia, & Octonaria, octo tantum constans Vncijs, respondetque Bessi Romanæ exacte. Vtuntur hodie hac Monetarij, Aurifices, Vascularij & similes, vocantque hanc Libram: *Marcam.*

De MNIS seu MINIS.

Caput Secundum.

MNa, seu Mina *Atticũ seu Athenienfe est Pondus, de qua cum loquuntur authores, intelligunt perfectã seu Maiorẽ, à Solone Athenis introductã, pendetque Atticas Drachmas Centũ, & sic Libram Romanam vnam, cũ quatuor Drachmis. Continet in se hæc Mina.*

Drachmas	Centum
Obolos	Sexcẽtos
SemiObolos	Mille Ducentos
Ereola	Termille, Sexcenta.
Lepta seu Minuta	Viginti quinq; millia & Ducẽta

Mina Alexandrina, seu Ægyptia, pendit Libram Romanã vnam, vncias octo. Ergo Marcas Coloniæ Agrippinæ, paululum plus, quam Duas.

Mina Ptolomaica, seu Syriaca, pendit Vncias octodecim, Liberam Romanam vnam, Vncias sex.

Mina Hebræa, eis dicta, *Maneh*, *Mna*, vel Libra Habraica, omnium reliquarum nationum est maxima. Pendit enim Libras Rom. duas, drachmas sex. Huius Minæ centum conficiunt CiCar Sanctuarij Hebræorum. Quinquaginta eorundem, CiCar Congregationis. Continet hæc mina Siclos Sanctuarij 60. Ciclos Profanos. 120. Geras 1200. Marcas Coloniæ Agrippinæ, paululum plus quam Tres.

Vncia Romana in has diuiditur partes.

Signa Partiũ Vnciæ & eorũ nomina.

Signa	Nomina	Facit Vncias
S	:Sextans sexta par Assis.	Duas.
S'	:Quadrans, quarta pars.	Tres.
SS	:Triens, tertia pars.	Quatuor
SS'	:Quincunx.	Quinq;.
SS'	:Semis: aut Semissis.	Sex.
S	:Septunx.	Septem.
S'	:Bes, Bessis, aut Octunx	Octo.
SS	:DoDrans.	NoVem
SS'	:Dextans.	Decem.
SSS	:Deunx.	vndecim
SSS'	:AS, duodecima pars Vn-	
	:ciæ, ac rei cuiusque.	

Ex his: As, Semis, Triens, Quadians: Sextans Romana Pondera variato locutionis vsu, & proprietate, non tantum valent, quantum Voce exprimunt.

Ex his facile fieri poterit comparatio earum vocum, quibus vtuntur hodie Aurifices nostri, cum veterũ Græcotum, Latinorumque minimis ponderibus. Vncia enim vna nostratibus hodie continet viginti, *Eingelschen*: Vnum vero *Eingelschen* triginta duo Grana, seu, *Asekens*, complectitur.

Atque hæ minimæ sunt *Minæ*, ac Libræ sectiones præcipue, Nunc Primum ad Græcarum, deinde ad Latinorum, postremo ad Hebrçorum Monetam declarandam, quam fieri poterit breuissime nos accingamus. Sed primũ Lector es monendus nos in sequentibus scriptis accipere, decẽ Germanorũ Penningas: ac totidem Hispanorũ Maruadisos: Italorumque Quatrinos: Duodecim Atrebatensium Denarios: Quadraginta Octo Francogallorum Pictas: ac septuaginta duos Brabantorum Mitas, pro vnico Brabantico stufero, seu duobus Flandrorum Grossis. Coronatum vero Aureum Francicum (quem in historia nostra Burgundica ac Belgica, LiLium Aureum appellamus) & Ducatum Hispanicum, pro duobus Brabanticis Florenis, seu quadraginta eorum stuferis, aut, quod idem est, pro octoginta Grossis Flandricis accipere.

De

De Moneta Græcorum Aerea.

Capvt Tertivm.

AErea Græcorum Moneta, vt Chalci, & Dichalci, quod exigui admomum fuerint valoris & parui vſus, apud Authores eorum valor non exprimitur. Fuiſſe autem Chalcum ſiue Æreolum, trium cum dimidio Francicarum Pictarum, facilis eſt coniectura, ac proinde pendiſſe vnum Denarium Atrebaticũ, ſex mitas Brabanticas, ac vnius Penningæ, Maruadiſi, aut Quatrini duodecimam partẽ certum eſt. Dichalcum vero pendiſſe ſeptem Pictas, Duos Denarios Atrebaticos, duodecim mitas Brabanticas, ac vnius Maruadiſi, Quatrini, & Penningæ, ſextam partem. Tranſeamus ad Argenteam, Græcorum Monetam.

De Argentẽa Græcorum Moneta.

Capvt Qvartvm.

Hemiobolus Atticus pendet grana Sex, Chalcos tres: Siliquam vnam cum dimidia, hoc eſt:	Quatuor Denarios Atrebaticos: fere viginti duas Mitas brabanticas: Pictas Francicas, quatuordecim ſeu:	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	Tres cum dimidio.
Obolus ſexta pars Drachmæ, pendet grana. 12. Chalcos Sex: Siliquas tres: hoc eſt:	octo Denarios Atrebaticos: Aut fere. 43. mitas Brabanticas: Seu.	Penningas. Marauediſos. Quatrinos. Pictas Francicas viginti octo.	Sex cum Dimidio.
Seſquiobolus, eſt quarta pars drachmæ, faciens	Vndecim Denarios Atrebaticos: ac ſeptuaginta Mitas brabanticas.	Penningas. Marauediſos. Quatrinos. Pictas Francicas quadraginta duas.	ferme duodecim: hoc eſt, fere vnus ſtuferus Brabanticus.
Diobolus pendit duos Obolos: grana 24. Chalcos 12. Siliquas ſex: hoc eſt	Sexdecim Denarios Atrebaticos fere vnum ſtuferum Brabanticũ, cũ dimidio.	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	Tredecim cum dimidio.
Triobolus, ſeu Semidrachma pendit grana 36. aut, Seſquiſcrupulum, hoc eſt	Nouemdecim Denarios Atrebaticos, aut circiter viginti: Stuferus brab. cum dimidio ac tredecim Mitis.	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	Nouemdecim.

TeTro-

TeTrobolus pendit obolos 4. grana 48. Chalcos 24. Siliquas duodecim. Cudebantur è Mina Attica.150.valetque.	Triginta tres Denarios Atrebaticos: Paulo plus duobus stuferis brabanticum dimidio.	Penningas: Marauedicos Quatrinos	Viginti & Sex.

Drachma moneta Attica Argentea, centesima pars Minę, seu Libræ est. Pendit Grana 72. Scrupulos tres. Obolos sex, cudebanturque è Mina Attica centum. Mixtura eius erat, quemadmodum & omnium Argentearum Atticarum Monetarum, plnmbi portio: 50 ma: Drachma autem Attica, & Denarius Romanus, Plutarcho, Galeno, & Plinio idem sunt: at Celso, & Scribonio septem Denarij Romani, faciunt octo Drachmas Atticas, valentq; nostra Moneta stuferos Brabanticos fere tres cum dimidio: Solidos, Francicos tres cum octo eorum denarijs: Penningas, Marauedisos, Quatrinos, triginta quinque.

Hemidrachma latinis Triobolus, pendit obolos tres, valetque nobis	stuferum Brabanticum vnum, ac circiter 54. mitas. Fere duos Solidos Francicos	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	Octodecim.
DiDrachmum & Bos Atticus idem sunt pendentq; drachmas duas valent nobis.	Fere septem stuferos Brabanticos Octo Solidos Fráciços	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Septuaginta.
Tridrachmum pendit Drachmas tres, valetque nostra moneta	Fere decem stuferos brabanticos cum dimidio. Fere duodecim Solidos Frácicos	Pennıngas. Marauedisos Quatrinos.	Fere Centũ& quinque
Tetradrachmũ, TeTrachmum, Dupondiũ stater Argenteus Atticus cõmunis, & Siclus Argenteus Hebræorũ idem sunt, valentque SemVnciã, seu quatuor drachmas, cudebantnrq; è Mina attica viginti quinque. Valet nostra moneta:	fere quatuordecim fusteros Brabanticos. Sexdecim Solidos Frácicos.	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	fere centum & quadraginta.
Mina Attica Argentea vt supra diximns continet centnm Drachmas: duodecim Vncias cum dimidia idemque valet qnod stater Atticus Aureus Vncialis: valentque.	Octo Ducatos, aut Coronatos aureos cũ dimidio: florenos brabáticos septemdecim cum nouem stuferis.	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	3490.

Aurea

Aurëa Græcorum Moneta.

Caput Quintum.

Aureus, Græcis ſtater cõmunis ponderis fuit duarũ drachmarũ, temperaturę duplicis: Antiquior & optima, 50. partẽ argẽti admixtã habebat, valet nobis	Ducatos ſeu Coronatos duos cum dimidio, minus tribus ſtuferis: Florenos brabãticos tres, ſtuferos ſexdecim, mitas 50.	Penningas. Marauediſos Quatrinos.	765
At aurei ſtateri poſterioribus temporibus è viliori temperatura cuſi, valent nobis tantum	Ducatũ ſeu Coro. vnũ cũ dimidio, & tres ſtuferos: flor. brab. tres cũ tribus ſtuferis	Penningas: Marauediſos. Quatrinos.	630
Hemiſtater, aut Drachma aurea, pendebat pondus vnius Drachmę, valetque ex antiqua temperatura nobis	Florenum vnum Brabanticum, octodecim ſtuferos 24. mutas. Solidos Frãcicos fere 46	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	383.
At è Viliori tẽperatura, poſterioribus temporibus publicat. valebant tantũ noſtra moneta.	Florenũ vnũ brabãticũ & duodecim ſtuferos. Solidos Frãcicos ferè 4c	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	320.
Mina Aurëa Attica, cõtinens dictos ſtateres Aureos 50. valet è prima publicatione:	Ducatos aut Coronatos 65. cũ dimidio, ac quatuor ſtuferos: Florenos brab. 191. cum quatuor ſtuferis.	Penningas. Marauediſos. Qatrinos.	38341.
At è Viliori, ac è poſteriore publicatione cuſę aureę Minę, tantum, valent	Ducat. ſeu Coro. 79. cum dimidio ac fere quinque ſtuferos: florenos brab. 159. ſtuferos quinque Mitas 21.	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	1953.

Stater Atticus Aureus, qui fuit pondere Vnciali, eiuſdem Valoris fuit cum mina Argentea. Ex quo colligitur, proportionem Auri ad Argentum fuiſſe, vt duodecim Vnciæ Argenti cum dimidia, valerent vnam Vnciam, puri, puti Auri.

De Talentis Argenteïs eorum diuersitate, ac Valore.

CAPVT SEXTVM.

TAlentum *Trbacium*, seu Bizantium, omnium reliquorum, maximum, pendit minas Atticas Argenteas (vt reliqua Talenta sequētia sunt intelligēda) 118. Drachmas atticas argenteas. 11060 Libras Romanas. 120. Ergo Marcas Coloniæ agrippinæ, paululum plusquā 167. hoc est.

- Ducatus aut Coro: aureos. 1200. florenos Brabanticos circiter. 2400. argenti Libras centum octodecim.
- Penningas. / Marauedisos. / Quatrinos. — 24000. hoc, Ducēta quadraginta millia.

Talentū AEquinëum continet centū minas Atticas, seu decē millia drachmarū atticarum: Sex millia drachmarū Æginetarū: Libras Rom. 104. vncias duas. Ergo Marcas Col. Agripp. paululū plus quam. 145. hoc est.

- Ducatos, aut Coro. 871. stuferos vndecim, mitas. 15. florins Brab. ciciter 1742. argentj libras Centum.
- Peningas. / Marauedisos. / Quatrinos. — 188512. hoc est: centū octoginta octo millia quingēti, ac duodecim

Taelentum Atticum maius, pendit minas Atticas. 80. drachmarum. 8000. Libras Rom. 83. Vncias quartuor. Ergo Marcas Col. Agripp. paululum plusquam. 116. hoc est.

- Duc. aut Cor. fere. 800. florenos brab. circiter. 160. argenti libras, 80.
- Penningas. / Marauedisos / Quatrinos. — 16000. hoc est, Centū sexaginta millia.

Talentium Atticū minus (de quo omnes veteres Authores sunt intelligendi, simpliciter Talenti mentionem facientes) pendit minas atticas. 60. drachmarum aut Denariorum. 6000. Obolos. 36000. Semiobolos. 72000. Æreola 216000. Lepta seu minuta. 1512000. Libras Rom. 62. vncias sex. Ergo Marcas Col. Agripp. paululum plusquam. 87. hoc est.

- Ducatus aut Coro. fere sexcentos Florenos Braban. mille ducentos. Argenti libras circiter sexaginta.
- Penningas. / Marauedisos. / Quatrinos. — 12000. hoc est, Centum viginti millia.

Talentum Aegyptiū pendit minas atticas 87. drachmas. 70800. libras Romanas 80. Ergo Marcas Coloniæ Agripp. paululum plus quam. 111. hoc est.

- Duc. aut Cor. fere. 775. flor. Brab. circiter 1500. Argenti libras. 78.
- Penningas. / Marauedisos. / Quantrinos. — 17000. hoc est, Centum septuaginta millia.

Talentum

Talentum Babilonicum , pendit minas atticas 70. Drachmas 7000. libras Rom.72.vncias vndecim.Ergo Marca Col. Agrip. paululum plus quam centum, & vnam, hoc eſt.	Duc.aut Cor.700.flor. Brab. circiter 1400 argenti libras ſeptuaginta.	
	Penningas. Marauediſos Quatrinos.	140000.hoc eſt, centũ quadraginta millia
Talentum Rhodium pendit minas atticas 48. Drachmas, 4800. libras Rom. 46.& vncias decẽ, drachmas quatuor. Ergo Marcas Colo. Agrip. paululum plus quam, 65. hoc eſt.	Ducat.aut Cor. 480. florenos Brab. circiter,960.argenti libras, 48.	
	Penningas. Marauediſos, Quatrinos.	112000,hoc eſt,Centũ duodecim milllia.
Talentum Euboicum,pendit minas Atticas,40.Drachmas,4000. Libras Rom. 41. & oncias octo. Ergo Marcas Col. Agrip. paululũ plus quam, 58. hoc eſt. Alij hoc talentumfaciunt,56.minarum cum Beſſe.	Ducatos aut Corona.4800. florinos brabanticos circiter, 800. Argenti libras, 40.	
	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	8000, hoc eſt, octoginta millia.
Talentum Siculum vetus pendit minas Atticas, 24. Drachmas. 2200. Libras Romanas, 25. Ergo Marcas Coloniæ Agrippinas paululum plus quam. 34. hoc eſt.	Duc.aut Cor. 140,flor.brab.circiter, 480.argenti libras,24.	
	Penningas, Marauediſos, Quatrinos,	56000.hoc eſt,quinquaginta ſex millia.
Talentum Siculum nouum, pendit minas atticas.12.Drachmos.1100.libras Rom. 12. & vnicas ſex.Ergo Marcas Colonię Agripp. paululum plus quam ſeptemdecim, hoc eſt,	Duc.aut Cor. 120.flor. brab. circiter 240. argenti libras duodecim.	
	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	28000.viginti & octo millia.
Talentũ Syriũ pendit minas atticas,150. Drachmas, 15000. quę faciunt centum minas Syriacas.Libras Rom. 15. vncias 7.& drachmas. 4. Ergo Marcas Col. Agripp.paululũ plus quã.21. hoc eſt.	Duc.aut Cor. 1520. flor. Brab. circiter 3040.argenti libras.150.	
	Penningas. Marauediſos. Quatrinos.	3008000. hoc eſt,Trecenta & octo millia.
Talentum Hebræum, valet minas atticas.200. Drachmas.20000.libras Rom. ducentas drachmas ſex. Ergo Marcas Col. Agripp. paululum plus quam trecentas. Valuit enim mina Hebræa in in ſignato argento.41. florenos brabãticos.Ducatos aut Cori. 20. cum dimidio. Valet igitur hoc Talentum.	Duc.aut Cor.1900.flor.brab. circiter 3800.argenti Libras Ducentas.	
	Penningas. Merauediſos. Quatrinos.	380000. hoc eſt, trecenta , octoginta millia.

Sed ſcire oportet hanc Talentorum differentiam, veniſſe è diuerſitate Minarum & Drachmarum. Quoduis enim Talentum, ſexaginta tantum ſui generis & Regionis habuit Minas, & quælibet mina centum tantum ſui generis & Regionis Drachmas. Hinc Drachma Æginëa Græcis dicebatur Craſſa, quia multo Attica grauior erat, ea ſcilicet proportione, qua decem, ad ſex. Verum quum ſcriptores ſimpliciter Talentum nominant, intelligunt, vt dixi Atticum ſeu Athenienſe Minus ſexaginta Minarum, quod valet viginti quatuor Seſtertium, id eſt, viginti quatuor millia Seſtertiorum Nummum, Ducatos aut Coronatos ſexcentos: Florenos Brabanticos mille ducentos: Vnde ſecundum hanc ſupputationem.

Decem Taléta Attica minoris generis, valent	240. Seſtertiũ, id eſt, Ducenta quadraginta millia, Seſtertiorũ Nummũ, qui nobis faciũt	Sex millia Ducatorum aut Cor. Florenos brabanticos 12000. duodecim millia: argenti libras ſexcentas.
Quindecim Taléta Attica minoris generis valent	360. Seſtertium, id eſt, trecenta ſexaginta millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis valent:	Nouem millia Duc. aut Cor. 18000. octodecim millia florenorum brab. argenti libras Nongentas.
Viginti Talenta Attica minoris generis, valent	480. Seſtertium, id eſt, quadringenta, octoginta millia Seſtertiorum Nummũ, qui nobis valent:	Duodecim millia Ducatorũ, aut Cor. 24. millia flor. braban. argenti libras, mille ducentas.
Triginta Taléta Attica minoris generis, valent.	720. Seſtertium, id eſt, ſeptingéta viginti millia Seſtertiorum Nummum qui nobis valent:	Octodecim millia Duc. aut Cor. triginta ſex millia flor. brab. argenti libras mille, octingentas.
Quadraginta Talenta Attica, minoris generis valent:	960. Seſtertium, id eſt, Nongenta ſexaginta millia Seſtert: Nummum, qui nobis valent:	Viginti quatuor millia Duc. aut Cor. Quadraginta octo millia flor. brab. argenti libras. 2400.
Quinquaginta Talenta Attica minoris generis valent:	Duodecies Seſtertium, id eſt, duodecies centena millia Seſtert: Nummum qui nobis valent.	Triginta millia Duc. aut Cor. Sexaginta millia flor. brab. argenti libras Ter mille.
Centum Talenta Attica minoris generis valent:	Vicies quatuor Seſtertium, id eſt, Vicies quater centena millia Seſtertiorũ Nummũ, qui nobis valent:	Sexaginta millia Duc. aut Cor. Centum. viginti millia flor. brab. argenti libras ſex millia.

Ducenta

Ducenta Talenta Attica minoris generis valēt:	Quadragies octies Seſtertiū id eſt, quadragies octies centena millia Seſtertiorū Nūmum, qui nobis faciunt.	Centum viginti millia Duc. aut Cor. Ducēta quadraginta millia flor. brab. argenti libras, viginti millia.
Quadringenta Talenta Attica minoris generis valent	Nonagies ſexies Seſtertiū, id eſt Nonagies ſexies cētena millia Seſtertiorū Nummum, qui nobis faciunt;	Trecenta ſexaginta millia Duc. aut Cor. Septingenta viginti millia flor. brab. Argenti libras viginti quatuor millia
Mille Talenta Attica minoris generis valent:	Ducenties quadragies Seſtertium, id eſt, ducenties quadragies centena millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis faciunt:	Septingenta viginti millia Duc. aut Cor. Decies quater ac quadragies centena millia flor. brab. argenti libras ſexaginta millia.
Duo millia Talentorum Atticorum minoris generis, valent	Quadringenties, octuagies Seſtertium, id eſt, quadringenties octuagies centena millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis faciunt:	Decies quater, ac quadragies centena millia Duc. aut Cor. Vigeſies octies ac octuagies centena millia flor. braban. argenti libras, centum viginti millia.
Decem Millia Talentorum Atticorum minoris generis valent.	Bis Millies, quadringenties Seſtertium, id eſt, bis millies qnadringenties, centena millia, Seſtertiorum Nummum qui nobis faciunt.	Vndecies millies, quingenties, ac vigeſies centena millia Duc. aut Cor. Vigeſies ter millies, ac quadragies centena millia flor. braban. argenti libras ſexcenta millia. Tanti Alexander Magnus funerauit Epheſtionem.
Duodecies Millies Talentorum Atticorum minoris generis, valent.	Bis millies octingenties, ac octuagies Seſtertium, id eſt, Bis millies, octingenties, ac octuagies, centena millia Seſtertiorum Nummū, qui nobis faciunt.	Decies quater Millies ac quadringēties cētena millia Duc. aut Cor. Vigeſies octies millies, ac octingenties centena millia flor. bra. atgenti libras octingenta millia. Tantū Seneca Philoſophus, in Aula Cæſaris Neronis quadriennio parauit. Teſtis Cor. Tacitus hiſt. lib. 13.

Meminisse autem hic te lector oportet, nos loqui de Talentis Monetæ Argenteæ non Aureæ. Crescerent enim in ipso initio Aurea ad multa millia, ea nimirum proportione quæ fuit eo tempore Auro ad Argentum, ita vt Aureũ Talentum Atticum minus sexaginta nimirum Aurearum Minarum, ac octo millium aurearum Drachmarum etiã posterioris temperationis, efficeret Belgicæ monetæ florenos Brabãticos, nouies mille, quingentos, octoginta quinq; florenos, ac septemdecim stuferos. Primæ vero, ac optimæ temperaturæ, vndecim millia dictorum florenorũ quingentos, ac duos, è qua æstimatione reliqua Aurea Talentorum genera facile cognosci poterunt, siue per se, siue multiplicata. Præterea hæc duo in pręcedentibus obseruato. Primum quodlibet Sestertium, in genitiuo plurali sumptum, valere mille Sestertios Nummos (vt paulo post latius declarabimus) seu duas libras & Semissem Argenti, aut Vncias argenti triginta, quæ plus minus viginti quinque æquant Ducatos, aut Coronatos, seu quinquaginta florenos Brabanticos. Deinde libram argẽti (florentibus Græcorum ac Romanorum rebus, quo tempore dicta supputatio locũ habuit) valuisse circiter nouemdecim florenos Brabanticos, seu nouem Ducatos aut Coronatus cum dimidio. Posteriori vero tẽpore, libra argenti signati tantum valuit octo Ducatos aut Coronatos cum quarta vnius parte, hoc est, florenos Brabanticos sexdecim cum dimidio. Myrias gręcis sunt decem millia rei cuiuscunque. At hodie corrupta vox, Millio ac Million à Latinorum Mille, significat Decies centena millia rei, ac monetæ cuiuscunque. Satis iam de Gręcorum moneta, transeamus ad Romanam.

De Romana Moneta, ac Primum de Aerea.

Capvt Septimvm.

AS, seu, Assis Æreus, est decima pars Denarij Romani, seu Drachmæ Argenteæ græcæ. valetque Denarios Francogallicos quinque cum parte quinta vnius Denarij: Viginti & vnum mitas Brabanticas, cum vnius mitæ, parte quinta: At:	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	quatuor
Semis est dimidum Assis, valetque tres francicos Denarios, cum decima parte, vnius Denarij: Mitas vndecim, cum vnius tertiæ partis, quinta parte: At	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	Tres.
Triens, valet vnum Denarium Francicum, cum vnius dimidij parte vigesima: Septẽ mitas, cum vnius sextæ partis, decimaquinta parte: At:	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Duos.
Quadrãs, seu Triuncis, valet ferè vnũ Denariũ Francicum, cum vnius dimidij, partem decimaoctaua: Mitas quinque, cum vnius quartę partis, quinta parte: At:	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Fere Vnus.

Sex.

Sextãs, seu, Sextula, valet duas pictas Fräcogallicas: cũ vnius quartę partis, quinta parte: Mitas tres, cum vnius decimæ tertię partis, quinta parte: At: { Penningæ: Marauedisi Quatrini: } { *Vnius in tres partes sectæ aut secti, duas partes, hoc est, partem vnius tertiam.* }

Atqui hæc de Ærëa Romanorum moneta intelligi debent postremæ publicationis, non de primæ, nec mediæ, quæ melioris fuere metalli.

De Argentea Romanorum Moneta, ac Primum de Denario aut Nummo Denario.

Capvt Octavvm.

DEnarij Romani Argentei, quatuor generum, diuersis temporibus, cusi reperiuntur.

Primi pendebant Drachmã Atticam vnam cum dimidia, cudebanturq; è libra Ro. 64. Post hos cusi pendebãt quoque drachmam vnam, sed tantũ cum vnius septima parte, dabatque libra Ro. huiusmodi 84. Tertio tempore percussi pendebant etiã drachmam atticam vnam solam cudebanturque è libra Rom. 96. His Tribus Romani sunt vsi, vsque ad Cæsarem Vespasianum, habebantq; quadragesimam octauã, partẽ vilioris metalli admixtũ. At à Vespasiano & successoribus eius quarto tẽpore cusi Denarij, Atticã quoq; drachmã vnam pendebant, sed vigesimã quartã partem vilioris metalli admixtũ habebant, quæ singula ad nostra tempora æstimata, sic se habent.

Quinarius dictus quod quinq; contineat Asses (vt Denarius quod decem) alio nomine vocatur: Nũmus Victoriatus: Primo tempore è Libra Romana cudebantur Quinarij 128. Deinde 168. Postremo 192. quæ ad nostra expensa tẽpora, sic se habent:

Primi temporis Denarij valent.
{ 53. { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { stuferos brabãticos quinq; ac sexdecim mitas brabanticas. }

Secundi temporis valent.
{ 42. { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { stuferos bra. quatuor, minus nouẽ mitis. }

Tertij temporis valent.
{ 35. { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { stuferos bra. tres cũ dimidio. Fere quasolidos Francicos. }

Quarti temporis valent.
{ 32. { Penningas Marauedisos Quatrinos } { stuferos brab. tres, & fere triginta mitas. }

Primi temporis Quinarij valent:
{ 27 { Penningas Marauedsos Quatrinos. } { stuferor brab. duos, cum 44. mitis. }

Secundi temporis valent.
{ 20. { Penningas. Marauedisos Quatrinos. } { stuferos bra. duos. }

Tertij temporis valent.
{ 17. { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { Stuferum braban. vnum ac fere 54. mitas. }

Sester-

Sestertius habet duos Asses cum dimidio, estque quarta pars denarij, vocaturque alio nomine: Nummus: ac coniunctum: Nummus Sestertius. Primo è Libra Romę sunt cusi: 256. Sestertij. Deinde 336. Postremo 384. vnde hæc secundum monetam nostram, haberi potest æstimatio:

Primi temporis Sestertij valent.

18.	Penningas.	Stuferũ brab. vnũ cum 22. mitis.
	Marauedisos	
	Quatrinos.	

Secundi temporis valent.

10	Penningas.	Vnum stuferum brabanricum.
	Marauedisos	
	Quatrinos.	

Tertij temporis valent.

8.	Penningas.	Mitas Brabãticas 62. *Een blainc en ne gemanneken.*
	Marauedisos	
	Quatrinos.	

Libella, seu Nummulus, est decima pars Denarij Romani, cuius Monetæ primo tempore è Libera Romana percusserunt. 640. Deinde 840. Postremo 960. quorum hæc nunc habetur æstimatio:

Primi temporis Libellæ valent.

Sex	Penningas.	Dimidium stuferum brab. seu mitas 36.
	Marauedisos	
	Quatrinos	

Secundi temporis valent.

4.	Penningas.	Mitas brabanticas 29.
	Marauedisos	
	Quatrinos.	

Tertij temporis valent.

3.	Penningas	Mitas Brabanti. 23.
	Maraaedisos	
	Quatrinos.	

Sembella etiam dictus Nummulus est vigesima Denarij Romani pars, dabatque Libra Romana primo tempore Sembellas: 1280. Deinde 1680. Postremo 1920. quæ cum nostra hoc modo comparantur moneta:

Primi temporis Sambellæ valent.

$3\frac{1}{2}$	Penningas.	Octodecim mitas brabanticas, *Een oort.*
	Marauedisos	
	Quatrinos.	

Secundi temporis valent.

3.	Penningas.	Quatuordecim mitæ brabanticæ.
	Marauedisos	
	Quatrinos.	

Tertij temporis valent.

2.	Penningas.	Duodecim mitas brabanticas.
	Marauedisos	
	Quatrinos.	

Terun-

Teruntius, etiam dictus est Nummulus, valetque dimidiam Sembellam. Primum è Libra Romæ percussi sunt Teruntij 2360. Deinde 3360. Postremo 3840. quæ nostram hac ratione repręsentant monetam.

Primi temporis Teruntij valent.

1½ { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { Nouem mitas Brabanticas. *Ben negemanneken.* }

Secundi temporis valent.

Vnam { Penningam. Marauedisum. Quatrinum. } { Septem mitas Brabanticas. }

Tertij temporis valent.

Dimidiam { Penningam. Marauedisum. Quatrinum. } { Sex Mitas Brabanticas. }

De Aurea Romanorum Moneta.

CAPVT NONVM.

AVrei Romani diuersis temporibus diuersę mixturę, ac temperaturę sunt publicati. Primi enim Romę cusi, ad tępora vsq; Cęsaris Vespasiani in suo statu perdurauere, pendebantq; duos Denarios Argęteos Romanos habentes eandē temperationē, quā veteres, & primi Ducati Hispanici, & Hungarici, quadragesimā scilicet octauam portionē ex argento, qui aurei ad nostrā reducti monetā, valere deberent.

877 { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { Duos Ducatos aut Coronatos aureos, fere cum unius 4. parte. hoc est: Quatuor Florenos brabāticos, septem stuferos cum dimidio. }

Secundo tępore cusi aurei, pendebant duas Drachmas, idem habentes. temperamentum, quod primi aurei, hodie igitur nobis valentes

766 { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { Duos Duc. aut Cor. minus tribus stuferis cum dimidio. hoc est: Tres flor. bra. sexdecim stuferos 44. mitas. }

Tertio tempore percussi Aurei pendebant duas etiam Drachmas, sed habebant vigesimam quartā, partem admixtam ex Argento, nobis nunc valentes:

755 { Penningas. Marauedisos. Quatrinos. } { Duos Duc. aut Cor. minus fere quinque stuferis brabanticis. hoc est: Tres florenos bra. quindecim stuferos, decē mitas. }

Quarto tempore publicati Aurei sub Constantino magno, ac Iuliano Apostata Cæsaribus, pendebát 4. tantũ scrupul. incertum quam habuerint temperaturã alterius metalli. Dicti quoq; hi sũt: Centusses: quod centũ cõtinerẽt Asses, valẽt	520	Penning. Maraue. Quatrin.	Vnũ Ducatũ, aut Cor. ac paulo plus quã 4. ducati partẽ hoc est: Duos flor. br. 11. stuferos, sex Mitas.

Publicauit & Imperator Aurelianus Aureos pondere duorum Denariorum sed ignota est nobis eorum temperatura. Si ex optima fuere, idem erit cum primo tempore cusis Aureis. Sin minus, valebunt florenos Brabanticos quatuor, stuferos quinque, mitas 63. Ducatos, aut Cor. duos, cum vnius parte octaua.

Cudi iussit & Imperator Tacitus, Aureos è puro, puto Auro, ponderis etiam duorum Denariorum, qui valebant quatuor flor. brab. cum dimidio, Ducatos, aut Coronatos duos, cum vnius quarta parte.

Cumq; Imperator Alexander Seuerus, teste Lampridio, publicasset, Aureorum Semisses, Tremisses, & Quartarios, ex eo tempore Aurei nostri prædicti, cœpti sunt vocari: Solidi, ad differentiam minorum, quasi solidum antiqui Valoris temperationisque pondus habentes, quæ appellatio IureCtis. posterioribus frequens est. Isidori, vero sæculo, dicti quoque sunt hi Solidi, Sextula, quia sextam partem Vnciæ, hoc est, quaterna scrupula, siue viginti quatuor Siliquas pendebant. Nunc Aureos Minores describamus, ab Alexandro Seuero Cæsare cusos.

Semis, aut Semissis, Alexandri Seueri Cæsaris successorumq; eius tempore percussus aureus secundi generis temperaturæ, ponderis, ac temporis prædictorum aureorum Solidus erat dimidius, valebat nobis.	383	Penningas: Marauedisos: Quatrinos.	Ducatum, aut Cor. vnum minus duobus stuferis, ac stuferi quarta parte. hoc est: Vnus florenus Brabanticus, octodecim stuferi. Mitæ 22.

Terrij generis, temperaturæ, ponderis ac tẽporis, à secundi generis temperatura, sesqui stufero tantum Brabantico differebant.

At postremi generis temperaturę, ponderis, ac tẽmporis Aurei Semisses, valent nobis.	251	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	Dimidium Duc. aut Cor. cum vnius parte octaua. hoc est: Vnus florenus bra. quinque stuferi, tres Mitæ.

Tremis

Tremis, aut Tremissis Alexandri Seueri successorumque eius secundi generis temperationis, ponderis ac temporis dictorum aureorum, erat dicti Solidi pars tertia: valet nobis:	226	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Dimidium Duc. aut Cor. cum vnius parte duodecima. hoc est: Vnius florenus brab. duo stuferi cum dimidio.

Tertiæ temperationis cum secunda conuenit, excepto dimidio stufero brabantico, quem minus pendet

Postremi generis, temperationis, ponderis, ac temporis aurei Seueriani successorumque eius valent:	192	Penningas. Maraaedisos Quatrinos.	Nouemdecim stuferos Brabanticos ac quinquaginta Mitas.
Quartarius Seueri, optimę temperaturę ac pōderis primorū aureorum nobis valent:	161	Penningas. Marauedis. Quatrinos.	Sexdecim stuferos Brabanticos cum duodecim Mitis.
Vilioris vero temperaturæ Quartarius ac Ponderis, posteriorum, pro sua pro portione, nobis valere debuit:	114	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Vndecim stuferos Brabanticū 54. Mitis.

Libra autem Romana auri signati, cuiuscunq; speciei Aureorum, dummodo fuerint primi temporis têperaturæ, ac ponderis, valet Duc. aut Cor: Nonaginta & vnum cum dimidio, minus tribus stuferis ac blanca Brabantica, eiusdem que Florenos 183. septemdecim stuferos, ac 58. Mitas. Et sicut (authore Budęo) Aureus stater Gręcorum qui pondere fuit Vnciali, respondebat Argenteo eorum stateri, qui fuit pondere Semunciali. Sic Aureus Romanorum pondere fuit didrachmali: Argenteus pondere Drachmali: Aureorum vero Didrachmalium quatuor complebant Vnciam, & sic quælibet eorum Siciliquum. Vnde ex hac Budæi supputatione, sequitur quod.

Decem Aurei Romani valeant Vncias duas cum dimidia, hodie nobis:	Decem millia.	Penningarum. Marauedisorū. Quatrinorum.	Viginti quinque Duc. aut Coronatos aureos. hoc est: Quiuquaginta florenos Brabanticos:
Viginti Aurei Romani valent Vncias quinque, hodie nobis:	Viginti millia.	Penningar. Maraudiso. Quatrinorū	Quinquaginta Duc. aut Co. hoc est: Centum florenos Brabanti.
Triginta Aurei Romani valent Vncias septē cum dimidia, hodie nobis.	Triginta millia.	Penning. Maraued. Quatrin.	75. Ducatos aut Coronatos, hoc est: 150. Florenos Brabanticos.

Quadraginta Aurëi Romani valent vncias decem, hodie nobis:	Quadraginta millia	Penningarũ. Marauedis. Quatrinorũ	Centũ Ducat. aut Coron. hoc eſt: Ducentos florenos Braba.
Quinquaginta Aurëi Romani, ſeu Libra Centenaria, aut mina Attica centũ drachmarũ, valent duodecim Vncias cum dimidia, hodie nobis:	Quinquaginta milla.	Penningarũ. Marauediſor. Quatrinorũ:	125.Ducat.aut Coro. hoc eſt: 250.florenos brabant.
Centum Aurëi Romani valent viginti quinque Vncias, alijs tantum Viginti & vnum, fuitque olim Honorariũ Aduocatorũ apud Romanos, hodie nobis:	Centum millia.	Penningarum Marauediſor. Quatrinorum	250. Duc. aut Coron. hoc eſt: Quingentos florenos Brabanticos. Et ſic deinceps computando.

Siliqua (vt vult Budæus) Solidi melioris temporaturæ, ac prioris publicationie, æſtimari poterit duobus ſolidis Turonenſibus, quinq; Denarijs, & vnius Denarij parte ſexta. Igitur hac proportione afficient ſecundum Budeum, noſtri temporis Monetæ.

Quinq; Solidi Aurëi	Octo Duc. aut Cor. Aurëos vndecim ſolidos francicos octo denarios. hoc eſt: Sexdecim florenos Brabanticos, decẽ ſtuferos, quatuordecim mitas
Decem Solidi Aurëi.	Sexdecim Duc. aut Cor. 23. ſolidis, quatuor denarios francicos. hoc eſt: Triginta tres florenos Brabanticos, nouem mitas.
Viginti Solidi Aurëi	Triginta tres Duc. aut Cor. vndecim ſolidos, octo denarios francicos. hoc eſt. Sexaginta ſex florenos Brabanticos, nouẽ ſtuferos, duodecim mitas.
Quinquaginta Solidi Aurei.	Octoginta tres Duc. aut Cor. vndecim ſolidos, octo denarios francicos hoc eſt: Centũ ſexaginta ſex florenos Brab. nouem ſtuferos, totidẽ mitas.
Centũ Solidi Aurëi.	Centũ ſexaginta ſex Duc. aut Cor. viginti tres ſolidos, quatur denarios hoc eſt: Trecentos triginta duos florenos Brabant. cum nouem Mitis.

Et ſic in ſimilibus eadem ſeruata proportione. Efficiet vero hac ſeruata Analogia, Vncia auri, puri, puti quadringentos ſtuferos Brabanticos, aut octingentos

tos grossos Flandricos, qui faciunt viginti Florenos Brabanticos, seu decem ducatos, aut Coronatos aureos.

Drachma vero auri puri, puti quinquaginta stuferos Brab. aut centum grossos Flandricos: Florenos Brabanticos duos cum dimidio, Ducatum vel Coronatum aureum vnum, cum vnius quarta parta parte, hoc est, decem stuferis.

Scrupulus auri puri, puti, sexdecim stuferos Brabanticos cum octo fere denarijs Francicis, ac ferme triginta tres grossos Flandricos.

Siliqua Auri puri, puti, duos stuferos Brab. quatuor grossos Flandricos, cum nouum denarijs Francicis, ac vnius denarij tertia parte.

At Pondo, seu Libra auri puri, puti, valebit ducentos quadraginta florenos Brabanticos, seu Centum viginti Ducatos, aut Coronatos aureos. Pondo auri mediocris generis, temporis, ac mixturæ, tantum valebit circiter ducentos ac sex dictos Florenos, Ducatos aut Coronatos: Centũ & tres. Verum quum hoc meo sæculo anni Christi, 1598. Auri, argentique pretium valde sit auctum, aliter de Libræ, Pondo, Assis, ac Vnciarum valore erit statuendum. Valet enim hoc dicto Anno, Vncia Auri puri, puti, triginta duos Florenos Brabanticos igitur stuferos brabanti. sexcentos quadraginta: Grossos Flandricos, 1280. Ducatos, aut Coronatos sexdecim. Libra igitur Romana duodecim Vnciarũ puri, puti, Auri, hoc valore facit, 384. florenos Brabãticos: Ducatos aut Corontaos, 92. Sed nostri sæculi Vascularij aut Monetarij in Libra, aut Pondo, sexdecim, aut Octo numerant Vncias, qua computatione sexdecim Vnciarum, Libra Auri puri, puti, hodie valeret, 512. florenos Brabãticos, Ducatos aut Coronatos, 256. At Vncia auri signati nostri sæculi melioris notæ, vt est Hispanica, Hungarica, Francica, ac similium, tantum valet viginti octo florenos brab. aut quatuordecim Ducatos seu Coronatos. Igitur Libra auri signati nostri tẽporis duodecim Vnciarum, valet, 336. Florenos brab. Ducatos aut Cor: 168. Libra auri signati nostri sæculi sexdecim Vnciarum, 448. Florenos Brab. Ducatos, seu Cor. 224. De Vilioris mixturæ monetis, vt est, hodie Italica, ac similium, facile ex harum proportione, Lector, sua opera iudicabit.

De Valore Argenti.

Capvt Tertivm.

VNcia Argenti puri puti, veteris æstimationis, valet viginti & octo stuferos Brabãticos, decem mitas, seu quinquaginta sex grossos Flandricos, quæ duodecies accepta, Libram, aut Pondo efficiunt Romanum septemdecim Florenorum Brab. seu octo Ducatorum aut Coronatorum aureorum cum dimidio, dicta æstimatione, ac stante Republica Romana, libertateque Græca.

Drachma Argenti puri, puti, valet tres stuferos Brab anticos cum dimidio, aut septem grossos Flandricos. Penningas, Marauedisos, Quatrinos triginta sex.

Scrupulus Argenti puri, puti valet vnum stuferum Brabanticum, duos grossos Flandricos. Penningas, Marauedisos, ac Quatrinos, viginti.

Siliqua Argenti puri, puti, valet duos Francogallicos denarios, ac vnius partem tertiam.

At Pondo, seu Libra Argenti puri, puti valet quadringentos stuferos Brabanticos, aut Octingentos grossos Flandricos, seu viginti florenos brabanticos, id est, Ducatos aut Coronatos Aureos decem. Sed cum hoc Christi anno, 1598: Vncia argenti puri puti, valeat, quinquaginta tres stuferos brabanticos, valebit Libra duodecim Vnciarum, triginta & vnum florenos brabanticos, sexdecim stuferos: Ducatos vero aut Coro. sexdecim minus quatuor stuferis Brabanticis. At Libra sexdecim Vnciarum, valebit, 42. florenos brabanticos octo stuferos, Ducatos autem, aut Coro: viginti & vnum, quatuor stuferos. Vncia Argenti signati, melioris dicto anno Monetæ valet tantum, 48: stufero brabanti. Libra igitur duodecim Vnciarum viginti & octo florenos Brab. sexdecim stuferos, Ducatos, aut Coro. quatuordecim cum dimidio, minus quatuor stuferis Brab: aut quadraginta Marauidisis. Libra autem sexdecim vnciarũ triginta & octo florenos Braban: ac octo stuferos, Ducatos aut Coronatos nouemdecim, cum octo stuferis brabanticis, aut octoginta Penningis. De Monetariorum Libra octo Vnciarum, quam illi Marcam vocant, è Libra sexdecim Vnciarum, dimidia parte abiecta, iudicari poterit. At de Viliori Argentëæ monetæ dicti anni mixtura, nihil dico, quod adeo sit varia ac fucata, vt me non raro hac in re Reipublicæ Christianæ pudeat pigeatque. Varijs enim locis Vrbeculæ, ac Oppidula, tum etiam Inopes, Imbecillesque Reguli, Proceresque non pauci, ius cudendæ Aurëæ, Argentëæque monetæ nacti vt rem faciant, potentiorum Principum, ac Regum, signatum Aurum, & argentum, inuertentes, ac vilioris metalli nimia mixtione (foris obducto fuco) corrumpentes, Populum expilant, bonasque Regum constitutiones, auaritia sua peruertunt.

De Pondere, ac Moneta Hebræa, & Peregrina. Et primum de Aurêa.

CAPVT VNDECIMVM.

Siclus Aurëus Hebræus, si fuit eiusdem ponderis, cuius eorum Argentëus, id est, quatuor drachmarum atticarum, & eiusdem temperaturæ, cuius cæteri eorum Aurëi (vt eum fuisse pro certo existimo) valoris & prætij erit, sequentis:

Siclus Aurẽus Hebræus quatuor drachmarum hodie nobis valet:	1534	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	Ducatos aut Coronatos aureos quatuor, minus fere septẽ stuferis Brab. aut septuaginta Penningis. hoc est: Florenos brab. septem, tredecim stuferos, ac viginti sex mitas.
Stater Daricus ac Croesius, è puro, puto Auro, apud Persas ac Lydios cusus, eiusdem erant ponderis, ac bonitatis, pendentes drachmas atticas duas, nostra moneta valentes:	781	Penningas. Marauedisos. Qatrinos.	Ducatus aut Coronatos duos, minus viginti Marauedisis. hoc est: Florenos Brabanticos tres, stuferos octodecim, cum octo mitis.
Stater Cyzicenus valet drachmas atticas argenteas viginti octo: nostra moneta:	1118	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	Ducatos, aut Cor. duos cum dimidio, ac vnius partes tres. hoc est: Florenos Brab. quinque, stuferos vndecim, sexaginta mitas.
Tetrasterũ Cyrenense, pendebat, Stateres, quatuor, melioris mixturæ. Igitur nostra valet moneta:	3067	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Ducatos, aut Cor. septem cum dimidio, ac Marauedisos, 68. hoc est: Florenos Braban. quindecim, stuferos sex, ac mitas, 52.

De Argentea.

Caput Duodecimum.

Siclus communis Argenteus Hebręus drachmam pendẽs Atticam, valet nobis,	35	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	fere tres stuferos brabanticos, cum dimidio.
Siclus Sanctuarij Hebræorum, alias simpliciter appellatus Siclus: Secel: Scekel: A D. Hieronymo, Siclus Argentẽus, & ab interpræte, D. Matthei, vocatus, Stater: à septuaginta Interpræribus, Didrachmus, ab alijs Tetradrachmum, pendit Drachmas atticas, 4. Obolos, 24. SemiVnciã Romanã. Continet Siclos profanos duos: Geras. 20. valet nostra moneta	150	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	Stuferos Brabanticos Tredecim, ac sexaginta & octo mitas.

Siclus Profanus Hebræorum aut Vulgaris, qui græcis vocatur Didrachmus, fuit duarum atticarum drachmarum, continetque Geras decem. valet nobis:	70	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Stuferos Brabanticos Sex, septuaginta Mitas.
Gera ac Gerah Moneta Hebræa, quã Interpretes verterunt obolum, quod valde parum ab obolo attico distet. erat quinta pars drachmę atticæ, faciebantque viginti Geræ Siclũ Sanctuarij, valet nobis Gera:	Sex	Penningas. Marauedisos Quatrinos.	Qnnquaginta duas mitas Brabanticas.
Mina, quæ &, Maneh, & Libra Hebræa dicitur, pendit in argento signato, libras Romanas duas, ac drachmas sex. Continet Siclos Sanctuarij 60. Profanos 1200. Geras 1200. valetque nobis	8364	Penningas. Marauedis. Quatrinos.	Ducatos, aut Cor. viginti cum dimidio ac Marauedisos: 64. hoc est: Florenos brabantic. 41. stuferos sex mitas triginta.
Talentum Hebræum argenteum, valet in nostra moneta.	836430	Penningas. Marauedisos. Quatrinos.	Ducatos, aut Cor. 2091 hoc est: Florenos Brab. 4182.
Cicar Hebręis duplex est, quemadmodum Siclus. Primum appellatur, Cicar Sanctuarij, penditq; libras Ron an. 250 maximũ inter omnia antiqua, nobis nota põdera, vocaturq; alias, Cinchares: Talentũ Maius. Talentũ Sanctuarij, cõtinetque Minas hebræas centũ: Siclos Sanctuatij 600. Siclos Profanos 12000. Geras 120000. Cicar Cõgregationis bis. Marcas Coloniæ Agrip. paululum plus quam 348. valetq; nostra moneta:	396800.	Penningas. Maranedisos. Quatrinos.	Faciũt dictę 348 Marcę Coloniẽses Ducatos, aut Cor. 1942. cum dimidio, octo stuferos, ac 80. Marauedisos. hoc est: Florenos brab. 3845. ac quinq; stuferos.
Cicar Congregat. alterũ est, penditque Libras Rom. 125. diciturq; alio nomine: Talentũ Hebręũ minus. Cõtinet minas hebræas 50. Siclos Sanctuarij 3000. Siclos Profanos 6000. Geras 60000. habetq; Marcas Coloniæ Agripp. paululũ plus quam 174. valetque nobis:	Ducẽta, duo millia, ac Octingẽtas:	Penningas. Maraue disos Quatrinos.	Faciunt dictę 174. Marcæ Colonienses Ducatos, aut Cor. 957. hoc est: Florenos Braban. 1914.

Siglus

Siglus, Nummus eſt Sardianus & Perſicus, valebatque authore Zenophonte, Obolos atticos ſeptem cum dimidio, ergo nobis: 44 { Penning. / Maraued. / Quatrin. } { Stuferos Brab. quatuor, ac Mitas 27.

Iam tandem ſatis ſit, pro inſtituta à nobis breuitate, maxime idonea in medium attuliſſe, è duobus præſtantiſſimis, hac in re authoribus, Agricola, ac Budæo (cuius Epitome doctiſſime vnico libello, cui Titulũ dedit, de Aſſe & Partibus eius, ſcripſit Heinricus Glareanus) quæ Hiſtoriarũ Lectoribus, imo omnium Diſciplinarum amatoribus imprimis ſcitu neceſſaria fore iudicauimus, de Ærëa, Argentea, ac Aurëa, Græcorũ Romanorum, Hebræorumq; moneta. Nunc in gratiã Studioſorum adoleſcentum, aliquid ſcribamus, de admirabili Argenteæ Monetæ apud Romanos ſupputatione per Seſtertia, aut, Nummos Seſtertios, qui vel maxime eis in vſu, manibus, ac ore fuere, vt è horum intervallata proportione, de omnibus Seſtertiorum Numeris iudicare apud Authores, facilius amice lector poſſis. Nota autem Seſtertiorũ, hæc apud latinos ſcriptores, cuiuſcũq; Diſciplinę reperitur: H-S. vel HS: vel: HS. vel: vel: .

Cæterũ pauca mihi es præmonendus, præclaræ ſpei Adoleſcens, antequã rem aggrediamur, nimirum, Seſtertiũ in Neutro genere (quo gaudent Poëtæ latini) idem eſſe quod Seſtertius maſculino genere, ac quum conuenit nomen numerale, genere numero, & caſu cum Seſtertijs, nullus alius intelligitur numerus, quã qui profertur: Sin contra ſubintelligitur vox millia. Exempli cauſa prioris Regulæ ſint: Emi librum duobus Seſtertijs, tribus Seſtertijs, quatuor, quinque, aut ſex Seſtertijs, denis, Vicenis, quinquagenis, cẽtenis, millenis Seſtertijs, & ſic in cęteris, nihil aliud intelligitur quam Nummis, vt & in his: Comparaui mihi agrum, Domũ, centenis, millenis, ducentis quinquaginta, mille nongentis, centenis millibus millenis millibus Seſtertijs, nil aliud quam Nummis ſubintelligitur. At quum dico: Emi librum duo Seſtertium, tria Seſtertium, quatuor Seſtertium, idem eſt ac ſi dicas, duobus tribus, quatuor millibus Seſtertiorũ Nummum, ſeu Nummorum: Comparaui agrum, domum decies Seſtertiũ, idem eſt, ac ſi dicam decies millibus Seſtertiorum Nummum: centum Seſtertiũ, centum millibus Seſtertiorum Nummum: mille Seſtertium, aut Decies Seſtertium, id eſt, decies centenis millibus Seſtertiorũ Nummorũ: Item quando nomen Numerale cõiungitur cum aliqua nota Seſtertij (hac HS. aut alia) & plurale millia nõ congruit numerali tunc intelligitur authorẽ ſimpliciter de Seſtertijs loqui, nullo ſubintellecto alio numero. Tũ vero congruit, colligendũ erit è propinquiſſimis coniecturis, an de ſimplicibus Seſtertijs, an vero de millibus Seſtertiũ author loquitur. Gaudent & variatione ſcriptores in prolatione horũ numerorum, per diuerſas voces. Nonnunquã enim Dictio Nummum ſola pro Seſtertijs ponitur: aliquando vtraque omittitur Exempli cauſa. Decies Nummũ ſeu Nummorum. Centies Nummum, Vigeſies, octuagies, millies Nummum ſubaudi Seſtertium. Quingenta millia, centena millia, millena millia, ſubaudi

Seſtertium. Eſt cum etiam omittunt vocem millia, Vt: Centena, Quadringenta, Nongenta, octingenta, ſubaudi, millia Seſtertium. Poſtremo aduerbium Numerale iunctum dictioni Seſtertijs, ſiue præcedat, ſiue ſequatur indicat tot centena millia: Vt, quinquagies Seſtertium, vel quod idem eſt Seſtertium quinquagies, ſonat, decies centena millia Seſtertiorum Nummum, ſeu Nummorū. Apud Poëtas aliquando carminis gratia adiungitur, dictio, Centena. Vt: Decies centena millia Seſtertium, quod Muſis datur. Quacunque autem ratione numerorum per Seſtertia, fiat elocutio cum Millia vox, eſt intelligenda, neceſſe omnino eſt id fiat per genitiuum Pluralem, Seſtertiorum, aut per Craſim, Seſtertium, Nummorum, aut Nummum, nulla ratione per genitiuum ſingularē, niſi barbare loqui, ac ſœleciſmum committere velis. Nunc rem aggrediamur, vt è paucis exemplis, lector facilius de reliquis omnibus, Seſtertiorum numeris, iudicet, ac pronuntiet. Si in computando, aut mea inconſiderantia, aut Typographi culpa, vitium fuerit admiſſum, humaniter reſtituito.

Supputatio Veterum Romanorum per Seſtertia, aut Argentéos Seſtertios Nummos, in Immenſum perductos, & ad Anni à nato Christo, 1598. Monetam æſtimatos.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

VT ſupra capite octauo, de Argentëa Romanorum Moneta diximus, valet Nummus Seſtertius, ſecundo tempore publicatus, Brabantis, cæteriſque Belgis vnum ſtuferum, aut 72. Mitas Brabanticas. Germanis decem Penningas: Hiſpanis totidem Maraucdiſos, ac Italis Quatrinos, Romanis duos Aſſes & ſemis. Ergo.

Quinque Aſſes, Valent duos Seſtertios.

Septem Aſſes & Semis, Tres Seſtertios.

Decem Aſſes, vel Æris, Quatuor Seſtertios. Hic eſt valor Denarij Romani, ac Drachmæ Græcæ.

Viginti quinque Aſſes ſeu Æris, decem Seſtertij.

Quinquaginta Aſſes, Viginti Seſtertios.

Septuaginta quinque Aſſes, Triginta Seſtertios.

Centum Aſſes, ſeu Æris, quadraginta Seſtertios, ſeu Coronatum Francicum.

Ducenti quinquaginta Aſſes, ſeu Æris, Centum Seſtertios.

Quingenti Aſſes, Ducenti Seſtertij.

Septingenti quinquaginta Aſſes, Trecenti Seſtertij.

Mille Aſſes, ſeu Æris, quadringenti Seſtertij Nummi, ſecundo, vt dixi tempore publicati; qui noſtra nunc valent moneta, decem Ducatos, aut Coronatos Auréos: Florenos Brabanticos viginti: Libram Argenti vnam plenamque.

Mille Seſtertia, aut mille Seſtertij Nummi, valet nunc noſtri ſęculi moneta.	Viginti quinque Ducatos aut Coron. Florenos Brab. quinquaginta. Argenti Libras duas, cum dimidia, aut, quod idem eſt. Vncias triginta.
Duo Seſtertium id eſt, duo millia Seſtertium, ſeu Seſtertiorum Nummũ, qui nobis valet:	Quinquaginta Ducat. aut Cor. florenos Brab. Centum. Argenti libras quinque.
Tria Seſtertium, id eſt, Tria millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis valent:	Septuaginta quinq; Duc. aut Cor. florenos Brab. Centum quinquaginta. Argenti libras ſeptem cum dimidia.
Quatuor Seſtertium, id eſt, quatuor millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis valent.	Centum Ducatos aut Coronatos: Florenos Brabanticos Ducentos: Argenti Libras Decem.
Quinque Seſtertium, id eſt, quinque millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis valent.	Centũ Viginti quinq; Duc. aut Cor. flor. Bra. Ducentos quinquaginta: Argenti libras duodecim, cum dimidia.
Decem, aut Dena Seſtertium, id eſt, Decem, aut Dena millia Seſtertiorum Nummum, qui valent.	Ducẽtos quinquaginta Duc. aut Cor. flor. Brab. Quingentos, argenti Libras viginti quinque.
Viginti Seſtertium, id eſt, Viginti millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis valent:	Quingentos Duc. aut Cor. flor. Brab. mille: argenti libras quinquaginta. Tanti emptus fuit Coruus, qui Cęſarem Auguſtum ſalutauit.
Quadraginta Seſtertium, id eſt, Quadraginta millia Seſtertiorum Nummũ qui nobis valent.	Mille Ducatos aut Coronatos: Florenos Brabanticos Bis mille: Argenti libras Centum.
Sexaginta Seſtertium, id eſt, Sexaginta millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis valent:	Mille quingentos Ducat. aut Cor. florenos Brab. Ter mille: argenti libras, centum quinquaginta.
Octoginta Seſtertium, id eſt, Octoginta millia Seſtertiorum Nummum, qui nobis valent	Bis mille Duc aut Cor. florenos Bra. quotuor millia: Argenti libras Ducentas.
Centum Seſtertium, id eſt, Centies mille, aut Centum millia (100000) Seſterriorum Nummum valent	Bis Mille quingentos Duc. aut Cor. florenos Brab. quinque millia, argenti libras Ducentas quinquaginta.
Ducenta Seſtertium, id eſt, Ducenta millia Seſtertiorum Nummũ. 200000 & Ducenties mille, valent	Quinque millia Ducat. aut Cor. Florenos Brab. decem millia, argenti libras quingentas.

Trecenta Seſtertiûm, id eſt, Trecenties mille, aut Trecenta millia Seſtertiorum nummum, 300000, valent:

Septem millia, & quingentos Ducat. aut Cor. flor. brab. 15. millia: Argenti libras ſeptingentas quinquaginta.

Quadringenta Seſtertiûm, id eſt, quadringenties mille, aut quadringenta millia Seſtertiorum nummum, 400000: nobis valentium:

Decē millia Ducat. aut Cor: florenos brab: Viginti millia. Argenti libras mille. Hic Cenſus fuit Romæ ordinis Equeſtris, libera Republica.

Quingenta Seſtertiûm, id eſt, quingenties mille, aut quingenta millia Seſtertiorum nummū, 500000: valent:

Duodecim millia quingentos Duc. aut Cor: flor: bra: Viginti quinq; millia: argenti libras mille ducētas, quinquaginta. Cenſus Romæ ordinis Equeſtris, ſub Sæſare Auguſto.

Sexcenta Seſtertiûm, id eſt, ſexcenties mille, aut ſexcenta millia Seſtertiorū nummū: 600000: valent nobis:

Quindecim millia Ducat: aut Coro: brab. Triginta millia: Argenti libras, mille quingentas.

Septingenta Seſtertiûm, id eſt, ſeptingenties mille, aut ſextingenta millia Seſtertiorum nummum, qui nobis valent: 700000:

Septemdecim millia, quingentos Ducatos aut Cor: florenos brab: Tringinta quinque millia. Argenti libras, mille ſextingentas, quinquaginta.

Octinginta Seſtertiûm, id eſt, octingenties mille, aut octingenta millia ſeſtertiorum nummum, 800000: qui nobis valent:

Viginti millia Ducatos aut Cor: florenos brab: quadraginta millia: argenti libras bis mille. Cenſus Romæ Senatoris libra Republica.

Nongenta Seſtertiû, id eſt, nongenties mille, aut nongenta millia Seſtertiorum nummum, 900000: qui nobis valent:

Viginti duo millia, quingentos Duc: aut Cor: flor: brab. quadraginta quinque millia: Argenti libras, bis mille, ducentas, quinquaginta.

Decies, aut mille Seſtertiûm, id eſt, decies mille Seſtertij, aut decies cētena millia ſeſtertiorū nummum, 1000000:

Viginti quinque millia Duc: aut Cor: flor: brab: quinquaginta millia: argenti libras, Bis mille quingentas.

Duodecies Seſtertiûm, id eſt, millies ducēties Centeni ſeſtertij, aut duodecies Centena millia ſeſtertiorū nummum, 1200000. qui nobis valent:

Triginta millia Duc: aut Cor: florenos brab: ſexaginta millia: argenti libras, Ter mille. Cenſus Romæ Senatorius, Imperante Cæſare Auguſto.

Quindecies Seſtertiûm, id eſt, quindecies centena millia ſeſtertiorū nummum, 1500000: valent nobis:

Triginta ſeptem millia, quingentos Duc: aut Coro. flor. brab: ſeptuaginta quinque millia: Argenti libras, Ter mille, ſeptingentas, quinquaginta.

Vicies

Vicies Sestertiûm, id est, Vicies centena millia sestertiorum nummum, 2000000.

Quinquaginta millia Duc. aut Coro. florenos brab. Centum millia: auri libras, quinquies mille.

Tricies Sestertiûm, id est, Tricies Centena millia sestertiorũ nummum, 3000000. qui nobis valent:

Septuaginta quinque millia Duc. aut Cor flor. brab. Centum quinquaginta millia: argenti libras, septem millia, quingentas.

Quadragies Sestertiorûm, id est, quadragies cetena millia sestertiorũ nummum, 4000000: valent nobis:

Centum millia Ducatos aut Cor. flor. brabant. ducenta millia: Argenti Libras, decem millia.

Quinquagies Sestertiûm, id est, quinquagies centena millia sestertiorum nummũ, 5000000. qui nobis valent:

Centũ viginti quinq; millia Duc. aut Cor. flor. brab. ducenta, quinquaginta millia: Argenti libras, duodecim millia quingentas.

Sexagies Sestertiûm, id est, sexagies centena millia sestertiorum nummum 6000000: qui nobis valent:

Centũ quinquaginta millia Duc. aut Coro. florenos brab: Trecenta millia: argenti libras, quindecim millia.

Septuagies sestertiûm, id est, septuagies centena millia sestertiorũ nummum, 7000000. qui valent:

Centum septuaginta quinque millia Duc. aut Cor. florenos brab. Trecenta quinquaginta millia: Argenti libras, septemdecim millia, quingentas.

Octogies Sestertiûm, id est, octogies centena millia sestertiorum nummũ 8000000: qui valent:

Ducenta millia Ducatorum aut Cor: flore. brab. quadringenta millia: argenti libras, Viginti millia.

Nonagies Sestertiûm, id est, nonagies centena millia sestertiorum mumum, 9000000: qui valent.

Ducenta viginti quinq; millia Duc aut Cor. flor. brab. quadringenta, quinquaginta millia: argenti libras, viginti dico millia, quingentas.

Centies Sestertiûm, id est, centies centena millia, aut (quod idẽ est) Decies millies mille sestertium, aut sestertiorum nummum, qui nobis faciunt. 10000000.

Ducenta quinquaginta millia Duc. aut Cor. flor. brabant. quingenta millia: argenti libras, viginti quinque millia. Tanti fuit æstimatus Vnio, seu Margarita (hodie Parlam vocant) quã Cleopatra Ægypti Regina, aceto resolutum in cœna presente M. Anthonio TriumViro Romano, bibit. Vide Plinium lib. Nat. histo. 9. cap. 35.

Bis Centies Sestertiûm, id est, bis centies centena millia sestertiorum nummum. 20000000. valent.

Quingenta millia Duc: aut Cor. flor. brab. decies centena millia: Argenti libras, quinquaginta millia.

Ter Centies Seſtertiûm, id eſt, Ter Centies, centena millia Seſtertium Nummû. 30000000. Valent nobis.	Septingenta millia Duc. aut Cor. flor. brab. Decies, ac quater centena millia, Argenti libras, ſeptuaginta quinq; mil.
Quadringenties Seſtertiûm, id eſt, quadringenties centena millia, Seſtertiorum Nummû, 40000000. qui nobis faciunt.	Decies Centena millia (hodie Million vocant) Duc. aut Cor. flor. brab. vigeſies centena millia: Argenti libras, Centum millia. Tanti fuit æſtimatus Corporis ornatus. Lolliæ Paulinæ, Caij Cęſaris vxoris, non dono mariti acceptus, ſed ex Auorum opibus relictus. Vide Plinium libro Nat. Hiſtor. 9. cap. 35.
Quingenties Seſtertiûm, id eſt, quingenties centena millia Seſtertiorum, Nummû. 50000000. qui nobis valent.	Vigeſies quinquies centena millia Ducat. aut Coro. florenos brab quinquagies centena millia, 5000000. Argẽti libras, cẽtũ viginti quinq; millia.
Octingenties Seſtertiûm, id eſt, Octingenties centena millia Seſtertiorum Nummû. 80000000. qui nobis hodie faciunt.	Trigeſies centena millia Ducatos aut Coro. florenos brabanticos. 6000000. ſexagies centena millia: Argenti Libras, ducenta millia. Tanti fuit Cenſus Annuus Regis Francorum, Anno Chriſti, milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo.
Millies Seſtertiûm, id eſt, millies Centena millia, aut (quod idem eſt) Centies millies, mille Seſtertiûm, ſeu Seſtertiorum Nummû, & ſic deinceps. Valent hodie nobis, 100000000.	Trigeſies quinquies centena millia Ducatos aut Coronos florenos brab. 7000000. ſeptuagies centena millia: Argenti Libras, ducentas, quinquaginta millia.
Bis Millies Seſtertium, id eſt, bis millies centena millia Seſtertiorum Nummum. 200000000. valent nobis.	Quinquagies centena millia Duc. aut Cor. florenos brabanticos, 10000000. centies centena millia: Argenti libras, quingenta millia. Hic Cenſus fuit Lentuli Auguris Romæ, Imperante Cęſare Auguſto: Ac tantundẽ ſũt æſtimatę Opes. M. Craſsi, a Parthis cæſi.
Ter Millies Seſtertiûm, id eſt, ter millies centena millia Seſtertiorum Nummû: 300000000. valent nobis.	Septuagies quinquies centena millia Ducat. aut Cor. florenos brabanticos 15000000: Centies quinquagies centena millia: argenti libras, ſeptingenta, quinquaginta millia.

Quater

Quater Millies Seſtertiûm, id eſt, quater millies centena millia Seſteriorũ Nummum, 400000000. Valent.	Centies Centena millia Duc. aut Cor. florenos brabanticos, 20000000. Bis centies, quinquagies centena millia. Argenti libras, Decies centena millia:
Quinquies Millies Seſtertiûm, id eſt, quinquies millies centena millia Seſtertiorum Nummum, 500000000. Valent.	Centies Vigeſies centena millia Duc. aut Coro. florenos brab. 25000000. Bis centies, quinquagies centena millia: Argenti libras, Vigeſies quinquies, centena millia.
Decies Millies Seſtertiûm, id eſt, decies millies centena millia aut (quod idem eſt). millies millies, mille Seſtertiûm, ſeu Seſtertiorum Nummũ, hodie nobis valent, 1000000000.	Centies, Septuagies quinquies centena millia Duc. aut Cor. florenos brab. 35000000. Ter Centies, quinquagies centena millia. Argenti libras, ſeptuagies quinquies centena millia.
Quadragies Millies Seſtertiûm, id eſt, quadragies millies centena millia Seſtertiorum Nummũ. 4000000000. qui nobis nunc valent.	Centies millena millia Duc. aut Cor. florenos brab. 200000000. Ducenties millena millia. Argenti libras, centies centena millia, aut quod idem eſt, decies millena millia.
Centies Millies Seſtertiûm, id eſt, centies millies centena millia, aut, decies millies millies, mille Seſtertiũ, ſeu Seſtertiorũ nummũ. 10000000000.	Cẽties, vigeſies quinquies millena millia Duc. aut Cor. flor. brab. 250000000 bis cẽties quinquagies millena millia: argenti libras, vigeſies quinquies millena millia: aut bis centies, quinquagies, centena millia.
Millies Millies Seſtertiûm, id eſt, Millies millies, millena millia Seſtertiorũ nummũ. 100000000000 valent.	Vigeſies quinquies millies millena millia Duc. aut. Coro. flor. brab. 5000000000. quinquagies millies, millena millia: Argenti, libras, vigeſies quinquies centies millena millia.
Decies Millies millies Seſtertiûm, id eſt, decies millies millies, millena millia Seſtertiorum Nummum, 1000000000000: valent nobis:	Quinquagies millies, millena millia Duc. aut Cor. flor. brab. 10000000000. centies millies, millena millia: Argenti libras, Quinquagies centies millena millia.
Centies millies, millies Seſtertiûm, id eſt, Centis millies millies millena millia Seſtertiorũ nummũ, 10000000000000, valent nobis.	Centies millies, millena millia Duc. aut Coro. florenos brab. 200000000 000. bis Centies millies, millena millia: Argenti libras, 1000000000. Centies, Centies millena millia.

Centies

Centies millies, millies, millies Sestertium, id est, Centies millies, milllies, millies, millies, millena millia Sestertiorum Nummum, 1000000000000000000. qui nobis Valerent.	Centies Millies, millies, millena millia, Ducatorum, aut Coronatorum Aureorũ, efficientes Brabanticos florenos: 2000000000000000. Bis Centies millies millies millena millia. Argenti Libras: 5000000000000. Quingenties millies, millena millia.

AD postremos hos numeros, vix vllæ perueniũt opes, etiamsi Salomonis, Croesi, ac Xerxis coniunxeris. Itaque hic lubenter gradum sistimus, cum vlterius vix iocosæ hominum petitiones perueniant, ne temere in Numerorum infinitatem nos mergentes, ab ea oppressi, ac in numerandi errorem perlapsi, temeritatis nostræ meritas luamus pœnas, sed imbecillitatis humanę memores, potius ad vnitatis admirabilem, per se & ex se consistentiam contemplandam, admirandam, ac venerandam, nos conuertamus, nequaquam autem autem ad infinitæ eius fœcũditatis, semper nobis in infinitum, incomprehensibili ratione, ordine, & proportione progredientis, partem comprehendendam, incedamus. Poterunt ex his inter se collatis exemplis fere omnes Plinij, similiumque Authorum Libri, intelligi ac explanari, nisi corrupti sint editi, aut alia ratione (quod non raro contingit) mendosi. Certe ex hac Sestertiorum (exigui Valoris, ac ęgre stuferum Brabanticum efficientis moneta) multiplici acumulatione, gaudebant olim Romani, Diuitias, opesque suas ostentare, quod hodierno etiam sæculo, ab ijs retinuere Hispani, multarum scilicet myriadum Marauedisorum (quos in Cuentos diuidunt, corrupta Voce, è Centum scilicet millibus) opes suas denominantes. Est autem Hispanis Vnum Cuentos, millies mille Maranedisi, hoc est, Centum millia Sestertiorum Nummum, nostra moneta hodie efficientium, Bis mille, quingentos Ducatos, aut Coronatos aureos. Eadem supputatio procedit apud Germanos per Pfenningas (quamuis eis nisi in minimis sit in vsu, & non vbique, opes suas lubentius per Taleros computantes) & penes Italos per Quatrinos (etiam eis nullo vsui nisi in minimis, & non vbique, Diuitias suas per Ducatos numerantes) quorum Decem, vt Marauedisi, & Pfenningæ, vnicum conficiunt Brabanticum stuferum, aut quod idem est duos grossos Flandricos.

FINIS.

TRACTATVS DE MENSVRIS LONGITVDINVM, QVIBVS OLIM GRÆCI, ROMANI, HEBRÆI, AC PEREGRINI, IN FACIENDIS ITINERIBVS, PRAECIPVE SVNT VSI.

QVum Mensuræ Duplicis sunt generis, Interuallorum nimirum, ac Capacitatis. Interuallorum vero cum sint aut Longitudinis tantum, vt Pes, stadiũ Milliare, Leuca: Aut Latitudinis, & Longitudinis simul, quas Mensuras quadratas appellant, vt Iugerũ, &c. Nos in tractatu qui pre manibus est tantum agemus de mẽsuris, quæ ex Interuallis longitudinem respiciunt, non Latitudinem, quod earum cognitio imprimis, Historiæ lectori sit pernecessaria. Ac primum de Romanis mensuris agemus, vt maxime apud Authores obuijs, tum de Græcis: Postremo de Hebræis, & Peregrinis.

Pes Mensurarum Romanarum, quæ Longitudinem respiciunt, fundamentũ ac Basis constituitur, vocaturq; alio nomine, Pes Porrectus, continetq; Palmos Romanos quatuor: Digitos sexdecim græcos quindecim. Et quemadmodũ in Ponderibus & Monetis, tanquam fundamentum omnium Ponderũ & Monetarum, Romani Libram seu Assem, in duodecim Vncias secãt, ita & Pedem in Mensuris, tanquam Basim omnium Mensurarum, siue Longitudinẽ, Latitudinem, aut Capacitatem spectent, etiam in duodecim partes seu Vncias diuidũt, adeo, vt hac in re Pes Assi seu Librę respondeat, cuius Pedis hæ sunt duodecim partes: Deunx, Dextans, DoDrans, Bes, Septunx, Semipes, Quincunx, Triens, Quadrans, Sextans, Sescuntia, Vncia. Has nunc ordine explicemus.

Deunx, Mensura longitudinis Romana, habet Vncias, seu partes Pedis Romani vndecim, Digitos 14. Pollices Bruxellæ Brabantiæ, paululum plus quam Decem.

Dextans, mensura Longitudinis Romana, habet Vncias Pedis Romani Decem, Digitos 13. Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam quinque.

Dodrans, Mensure longitudinis Romana, habet Vncias Pedis Rom. Nouẽ, Digitos 12. Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam octo.

Bes Mensura Longitudinis Romana, habet Vncias Pedis Rom. octo, Digitos decem. Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam septem.

Septunx, Mensura Longitudinis Romana, habet Vncias Pedis Romanas septem: Digitos nouem Pollices Bruxellæ Brabantiæ paululum plus quam sex.

Semipes, mensura longitudinis Romana, habet Vncias Pedis Rom. sex. Digitos octo Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam quinque.

Quincunx, mensura longitudinis Romana, habet Vncias Pedis Romani quinque: Digitos Sex: Pollices Bruxellæ Brabantiæ paululum plus quam quatuor.

Triens, mensura longitudinis Romana, habet Vncias Pedis Rom. quatuor, Digitos quinque: Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam Tres.

Quadrans, idem est, quod Palmus, mensura longitudinis Romana, habens Vncias Pedis Rom. Tres: Digitos quatuor: Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam Duos.

Sextans Mensura Longitudinis Romana habet Vncias Pedis Rom. duas: Digitos paululum plus quam Duos: Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam Vnum.

Sescuntia mensura longitudinis Romana, habet Vnciam Pedis Rom. Vnam cum dimidia: Digitos duos: Pollices Bruxellæ Braban. paululum plus quam Vnum, & paululum minusquam Sextans.

Vncia, Mensura Longitudinis Romana, est duodecima pars Pedis Romani, continens Digitum Vnum, cum vnius tertia parte, paululoque breuior est Pollice Bruxellensi Brabantico. Atqui hæc sufficiant, de Pedis Romani Potestate, & Diuisione, quæ vnusquisque facile, cum suæ Regionis mensura comparare poterit, maxime & clarissime, si inspexerit Tabulam quam in huius Tractatus calce adiungimus. Nunc Breuiter minutiores, longitudinum Diuisiones, ob oculos ponamus, tum ad reliqua pergamus. Incipiemus autem à Digito Romano, qui sumitur in latitudinem, non secundum longitudinem Digiti, humani & comparatur aliquando Granis Hordei quatuor, etiam secundum latitudinē non longitudinem acceptus, appellaturque alio nomine *Digitus Transuersus.*

Digitus.	*Est Mensura Romana Cōtinens*	Decimam sextam partem Vnciæ Pedis Romani.
Semunncia.		Dimidiam partem Vnciæ Pedis Romani.
Bina Sextula.		Tertiam partem Vnciæ Pedis Romani.
Sicilicus.		Quartam partem Vnciæ pedis Romani.
Sextula.		Sextam partem Vnciæ pedis Romani.
Drachma.		Octauam partem Vnciæ Pedis Romani.
DimidiaSextula		Duodecimam partem Vnciæ Pedis Romani.
Scrupulum.		Vigesimam quartam partem Vnciæ Pedis Romani.
Obolus.		Quadragesimam octauā partem Vnciȩ Pedis Rom.
Semiobolus.		Nonagesimam sextā partem Vnciȩ Pedis Romani.
Siliqua.		Centesimam, quadragesimam quartam partem Vnciæ Pedis Romani.
Punctum.		288. partem Vnciæ Pedis Romani.
Minutum.		576. partem Vnciæ Pedis Romani.
Momentum.		1152. partem Vnciæ Pedis Romani.

Iter

Iter vuius Diei, aut qnod vno die confici poteſt, plane eſt incertum, tum quod dies à die diſtet: tum quod hoc, aut illo die, miles, aut quiſuis alius citius, aut tardius progrediatur. Vocant hanc incertá longitudinē:	Hebræi	Prandium Terræ.
	Græci	Σταθμὸς : Stathmus.
	Romani	Caſtra: Vnde toties apud Hiſtoricos, eo, aut huc peruentū, primis, ſecūdis, tertijs, quartis, quintis, &c. Caſtris : hoc eſt : primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, &c. Die.

De Palmo vide græcorum menſuras.

Palmipes Menſura lõgitudinis Romana, continet Palmos Romanos quinq; Digitos 20. Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam quatuordecim.

Cubitus aut Cubitū Menſura longitudinis Romana, habet Pedem vnū cum dimidio, Palmos Sex, Digitos 14. Pollices Brux. Brab paululum plus quā 17. appellaturq; alio nomine: Vlna, & Seſquipes. At Cubitum Geometricum habet Pedes Romanos & Bruxellenſes, paululum plus quam Nouem.

Palmi Cubitum, Menſura longitudinis Romana habet Cubitū, & Palmum Digitos Rom. 28. Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam viginti.

Dupondium Menſura longitudinis Romana, habet Pedes duos Rom. Digitos 32. Pollices Bruxellæ Brab. paululum plus quam Viginti.

Gradus Menſura lõgitudinis Romana haber Pedes Ro. duos cum dimidio, eſtque paulo longior vlna brux Brab. habitet Digitos Rom. 38. Pedes brux. Brab. large duos.

Paſſus Menſura longitudinis Romana habet Pedes Ro. quinque: Pedes aubruxellæ Brabantiæ, paululum plus quam quinque.

Milliare, aut Miliare, menſura eſt longitudinis Romana, continēs paſſus Romanos mille: Pedes 5000. ſtadia græca octo (Suidæ ſeptē cum dimidia: Paſſus grçcos 800. Pedes 4800 Idem igitur eſt cum milliari noſtri temporis, Italico, ac Anglico, ſeu quarta parte Milliaris Brabantici aut Flandrici maioris. Vocatur alio nomine Milliarium: mille Paſſus, Cippus, & Lapis. Hinc toties apud Authores, & hiſtoriographos, ad primum, decimum, centeſimum, milleſimū lapidem, id eſt, milliare. Hæc ſufficiant de Latinis, Longitudinum Menſurationibus. Nunc ad Græcos pergamus.

De Græcorum Longitudinum Menſuris.

Digitus, Grçcis Δάκτυλ[illegible], dictus, ſe nobis primis offert, minima longitudinum eorum Menſura, parſque Pedis eorum decima ſexta, efficiens vnum Digitum Romanum, cum alterius vigeſima quarta parte, grana hordei quatuor.

Palmus minor Grçcis Δοχμή: Δῶρον: παλαίστη, παλαιςίδα, ſeu δακτυλοδόχμη, menſura longitudinis Græca continens eorū Digitos quatuor: Romanorum quatuor, cum vnius parte ſexta: Pollices Bruxellæ brab. paululum plus quam Tres.

SemiPes græcis ἡμιπόδιον, continet eorum Digitos octo: Romanorum octo,

cum vnius parte tertia:Pollices Bruxellæ brab. paululum plus quam Sex.

Dichas græcis vocatur Interuallum, quod est inter Pollicem & Indicē quam possunt latissime distentos continens eorum Digitos decem: Romanorum decem cum vnius quintæ partis,duodecima parte: Pollices Bruxellæ brab. paululum plus quam Septem.

Orthodorum græcis dicitur Interuallum, quod est à prima palmæ parte, vsque ad supremam,seu vltimam,digiti longioris partem,continens Digitos Græcos vndecim:Rom.vndecim,& vndecimæ partis,vigesimam quartam partem. Est hæc mensura Romanis dicta Palmus Rectus,habetque Pollices Bruxellæ brabant.paululum plus quam Octo.

SPitanæ (Romanis DoDrans & Palmus maior) Græcis appellatur Interuallum,quod est inter Pollicem & minimum digitum,probe extensum, continēs Palmos Tres, Digitos duodecim Græcos: Romanis duodecim cum dimidio, habetque Pollices Bruxellæ brab. paululum plus quam nouem.

Pes græcis πoῦς, habet eorum Palmos quatuor,Digitos sexdecim,superatque Pedem Romanum vigesima quarta parte. Vnde. 24. Pedes græci, faciunt. 25. Pedes Romanos.

Pygma continet Digitos græcos octodecim:Romanos octodecim cum vnius tertiæ partis,quarta parte diciturque Latinis, Cubitum Decurtatū minus, habetque Pollices Bruxellæ brab. paululum plus quam Tredecim.

Pygmum (Romanis est PalmiPes,ac Cubitum Decurtatum Maius) continet Digitos græcos viginti,cum vnius quintæ partis,sexta parte: Pollices Bruxellę brabantiæ,paululum plus quam quindecim.

Cubitum Græcis πῆχυς: ὠλένη, vel, ἡμιπόδιον, est Interuallum quod est, ab anteriore flexu brachij, vsque ad summam medij Digiti partem,habens palmos græcos sex,digitos.24. Romanos,24.appellaturque à Latinis,*Vlna,Sesquipes*,quod contineat pedem græcum vnum cum dimidio,pollices Bruxellæ brabanticæ, paululum plus quam octodecim.

PentemiPodium continet pedes duos græcos cum Dimidio, Romanos paululum plus quam Duos: Pedes Bruxellæ brab. paululum plus quam Duos.

Paßus Græcis dictus, ὀργυία, est Interuallum, quod est inter extensas vtrinq; manus cum pectore, quod Belgæ germani appellant: *Een Vaem*, habetque Cubita græca quatuor Pedes sex,Palmos. 24. Romanos Pedes sex cū vnius parte quarta.Pedes Bruxellæ brab. paululum plus quam Sex.

SemiPlethrum continet Passus græcos octo,cum vnius parte tertia: Romanos decem cum quintę partis,duodecima parte:Pedes græcos,50.Romanos.52.cum vnius parte duodecima.Pedes Bruxellæ brabantiæ,paululum plus quam quinquaginta quatuor.

Plethrum,continet Passus græcos,16.cum vnius dimidij,parte tertia:Rom.20. cū vnius quintæ partis,sexta parte Pedes græcos.100.Rom.104.ac vnius parte sexta. Pedes Bruxellæ brabanticos paululum plus quam,Centum ac nouem.

Stadium

Stadium Græcis, σωδίον: σαδι@: & A'υλ@, continet Passus græcos centũ: Rom. 125. Pedes græcos, 600. Rom. 625. Pedes Bruxellæ Brab. paululum plus quam, 658. estque octaua pars mille Passuum Romanorum, seu octaua pars Milliaris hodie Italici & Anglici, de quo vide supra vocem Milliare.

Diaulos continet duo Stadia, Passus, 200. Romanos, 250. Pedes græcos. 1200. Romanos, 125. respondetq; quartę parti milliaris Italici & Anglici hodie.

Hippicum continet Stadia quatuor, Passus, 400. Romanos, 500. Pedes græcos, 2400. Rom. 2500. respondetque dimidio milliari Italico hodie & Anglico.

Dolichius continet Stadia duodecim, Passus, 1200. Romanos, 1500, videturq; respondere Leucæ Francogallicæ minori, seu dimidio milliari Atrebatico, vicinorumque eorum. Atqui hæc de Græcorum mensuris Longitudinis, dicta sufficiant: Pergamus ad alia.

De Hebræorũ ac Peregrinorũ Longitudinum Mensuris.

TOPAH Mensura Longitudinis Hebręa, existimatur proxime accedere ab huius linguæ, studijque cultoribus, Palmo Græco.

Zereth Mensura Longitudinis Hebręa, existimatur proxime accedere Epithamæ Græco.

Amah Mensura Longitudinis Hebręa, existimatur proxime accedere Cubito Græco.

Schœnos Mensura Longitudinis Ægijptia, continet Stadia Gręco. 60. Passus eorum, 6000. Romanorũ, 7500. Hunc Romani vocant Funiculum.

Cubitũ Mensura Longitudinis Persica, quod etiam Regium ab eis appellatur continetq; Digitos Gręcos, 27. Pedem Vnum, cum vnius vndecimæ partis decimamsextam partem: Pollices Bruxellæ brab. paululum plus quam viginti.

Parasanga Mensura longitudinis etiã Persica, habet Stadia græca. 30. passus, 3000. Rom. 3750. respondetque eleganter mediocri milliari brabantico. Apud Authores aliquando, schœnos & Parasanga confunduntur, vnumque pro altero, inconsiderate ponitur.

Leuca mensura longitudinis Gallica, antequã in eam Romani sedes fixissent cuius, qui post Cornelium Tacitũ scripsere authores sœpe mentionem faciunt. Habuit autẽ Leuca Gallis eam longitudinẽ, quã etiamnũ hodie habent mediocria francogallica milliaria, quę in hunc vsq; diem veteris vocis seruato vestigio appellant, *Vng Lieu*, ac *Leu*: voce vtrunq; monosyllaba, estq; dimidiũ cõmune brabanticũ milliare, spatiũ, quod dimidia hora, ab expedito pedite confici potest.

Quod attinet ad proportionẽ dictarũ longitudinis mensurarum, cum nostri tẽporis mensuris, difficile hac de re aliquid statui potest quod in vniuerso orbe Christiano, varie à varijs Nationibus, locorũ distãtię distinguãtur. Itali enim & Angli hodie itinera sua distinguũt, eodẽ modo quo olim Romani, nisi quod hi suas distãtias vocẽ milliaria & Leucas: Romani vero suas per passus numerabãt, quorũ hodie mille, vnũ Italis ac Anglis cõstituunt milliare: Galli vero distingunt (vt diximus) itinera sua per Leucas, quę licet sint trium generum, magna

ſcilicet, mediocria, & Parua, communi tamē æſtimatione conſtituuntur è duobus millibus Paſſuū Romanorū. Germani, Hiſpani, Hungari, Bohemi, Poloni Dani, Sueui, & ſimiles etiā cōputant per milliaria, quę ipſi vocant. Milas (voce corrupta è latinorū mille) quę etiā inueniuntur: Longæ, ſex ſcilicet milliū paſſuū Romanorū: Mediocres, quinq; milliū Paſſuū Romanorū: Breues, quatuor milliū Paſſuū Romanorū. Vbi germanice loquuntur Belgæ, Longiores eorum Milæ reſpondent, breuioribus quatuor millium paſſuum Romanorum, Milis Germanicis: Francogallice loquentes Belgæ fere conueniunt cum hodiernis Francogallorum Leucis, duorum millium Paſſuum Romanorum.

QVod attinet ad *Pedis Romani* pleniorem intellectum computando cum Brabanticis Longitudinis Menſuris, hoc Lector ſcito, quæſtionē eſſe inter doctos non exiquā quę nam fuerit olim Pedis Romani vera longitudo. Nam in Romanorum Antiquitatibus reperiuntur quinq; Pedes, diuerſæ longitudinis. Author quidā Anonimos, Teuto, ſeu Germanus tamē Natione, quem egregie manu deſcriptū, mihi vtendū dedit, Amicus quidā meus Vir Doctus (quem hic nomi[illegible]aſſem, niſi omnino vetaſſet) longa, doctaq; argumentatione, è Georgio Agric[illegible]la (quē imprimis ſequitur) concludit, *Pedem operarium Bruxellæ Brabantiæ*, (ad cuius Pedes, Pollices, & Digitos, Longitudinis menſuras omnes dirigit, vt ſupra memorauimus) qui non in Digitos vt Pes Græcus: nec in Vncias vt Romanis, ſed in vndecim Pollices diuiditur, continere Digitos Romanos quindecim, ac duas vndecimæ partes. Vnde ſequitur, Pedes Græcos quingentos & vnum, efficere Pedes Bruxellenſes, quingentos ac quinquaginta. Pedes autem Romanos centū ſexaginta ſeptem, facere Bruxellenſes Centū ſeptuaginta Sex. Præterea Digitos Græcos quatuor millia & octo, facere Pollices Bruxellenſes, Tria millia viginti & quinque. Romanos vero Digitos centū & ſexaginta ſeptem, conficere Pollices Bruxellenſes, Centum viginti vnum. Quæ proportio Amice Lector tibi ſit fundamentū totius cōparationis antiquarū, ac hodiernarum Longitudinis Menſurarū, alioqui nunquā aliquid certi ſtatuere poteris, è ſupra relatis menſuris, quod tanta ſit in Orbe Terrarū, Pedum varietas, ac diuerſitas, quanta alicuius alterius rei, imo tot fere reperiantur Pedes Menſuratorij, quot in Orbe ſunt Prouinciæ, Vrbes, Oppida, Ciuitates, ac fere etiā Pagi, Vicique. Sed ex hac ſemel conſtituta, Bruxellæ Brabantiæ, totiuſque Belgij Regia Vrbe Pedis Longitudine, vnuſquiſque de ſuæ Prouinciæ Pedis magnitudine longitudineque, facilius iudicabit, aut ſiquis inueniatur, alijs negotijs ita impeditus, vt tempore excluſus, huius rei rationem, minus ſecum inire poſſit (habet enim hæc calculandi ratio ſuam ſubtilitatem, ac proinde & totum hominem requirit) in eorum lubenter gratiam ſequenti Pagina figuratum Pedis, Græci, Romani, ac Bruxellæ Brabantiæ hic ſubijcimus.

Pes Romanus

VETERVM ALIQVOT GERMANORVM, VTRIVSQVE SEXVS HOMINVM, PROPRIORVM NOMINVM RESTITVTIONES, AC SIGNIFICATIONES, EX ETYMIS EORVM DESVMPTÆ.

PRopria Veterum Germanorum, tam ſimplicia, quam compoſita, quæ adhuc hodie, nonnihil à prima impoſitione retorta, ſunt in vſu hominum nomina, non minus ſuas habere ſignificationes, quam aliarum Nationũ, cuiuſcunq; etiam linguæ hominũ, clarum, ac perſpicuum eſſe arbitror. At ea non omnes intelligere, qui hodie Germanice loquuntur, quotidiano vſu experimur, tum quod pars linguam germanicã ſuperiorẽ, ob enunciationis aſperitatẽ, non vocũ differentiam ægre intelligat: tum quod hominẽ Propria nomina, à prima impoſitione, hęc plus, illa minus diſtorta, dubiam ſępiſſime reddant ſignificationẽ. Ex his quædã hoc loco Corollarij vice adferre placuit, quod non pauci in Belgij Libellis, ac pręcipue in hiſtoria noſtra, ſæpiſſimẽ ſe offerant, & adhuc hodie ſint in vſu: Tum etiam vt Lectores, eorum ſignificationes, intelligentes, ac mutationẽ conſiderantes, non amplius è Lodowicis, Aloiſios: è Guilielmis, Ilermos: è Fredericis, Ferrios: nec è Reineris, aut Rheinheris, Renatos, hoc eſt, è meris, puris, putis germanicis, amplius Barbara Gręca, aut Latina faciant nomina. Verũ enim vero apud omnes obteſtor, me hiſce de rebus cum Doctis Viris contendere, nec in aciem deſcendere nolle, maneat ſingulis ſuum iudiciũ. Non enim minus hac in re Germani Inferiores, ſeu Belgogermani, quã Superiores poſſunt ac valent. Belgica enim Germanica lingua, ſuperioribus Germanis de antiquitate, opulentia, puritate, ac compoſitionis facilitate, nil plane concedit. Quare ſi ſubinde ab ijs diſſentio, id noſtro iure facio, ac proinde non ægre laturos confido, eo magis quod liberrimas coniecturas ratione non carentes, non Theologicas aſſertiones, adferre me meminiſſe debent. Vocem *Bert*, aut *Bard*, quę ſæpe in nominum conpoſitionem venit, non puto ſemper ad veterũ Germanorũ Sacerdotes, quos Bardos vocabant, vt Galli ſuos *Druidas*, eſſe referendam, ſed aliquando ad Barbam virilitatis ſignum (id enim etiam inter alia, *Bard*, Germanis ſignificat: apparet in proprie viri nomine, Robard, compoſitũ, è Rubro ac Barba, quos latine vocant, Barbaroſſa, ac Ænobarba) detortam eſſe, vt Vox: *Prab*: aut: *Prebt*: quę ijſdẽ naturalẽ grauitatẽ cũ dignitate coniunctã, inter alia quoq; ſonat, quamquam hoc noſtro ſęculo pro faſtu, ac affectata, minimeq; tẽpori vel perſonę cõueniẽte grauitate, apud Plœbẽ accipi videamus. Sed penes eos qui Magiſtratũ gerũt,

vel aliquam ratione personam publicá sustinent, pro vera dignitate accipitur, quam Germani magno inter se, ac apud exteros personarum ac loci respectu habito, sine vlla affectatione, aut gerunt, aut gerentibus tribuunt. Gaudent Plebei huius monosyllæ abusione, dum solemnia Diuitum Conuiuia, ac celebriores, Annuasq; statis temporibus Epulas irrident, ac conuenientium, assidentium, edentium, potantium, seseque exhilarantium cæremonias, affectatamque grauitatem ac dignitatem, cum ironia, ac risu enarrant. Nullius certe nisi qui experientia didicerit, credere potest quantum ad iudicij vim acuendam, in rebus humanis conferat, diuersarum linguarum cognitio, imprimis si accesserit diligens in peruestigandis etymis studium, voce nulla neglecta vbi ingenij acies penetrare poterit. Nam etsi in compositis facilis est etymi inuestigatio & coniectura, simplicia quoque diu, ac diligenter perscrutanti, non iniucunda, nec incommoda primæ vocis ratio sese offeret, ac ad altiora abstrusioraque perspicienda, vim, regulamque aperiet. Exemplo sint veteres Græci ac Latini, qui ab hoc initio incomparabilis eruditionis Viri sunt facti. Non enim sine magna ratione, magnus ille Plato inquirere voluit, ad deinde edito scripto ad idem conandum auida sciendi ingenia concitare, quare hæc litera potius quam illa esset dicenda, α, δ, ε, ξ, λ, μ, ν, ε, σ, τ, &c. Vide à quibus hic exordijs ac principijs rerum inuestigationem cœperit, aut potius nil intentatum reliquit, vt vel ex abiectissima (vt vulgo apparet, qui hæc ac similia ridere solet) merce, rem faceret. Iam enim didicerat nil causa carere in causis scientiam latere, in scientia summum bonum, ipsamque fœlicitatem, vnde non immerito Virgilius, Latinorum Poëtarum Pater, hoc modo exclamat:

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas. Et non frustra vulgo dici solet. *Tantum quemque scire, quantum scit causarum.*

ETYMA

ETYMA VARIORVM NOMINVM, VTRIVSQVE SEXVS HOMINVM, GERMANICÆ ORIGINIS.

NOMINA.

A.

Germanica.	*Latina.*	Significatio.
Adelhield / *Adelheit*	Adelheidis	*Nobilis Indolis.*
Adeläht	Adelegia	*Nobilitatis Dignitas.*
Amprcht	Ambertus	*Officij Dinitas.*
Adelprebt / *Altprebt* / *Atelbert*	Albertus	*Maiorum Dignitas, laus, potentia, gloria.*
Artprebt	Aribertus	*Terræ potentiæ, laus, honor.*
Alprcbt	Alprehtus	*Plena Dignitas, potentia, grauitas.*
Albered	Alberedus	*Promptus: ad omnia paratus.*
Arenholt	Arnoldus	*Aquilarum, aquilis abundans Sylua.*
Aluerhart	Aluerardus	*Obſtinatus, contumax, pertinax.*
Alvveerhart	Alwerardus	*In armis obduratus.*
Auerzoel	Auezuta	*Dulciſſima, omnino ſuauis.*
Armgaſt	Armogaſtus	*Hoſpes pauper, ac inops.*
Archgaſt	Arbogaſtes	*Hoſpes verſutus, callidus, ac verſipellis.*
Ambtrijc / *Ambibtrijc*	Ambiorix Cæſaris	*Artificibus, ac Opificibus multis Imperans.*
Aude	Auda	*Senior, Prouectioris ætatis.*
Audefred	Audefreda	*Pax vetus, antiqua, diuturna.*
Aal: Ael, ac diminutiuum:	Aleiais	*Nobilis, præclara, Illuſtris.*
Aelken	Adelheidis	
Aecerrijc	Agericus	*Multorum Agrorum Diues, ac poſſeſſor.*
Anshelm	Anſelmus	*Principis: ſeu: Heroïs Galea ac Caſſis.*
Alrijc	Alaricus	*Diuitijs affluens, totus Opulentus.*
Atelrijc	Atalaricus	*Nobilitate Diues; id eſt, multis Nobilibus Imperans.*
Arnhulf	Arnulfus	*Æquilinum auxilium.*
Autbode	Autbodus	*Nuncius, ſeu famulus antiquus, qui diu ſeruiuit.*
Amalfred / *Emelfred* / *Hemelfred*	Amalafreda	*Pax Cæleſtis, Diuina.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Amalberg	Amalaberga	*Mons Cœlestis, Diuinus.*
Alberoit	Albero	*Plane inops, ac egenus.*
Audemaer	Audomarus	*Rumor vetus, antiquus, omnibus notus.*
Alons	Alsonsur, ac Alonsus	*Omnia rapiens, suaque faciens.*
Alitprand	Alitprandus	*Aleidam ardens, amansque.*
Adelin	Adelinus	*Interna, id est, Animi Nobilitas.*
Adelhart	Adelhardus	*Cor nobile, ac generosum.*
Aldegund	Aldegondis	*Antiqua, ac Vetus Probitas.*
Aicherrad	Aichradus	*Prudens Agricola: Doctus colenda Terra.*
Adelrijc	Adelricus	*Nobilitate, Nobilibus hominibus pollens.*
Arnst: Ernst	Ariouistus Cæsari: Polijb:	*Sedulus, Prudens, Diligens, satagens re quapiam.*
Alfiier	Alferius	*Præferox, elatus, fastuosus.*
Authelm	Authelmus	*Antiqua Galea, id est, Veteranus.*
Austergizel	Austrigisilus	*Obsidum Dignißimus.*
Autrabert	Austreberto	*Inter barbatas dignißima.*
Autbert	Autbertus	*Barba antiqua. His olim vocibus indicabant hunc aut hanc, ad pubertatem' peruenisse.*
Audeel	Audoëlus	*Antiqua Nobilitas. Antiqua sors, pars Obuentio, (hæreditas.*
Adeldach	Adeldagus	*Dies nobilis, faustus, fœlix.*
Adelgier	Adelgerius	*Nobilis vultur, id est, rapacitas, voracitas, auaritia.*
Adelvvaert	Adelwardus	*Nobilis ac gratus hospes.*
Adelgeest	Adelgisius	*Nobilis spiritus, ingenium, indoles.*
Austreberta, quere *Osterbert.*		
Abelbart	Ablebartus	*A ciuilitate ac honestate sic nominatus.*
Adelaert	Adelardus	*Nobilis ac præclara indoles.*
Adellenden	Adelendis	*Lumbi Nobiles, id est, robusti.*
Albart	Alardus: Adelardus	*Firmus, robustus, vndique armis tectus.*
Alvvin	Alcuinus	*Vndique rem faciens, augensque.*
Aldetruu	Aldetrudis	*Antiqua, id est, constans fides.*
Allene	Alena	*Sola: Solitarie viuens.*
Adelhulf	Adulfus	*Nobilitatis auxilium.*
Armfred	Almafreda Armfredus	*Pax pauper, id est, momentanea.*
Almalsunt	Amalasunta	*Fœdus stultum, imprudens.*

B.

Bathild: Baethild	Bathildis	*Quæstui ac lucro dedita indoles.*
Balthild	Balthildis	*Alacris ac matura indoles.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Blythild	Blitildis: Blichildis	*Læta, ac hilaris indoles.*
Berthold: Berthout	Bertoldus	*Bertam tenens id est amans:*
Berthulf	Bertulfus	*Bertam iuuans, defendens.*
Beczelijn	Beczelinus	*Osculator Suauia iungens.*
Berenhart	Bernherdus / Bernardus	*Cor, animus Vrsinus.*
Bergt	Bergta	*Montosa, giblosa.*
Baert	Barbata	*Barbam gerens, adulta.*
Bartijn	Bartinus	*Barbatus, adultus.*
Burghart	Burghardus	*Cor Arcis instar firmum.*
Brebt: à Precht	Brehta	*Grauis, dignitate plena.*
Boos	Boſo	*Malus, peruerſus, vitijs plenus.*
Boeſmond	Boëmondus	*Os prauum, improbum, maledicum.*
Bruin	Bruno	*Fuſcus, fuſci coloris.*
Bruinhaut	Brunehuta	*Fuſcæ cutis fœmina.*
Bruneſcild	Bruneſchildis	*A Clypei fuſcedine dicta.*
Boſchart	Boſchartis	*Siluarum ac in ijs vagantium, prædantiumque domitor.*
Berengard	Berengarius	*Septum Vrſinum, eorumque domitor.*
Baldvvijn	Balduinus	*Maturum, citumque lucum.*
Bartraat	Bertrada	*Præſens ac expeditum conſilium.*
Beelde corrupte *Belie*	Belda: Belia	*Imaguncula.*
Blaſer	Blaſius	*Ventoſus, iactabundus.*
Ben	Benno	*Exiſtens: ſempiternus.*
Becce: Begga	Begge	*Ore venuſtatem praſeferens.*
Balrijc	Balricus	*Subito ac cito opulens.*
Blimar corrupte *Brimar*	Blimarus / Bliomarus. / Billimerus.	*Boni rumoris author. Nomen Regis Gallorum A. M. Marcello Rom. Duce in prælio interempti.*
Baldegond	Baldegondis	*Matura, cita, ac præcox bonitas.*
Breidel	Breido	*Inſtar freni equini durus.*
Breidelhart	Breidelhardus	*Idem.*
Breithart	Breithardus	*Cor amplum ac magnificum.*
Bertvvalt	Bertwaldus	*Bertam violans, domans.*
Bode	Bodo	*Nuncius, famulus.*
Boothulf	Botulphus	*Famulorum auxilio diues.*

C.

Coune	Cunera	*Audacula, ferocula, hodie francogallie Aſſeurée, Affectée.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Choun / *Coun*	Chuno:Cuno	*Audax, Intrepidus, ferox.*
Couraet	Conrardus	*Audax consilium.*
Calsind	Calsindis	*Animo moderato.*
Carl, postea, *Carel*	Carolus	*Durus, fortis firmus constans.*
Chulprecht	Chilprehtus	*Aurea Dignitas, gloria, laus potentia.*
Chulbert	Chilbertus	*Aurei coloris Barba.*
Cunibert	Cuniberttus	*Barba. audaciam præse ferens.*
Canuit	Canutus	*Ab ebidendis Poculis dictus.*
Cunigund, vide *Kunigund.*		
Craphilde, vide *Raphilde.*		
Childebert, vide *Scildebert.*		
Clotart vide *Grootbert.*		
Cingetorix, vide *Zingoetrijc.*		
ommer	Cæsari, Commius	*Onus quo agri ac ædes grauantur: Vsuræ Annui Redditus.*

D.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Dagprecht	Dagobertus	*Dei, aut Diuina Dignitas.*
Dode	Dodo:Doda	*Mortuus:mortua. A colore dicti.*
Droge	Drogo	*Siccus, id est, Auarus.*
Dunenrijc	Dumnorix Cæsaris	*Multorum Collium possessor.*
Dierrijc / *Diederijc*	Ex his fecerunt vocem græcam Theodorus: & semigræcam, semigermanicam Theodoricus, vtrumq; corruptissime, cum germanica significet	*Diuitem seu possessorem multorum Animalium ac hominum.*
Dulhart corrupte		
Dulcard	Dulcardus	*Cor furens, insaniens, ac bulliens.*
Disbode vide *VVisbode.*		
Dunstant	Dunstanus	*A corporis gracilitate dictus.*
Dodeschijn	Dodechimus	*Mortis vmbra, à colore dictus.*

E.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Eigen	Egino	*Seruus.*
Eberhart	Eberardus	*Præfectus: Legatus: Gubernator.*
Ernst: Ernestus:	Cæsari Ariouistus	*Satagens, prudens, efficax, diligens.*
Eelstruic	Elstrudis	*Stirpis nobilis, claræ illustris.*
Eelfrede	Elfredus	*Pax nobilis, clara, famosa.*
Ermgard	Ermgardus	*Hortus aut lucus pauper, exiguũ quæstus. Id enim olim Gard germanis sonuit.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Elure	Elura	*Hora præclara, boni ominis.*
Egbart: Eingbart	Egbartus	*Barba rara, decidua.*
Elaert	Erardus	*Indoles honesti amans.*
Ernstbulst	Ernstulfus	*Serium, non fictum auxilium.*
Erenbolt	Ernoldus	*Decoris, ac honesti tenax.*
Eerlieue	Ereliua	*Honoris ac Pudoris studiosa.*
Erngild	Erngildus	*Adolescens inops sed generosus.*
Euermair	Euermarus	*Longinquus, vltra montes ac maria veniens rumor.*
Ete lbart	Ethelbartus	*Barba nobilis insignis clara.*
Edeltru	Edeltrudis	*Fides clara ac nobilis.*
Etelvvold	Etelwoldus	*Lucus nobilis, famosus.*
Ermelend	Ermelendis	*Inops, ac misera Prouincia.*
Egenvvin	Eguinus	*Singularis, propriique lucri studiosus.*
Eryc	Ericus	*Gloria ac honore abundans.*
Els, diminutiuum		
Elsken	Elsa	*Fragilis, vt hoc ligni genus.*
Erenbert	Erembertus	*Scutum honoris. Berte laus.*
Erenbol	Erimboldus	*Caput honoratum, honore dignum.*
Etelburg	Ethelburga	*Nobile ac famosum Castrum, Arx.*
Ermenfred	Ermenfredus	*Pax misera calamitosa.*
Egenhart	Eginhartus	*Cor sæuum, aut seruilis naturæ & conditionis.*

F.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Framond corrupte, *Pharamond*, & *VVaremondt*	Pharamondus	*Ab Oris dignitate, decore, vetustate, ac gratia sic nominatus.*
Fremond	Fremondus	*Os pacificum, paci studens, ac gaudens.*
Froomtier	Frementerus	*Animal generosum, Intrepidum.*
Frederic	Fredericus	*Diues pacis: Pacificus: Amans Pacis.*
Folbart	Folbertus	*Barba densa, plena.*
Fredegans	Fredegandus	*Totus pacificus, plane paci studens.*
Folcant	Folrardus	*Consilio plenus, ac abundans.*
Fasteraat	Fasterada, Fastradra	*Consilij constantes ac tenacis.*
Fredevvyt	Fredeswida	*Amplam poßidens pacem.*
Fraibil, corrupte	Pharahildis	*Elegans indoles, natura, ingenium.*
Fribert, corrupte	Philibertus	*Bertam amans, ambiens, procans.*
Fraubald	Fraubaldus	*Natura, mulierosus.*
Fredegund	Fredegundis	*Pax bona, syncera, vtilis.*
Franc, *Fry*	Francus, ac Franciscus	*Ingenuus, liber, sui iuris.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Fredegern	Fridigernus	*Pacem amans: pacem sectans, ac lubens amplectens.*

G.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Gotscalc	Gotscalcus	*Bene in rebus diuinis versatus: diuina ratione cautus, strennuus, astutus ambidexter.*
Gundibald	Gundibaldus	*Bona, ac oportuna festinatio.*
Gundar / *Gundigar* / *Gundec*		*Rex, ac Dominus bonus, prolusque.*
Guldhelm corrupte / *VVillem*	Guilihelmus, wilhelmus	*Deaurata Cassis, ac Galea, quod talem capite gereret, ferretque.*
Grootbulf, corrupte	Glodulphus	*Ingens, ac magnum auxilium.*
Geinbulf	Genulfus	*Nullum auxilium, homo nihili, inutilis.*
Gerlant	Gerilandus	*Terra bona, syncera, fœcunda.*
Guldebart corrupte	Guibertus	*Barba aurea, seu aurei coloris.*
Gerbulf	Gerulfus	*Auxilium probum, syncerum, rectum.*
Gartru: Gartrout	Gertrudis	*Plane, ac omnino fidelis.*
Gunt. Gut.	Guta	*Bona. Francogallis: Bonne.*
Gelsont	Gelsondis	*Valetudo bona, firma constans.*
Grimbald	Grimbaldus	*Ad Iram, ac morositatem pronus.*
Grosgund	Grosgundis	*Bonum immensum, ac ingens.*
Gundalt	Gundaldus	*Vegeta, bonaque senectus.*
Gotefred	Gotefridus	*Pax diuina, quies bona.*
GutVVal	Gutwalus	*VVallo (nomen est proprium) bonus. Res ad votum (succedens.*
Grootbild, corrupte,	Glotohildis	*Magnum Ingenium: Præclara Indoles.*
Gisel	Gisella	*Obses, sponsor, Vas Vadis.*
Gutlab	Gutlacus	*Compotatio, Conuiuim exigui sumptus.*
Gerthold	Gertholdns	*Gertam tenens, amans, fruens.*
Gheert, diminutiuum *Gheertken*	Gherta	*Petitrix, Ambiens, Desideratrix.*
Godegesil	Godesillus	*Adolescens Probus conuersatione iucunda.*
GoosVVin	Goswinus	*Opum, Diuitarumque aceruator.*
Gairbald	Garibaldus	*Diligentissimus, Efficacissimus.*
Gutdage	Guthago	*In bonis vtens fruensque diebus vitæ suæ.*
Groothart, corrupte	Clotarius	*Animo magno, ac excelso.*
Guntraat	Guntranus	*Bonum, syncernm, rectum consilium.*
Gotryc	Godricus	*Deo diues, ac plenus.*
Grootsind, corrupte	Clotosindis	*Sensus acer, Iudicium magnum.*
Grootald corrupte	Clodoaldus	*Aetas decrepita.*
Gauderyc	Gaugericus	*Auri diues.*
Geil	Geilo	*Coloris lutei.*
Goeryc	Goëricus	*Bonus artibus, ac consilijs abundans.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Godomar	Gundinarus	*Boni Rumoris author.*
Gundmar	Gummarus	
Garbant	Garbrandus	*Igneus, ardens. flagrans, vehemens.*
Grisbart	Grisbartus	*Barba Cana.*
Geberijc	Gebericus	*Largus, liberalis, Donator, Collator.*
Goethart	Gothartus	*Bonus ac probus animus, natura.*
Goetaert	Gotardus	*Bona, ac innocens Indoles, conditio.*
Giraert	Giraldus Gerardus	*Natura ac Indoles Vulturina, id est, rapax, vorax, & auara.*
Geberhart	Geberhardus	*Animus liberalis, largus.*
Godeleuen	Godelauus Godalaua	*Vitæ otiosæ, desidis, mollis, inertis, desidiosa, voluptuaria.*
Gerlaken	Garlacus	*Pannus integer. Nomē metaphoricū, significans talē hominē.*
Gild	Gildus Gilda	*Alacer, promptus, animi hilaris. Vnde multa composita: Ermgild, Rijcgild, &c.*
Godealt	Godaäldus	*Diuina, proba, innocens senectus.*
Gudele	Gudela	*Pars bona, sors fœlix, hoc est id amimi ac corporis bonis, fœlicem partem sortita.*
Gysbert	Gisbertus	*Gisam ardens, amans, ambiens, procans.*
Godebaert	Godebarta	*Berta bona, proba, honesta.*
Gaer-In	Guarinus	*Vere intus existens: figurate, ex se sapiens.*
Geldaert	Gildardus	*Indole alacri, hilari, iucunda.*
Guthulf	Gundulfus	*Auxilium, bonum, syncerum.*
Goldezin	Goldezindis	*Aurei Sensus.*
Godebart	Godeberta	*Berta diuina, innocens, proba.*
Godegans	Godegrandus	*Totus Diuinus.*
Godehart	Godehardus	*Cor ac Animus diuinus.*

Guitmunde, Vide *VVitmund.*

H.

Hild *Hil* *Hille*	Hildis	*Indoles, natura, Ingenium, Iudicium, in bonam malamque partem accipitur, per se, & in compositione.*

Hadelin, Vide *Adelin.*

Hadulf, Vide *Adulf.*

Heinryc	Heinricus	*Amplos possidens agrorum limites.*
Hen	Henna	*Gallina, vt illa timida.*
Hartman	Hermannus	*Vir fortis, robustus, durus.*
Hiltru	Hiltrudis	*Indole fideli, rotunda, aperta.*
Heinholt	Heinholdus	*Prouinciæ lucus.*
Hildegrond	Hildegondis	*Profunda, acutaque Indole prædita.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Hillebrant	Hillebrandus	*Hillam ardens amans, procans.*
Helt	Helto	*Adolescens aut Puella calidi cordis, animosa.*
Herbrant	Herbrandus	*Herum, Dominum Ardenter amans.*
Heet vvyh	Hedwigis	*Cunas, ardenter agitans.*
Heile	Heila	*Beatrix, Sanatrix, Liberatrix.*
Huisprcht	Hubertus	*Domestica dignitas, laus, gloria.*
Hunfred	Hunfredus	*Vicinorum Pax, quies.*
Hilptons, corrupte	Hildefonsus	*Adiutor, auxiliator noster.*
Hunegond	Hunegondis	*Fautrix Hunnorum.*
Herebert	Herebartus	*Barba Heroica, dignitatem præse ferens.*
Harald	Haraldus	*Crines antiqui, cani: Coma moris antiqui.*
Hildegard	Hildegardis	*Bonarum Indolum custos.*
Huisvvaert, corrupte	Vsuardus	*Familiæ hospes, Dominus, Herus.*
Halsthulf	Hadulfus / Hastulfus	*Festinum, citumque auxilium.*
Hildehulf	Hildehulfus	*Bonarum Indolum promotor.*
Heir	Heirus	*Dominus, Herus.*
Heer	Herus	
Halinne	Halina	*Omnia sua faciens.*
Helmont	Helmoldus	*Os Tartari, Inferni.*

I.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Ingund	Ingondis	*Omnino, plane, tota bona, ac proba.*
Isbrant	Isbrandus	*Isam ardens, amans, ambiens.*
Ise	Isa	*Glacialis, id est, frigida.*

Induitsmaer, Induciomarus Cæsaris Vide, *Onduitmaer.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Ideberg	Idaberga	*Idæ Deæ consecratus mons.*
Ide	Ida: Itis	*Nomen veteris Teutonum Deæ.*

Irmgard, Vide *Ermgard.*

K.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Kouu: Choun	Chuno: Cuno	*Audax, Imperterritus.*
Kundigund	Cunigundis	*Bona, ac prudens Audacia.*
Kounhelm, corrupte	Cenelmus	*Insigni galea fidens.*
Ketille	Cetillus	*Qui facile titillatur, commouetur.*
Katisfolc	Catiuulcus Cęsaris	*Populus miser, calamitosus.*
Kutbart	Cutbartus	*Obscœna Ethnicorum Teutonum nomina.*
Kutburg	Cutburgus	

L.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Lantprebt	Lambertus	*Ditionis ac Prouinciæ, potentia, & scutum.*
Lothart	Lotharius	*Cor plumbeum, id est molle.*
Lutfred	Lutfridus	*Pax Populi.*
Luthard	Luthardus	*Cor Populi.*
Lantreic	Lantricus	*Multorum agrorum possessor.*
Lantuveir	Lantwerus	*Proninciæ Defensor.*
Leeupold	Leopoldus	*Pes Leoninus.*
Leeumond	Lemontius	*Os Leoninum.*
Lantraad	Landrada	*Prouinciæ Consilium.*
Luthold	Lutholdus	*Lutam tenens, ambiens, procans.*
Luite	Luta	*Popularis, familiaris.*
Lutart	Lutardus	*Incessus Popularis: Cor Popularis.*
Lutgier	Lutgerus	*Populi Imperium affectans.*
Landegil / *Leutel*	Landegillus / Lutoldus	*Popellus: Populi infrequentia.*
Lau	Laudus: Laudo-	*Tepidus, ignarus, partium ac factionum.*
Lutgart	Lutgardus	*Populi Hortus.*
Luitvvijch	Ludowicus	*Via Popularis.*
Lootvvijch	Lodowicus	*Vicus plumbo abundans.*
Luitdolf	Ludolfus	*Populi Ensis, Gladius.*
Ludevvijc	Lidericus	*Diues hominum, id est, multis hominibus imperans.*
Leeunaert	Leonardus	*Leonina Indoles, natura, conditio.*
Leeuvvenhart	Leonhardus	*Cor Leoninum.*
Leuthof / *Luithulf*	Ludolfus	*Populi adiutor, Defensor.*
Luitvvin	Lutwinus	*Populum concilians, quo velit ducens.*
Landalt	Landoaldus	*Antiqua Prouincia.*
Luitmiren	Leudomirus	*Hominum instar formicum turba.*
Landevvijn corrupte,	Landelinus	*Terrarum domitor.*
Lijtvvijt / *Liedevvijt*	Liedewildis	*Fœmina ad tolerantiam nata.*
Leeuvvegard	Leodegarius	*Septum leoninum: Custos leonum.*
Lauhulf	Laudulfus	*Tepidum, exile, ac paruum auxilium.*
Laumaer	Launomarus	*Tepidus, ac subfrigidus, aliqua de re rumor.*
Leeubart	Leöbardus	*Barba Leonina.*
Leeuminne / *LeeuInne*	Leuina	*Leæna. Olim pronuntiabant* Leeuminne *leæna.* Coninc-minne, *Regis Vxor.* VVaertminne. *hospitis vxor aut amica. Sed postea Euphoniæ gratia abiecta liquida: M. dixerūt,* LeeuInne, Coninc Inne, VVaertInne, *ac sic de similibus.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Leugild	Leonigildis	*Leonina alacritas, ac feruor.*
Leeuvvin	Leowinus	*Leonum domitor, superator.*
Lauthilde	Lauthildis	*Regionis suæ naturam ac conditionem referens.*
Luitprand	Lutprandus	*Hominum Cremator, hoc est, in sui amorem ardens excitator.*
Lancfranc	Lancfrancus	*Diuturna ac antiqua libertas.*

M.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Manfred	Manfredus	*Pax virilis, firma, stabilis.*
Magidegisel	Magdelgisilus	*Virginum nomine Obses.*
Mervvich corrupte	Merouæus	*Via palustris, vliginosa.*
Mahtild	Mahtildus	*Fortis, ac robusta natura.*
Malsaet	Malsada	*Fatua, ac stulta propago.*
Maerscalc	Marscalcus	*Cautus limitum Præfectus, Custos.*
Marcmaier	Marcomirus	*Finium Præfectus.*
Manhard	Manardus	*Virilis Animus.*
Malhute	Mahuta	*Cute, carne fatua, lasciua, salax, petulans.*
Medart	Medardus	*Animosus cum cæteris multis.*
Mederijc	Medericus	*Inter alios Diues, Opulentus.*
Meine	Menio	*Meum, id est, proprium.*
Meinhulf corrupte	Monulfus	*Auxilium meum, mihique destinatum.*
Mangild	Manegildus	*Virili alacritate, roboreque prædita.*
Marthulf	Marculfus	*Martis auxilium.*
Meniraat	Menirardus	*Meum: à me datum consilium.*
Medehulf / *Meinhulf*	Medulfus / Meinulfus	*Socius, Auxiliator, Defensor.*
Middelburg	Milburgis	*Castrum, Oppidum in Prouinciæ medio situm.*
Mahtellend	Maxellendis	*Extrema calamitas.*
Malberh	Malaberga	*Mons morionum, stultorum.*

N.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Nootmeier	Nodomarus	*Præfectus necessarius. Ab Ammiano Marcellino, voce admodũ corrupta dictus: Chonodomarus.*
Naicthilde	Nanthildis	*Nuda, aperta Indoles seu Natura.*
Northert	Nortbertus	*Lignum aquilonare, id est, homo ita stupidus.*
Nooburg	Notburga	*Arx noxia, periculosa. Arx in extrema necessitate refugium præbens.*
Marcman	Marcomannus	*Vir Limitaneus. Marc, ac Merc lines est.*

O.

Oud — Ouda -- Oda - Vda — *Senior, ætate prouecta.*

Otvvin

Germanica.	Latina.	Significatio.
Otwin	Otwinus	*Ottonis victoria.*
Oltreic, corrupte	Vlricus	*Diues Annorum, id est, senex.*
Oltgoetrÿc	Orgetroix Cæsaris	*Antiqua iuste poßidens bon[a]*
Ortwin	Orcwinus	*A deuicta Prouincia dictus.*
Osterbert ac *Austerbert*	Austreberta	*Berta Orientalis.*
Othulf	Odolfuf	*Ottonis auxilium.*
Oltcommer	Outcommera	*Vetus, antiquum debitum.*
Ontcommer	Ontcommera	*Debitus ac Oneribus liberata.*
Othmaer	Othmarus	*Sparsus ab Ottone rumor.*
Onduitsmaer, vide *Induitsmaer.*		

P.

Pippin	Pippinus	*Proprÿ commodi studiosus, authore adr. Iunio.*
Puppe	Poppo	*Vir se inster Puppas comens.*
Plechelm	Plechelmus	*A galea diuersis coloribus variegata dictus.*
Puisin	Pusinna	*Fœlis nomen puellis datum.*
Pharamond, vide *Fraimont.*		
Pharahildis, vide *Fraihildis.*		
Philibert, vide *Fribert.*		

Q.

Quÿtheer	Quiteria	*Dominum, Herum deferens.*
Quinibert, vide *Cunibert.*		
Quaet	Quadus	*Malus, Inprobus, nequam.*

R.

Rÿcbart	Rigobertus	*Barba diues, id est, densa.*
Reinbart, corrupte	Rembertus	*Barba pulchra, decora.*
Rÿchair	Richarius	*Insigni coma ditatus, omatus, abundans.*
Rÿctrou	Rictrudis	*Fide ac constantia diues, id est, insignis.*
Ruimbolt	Rumoldus	*Sylua rara, infrequens.*
Reinolt	Reinoldus / Reinaldus	*Casta, iusta, pura, innocens senectus.*
Rÿcmar	Rigomarus, ac Ricimerus	*Rumor opulentus, id est, opulentiam promittens.*
Reinier	Reinirus	*Puris Renibus, id est, castus.*
Reinheer	Reinherus	*Probus, æquusque Herus.*
Reineer	Reinerus	*Syncera laus, honor verus.*
Reinhart	Reinardus	*Animus integer, sine fraude.*
Rolant	Rolandus	*Terra rufa, rubra.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Reichart	Reichardus / Reichardis	*Animus Diues opulentus.*
Reicvvair	Ricquardus	*Merx opulenta.*
Redegund	Radegundus	*Bonum, rectumque Conſilium.*
Robart:Rupart	Robertus	*Barba aenëa, barbaroſſa.*
Ruibbart	Rupertus	*Barba hiſpida, piloſa.*
Rathair	Rartherus	*Concilii, Conſilii Praeſes, Praefectus.*
Rothair	Rothardus	*Cohortis, aut Manipuli Praefectus.*
Rathilde, corrupte	Craphildis	*Alacris Indoles, ac Natura.*
Reinhelt	Reinaldis	*Probitas virilis, animoſa.*
Remaker	Remaclus	*Rei alicuius inſtructor, promotor.*
Rotolf	Rodolfus	*A deaurato breuioris gladii capulo dictus.*
Reimmar	Reimarus	*Pulcher, id eſt, bonus rumor.*
Reichin	Reicheincza	*Diues ac abundans Agris.*
Ramprecht	Rambertus	*Laudis, ac honoris dignitas.*
Ratprecht	Ratbertus	*Conſilij dignitas, vis, laus.*
Rootdier. Rogier	Rogerius	*Animal Rubrum, vt ſolent vocare Ceruos.*
Raitmond	Raimondus	*Os conſilio abundans.*
Ratvvijh	Radewichis	*Conſilio ſtrennuus locus.*
Raſimond	Raſimondus	*Os Inſanum, maledicum.*
Roſemond	Roſemonda	*Os Roſaeum.*
Roubart	Ruwardus	*Cor & animus poenitens. Dipthongo: ou, ſuauius prolata ſonat. Cor piloſum, qualia in Viris ferociſſimis reperta eſſe conſtat.*
Rathulf	Radulfus	*Conſiliarius, conſilio iuvans.*
Reinfred	Reinfredus	*Pax pulchra, grata, oportuna.*
Rangetru	Rangetrudis	*Anguſta, ac dubia fides.*
Rijchil	Rychildis	*Indoles magna, opulenta.*
Rijcgild	Rijcgildis	*Alacritate abundans, plenus.*
Ratbode	Ratbadus	*Nuncius diligens, famulus celer, efficax.*
Ratfreid	Ratfridus	*Pacem conſulens, ſuadens.*
Ragenfreid	Ragefredis	*Pacem pluens, ſcilicet eloquenti lingua.*
Rothulf	Rotulfus	*Cohortis praeſidium, auxilium.*
Reinhulf	Ranulfus	*Elegans ac ſumptuoſum auxilium,*
Raſryp	Raſipus	*Praecox praematurus: gallofrancice tempre meure.*
Regenſvvyt	Reginſwida	*Generalis pluuia. Faeminae nomen cuius garrulitas ac moroſitas omnibus nocet.*
Roomryc	Romaricus	*Romanae diuitiae, ingentes, magnificae.*
Roomvvalt	Romwaldus	*Potentia ac Robur Romanum, id eſt, ingens.*
Ruimfaert	Rumpharius	*Amplo nauigans canali ac flumine.*

Scarprebt

S.

Germanica	Latina	Significatio
Scarpreht	Scaprehtus	*Ius summum, ad vnguem examinatus.*
Scairpreht	Scerebertus	*Exercitus potentia, gloria, dignitas.*
Sindulf, vide *Zinbulf.*		
Scilpereic / *Scildreic*	Scildericus	*Scutato abundans milite.*
Stilchild	Tilthildis / Telechildis	*Modesta Indoles, ac natura.*
Svvaen, diminutiuum *Svvaenken*	Swaner	*Oloris instar candida.*
Soet: Soetken, vide *Zoet.*		
Sigefreid	Sigifridus	*Pax fœlix, boni ominis.*
Sigebart	Sigibertus	*Barba victoriosa, id est, post victoriam sumpta, aut posita.*
Scalc	Scalco	*Astutus, vafer, callidus.*
Scildebert	Scildebertus	*A Scuti duritie ac firmitate dictus.*
Sonderraet	Sanderadus	*Consilij inops, carens,*
Salberg	Salaberga	*Mons ad flumen Sala, nunc Isala, situs.*
Soxburg	Sexburgis	*Sex Imperans Arcibus.*
Sigismond, vide *Zeigensmond.*		

T.

Germanica	Latina	Significatio
Toutbric, corrupte-	Theodoricus	*Virtuosus, plenus virtutum.*
Tietric, corrupte-	Theodorus	*Factis heroicis inclytis. Abundans gratia diuina.*
Tilchild, vide *Stilchild.*		
Tietberg	Tietberga	*Mons diuinus, Deo sacer.*
Tietpreht, corrupte	Theobertus	*Diuina potestas, Dignitas, honor, laus.*
Tantkreit	Tancredus	*Laborans è Dentibus.*
Thietbald corrupte	Theobaldus	*Cito diuinus, inter Diuos relatus.*
Thietdart corrupte	Theodardus	*Diuina inspiratione audens.*
Thietdair corrupte	Theodarius	*Diuina ope ad aliquid peruentus.*
Thietgair corrupte	Theodogarius	*Diuina ope recte valens.*
Thietdolen	Theodolus	*Diuina ope non errans.*
Thiethulf	Theodulfus	*Diuinum auxilium.*
Thietmaer	Thietmarus	*Rumor Diuinus.*

V.

Germanica	Latina	Significatio
Vltreic, vide Altreic.		
Vnfred	Vntredus	*Contentiosus, turbulentus, inquietus.*
Volcher	Volkerus	*Populi Dominus.*
Volcvvin	Volçquinus	*Populi Lector, bona ratione domitor.*

Germanica.	Latina.	Significatio.
Volchart	Volcardus	*Populi Cor, id est, Robur, fiducia.*
Veelleets	Velleda Taciti	*Infœlicium Ominum Vates.*
Vbald	Vbaldus	*Cito tuus, subaudi futurus, aut futura.*
Volmar	Vulmarus	*Plenus Rumorum, Rerum noVarum.*
Verzintgoetrijc	Vercingetorix Cæsaris	*Fœlix, diues excogitandis bonis consilijs.*
Vandegesellen	Vandregisilus	*Vnus ex illis.*
Vsuart, vide *Hu. sVVaert.*		
Vaertgaern	Vertegernus	*Lubenter nauigans, nauigatione gaudens.*
Viridomarus vide: *VVaremair.*		
Vergasilaut	Vergasillaunus	*Senectute periturus.*

VV.

Germanica.	Latina.	Significatio.
wilbald	wilibaldus	*Voluntatis propriæ præceps executor.*
wimont	wimo	*Os patulum.*
winzin	winzinus	*Sensuum humanorum Conciliator. lucrator.*
waldemair	waldemarus	*Rumor Violentus.*
wildekint	wildekindis	*Puer ferus, Violentus durus.*
witekint	witekindus	*Puer candidus, albus.*
wilgaetfoort	wilgefortis	*Voluntas mea, Velint nolint, fiat.*
wilde	wildis	*Fera, Violenta, agrestis, dura.*
walderaat	walderanus	*Consilij magni, Consilio pollens.*
waltheer, *woltheer*, *woutheer*, *wouter*	walterus, waltherus, walgerus	*Syluæ, Luci, Nemoris Dominus aut Præfectus.*
waremair corrupte Viridomarus Polijby & Cæsaris		*Rumor Verus: fama certa.*
walfreed	waldefridus	*Pax terrëa, id est, mollis, instabilis.*
werenfrede	werenfridus	*Pacis impeditor, euersor.*
wermenbaut	wermebaudus	*Brachia calida, id est, delicata, commoda.*
wermenbant	wermebandus	*Cingulum calidum, id est, commodum.*
wibrant	wibrandis	*Late spargens flammam scilicet sui desiderij.*
welberade	wilberada	*Bonum rectumque sequens consilium.*
werenheir	wernherus	*Dominum Vitans, fugiens.*
warnar, *wairnar*	warnerus	*Plane, stolidus, stultus, fatuus, Vecors.*
wairnheer	warnherus	*Absolute, Vereque Dominus.*
wolfgang	wolfgangus	*Incessus Lupinus.*
wolffang	wolfardus	*Luporum captor, domitor.*
wolfhelm	wolfhelmus	*Galea lupina, scilicet eius pelle tecta.*

wolf.

Germanica.	Latina.	Significatio.
wolfgardorf	wolfgardorfius	*Luporum ad internecionem deletor, extinctor.*
willehad	willehadus	*Plane Voti compos.*
walburg	walburgis	*Arx munitißima, huius constantiæ fœmina.*
winoc	winocus	*Fœlix in rebus agendis.*
walraat	walrada	*Bene recteque consulens.*
witeburg	witeburga	*Album Castellum, arx ampla. Fæminarum nomina, allegorica, ac metaphorica.*
wolbart	wolbartus	*Barba lanëa, prima lanugo.*
willebort	willebordus	*Voluntatum explorator, vt dolabra ligni,*
waltdier	walderus	*Animal syluestre, immorigerum.*
waltgier	walgerus	*Vultur syluestris, eius animi homo.*
warmbolt	warboldus	*Idem quod VVarmenbaut.*
winvvaelec	winwalocus	*VValonum locorum occupator.*
wolstaen	wolstanus	*Firmis Tilijs, ac Pedibus.*
warenfrede	werenfridus	*Pax syncera, ac vera.*
waltru	waldetrudis	*Fides instar Valli firma.*
wasmaer, corrupte	Vrsmarus	*Rumor horarius, ad horam tantum durans.*
wandelbart	waldebartus	*A crebra peregrinatione dictus.*
wisbode, corrupte	Disbodus	*Certus, fidelis Nuncius.*
walrijc	walericus	*Diues Oppidorum Vallis cunctorum.*
waltfrede	waltfridus	*Pax violenta, coacta, imposita.*
walpert	walpertus	*Valli munimentum, Robur, fortitudo.*
wanijng	waningus	*Opiniator, variis deditus opinionibus.*
wairlezer	warlesus	*Creber verarum Rerum commentator.*
witmund	witmundus	*Ab oris candore dictus.*

Z.

Germanica.	Latina.	Significatio.
Zingoetrijc	Cingetorix Cęsaris	*Fœlix quod bono sit præditus animo.*
Zegenrcic	Segericus / Zigistericus	*Multis Victoriis diues: Victoriosus.*
Zinhulf	Sindulfus	*Animo, ac Consilio iuuans.*
Zouraert	Zoërardus	*Acida ac dura natura, Indoles.*
Zoet: diminituum		
Zoetken	Zuta	*Dulcis. Græcis, glycerium.*
Zeigenfred, vide *Sigefred.*		
Zeigenbart, vide *Sigebart.*		
Zeigensmond	Sigismondus	*Os victoriosum ad verbum, hoc est diuinum, honestū bene de omnibus loquens, nemini maledicens, nec detrahens. Contrarium est*: Boosmond, Zeigen *enim germanis olim & hodie, inter alia sonat victoriam, ac quod Theologi dicunt; benedictionem.*

SImilia innumera, vbiq; fere obuia, per se Diligens lector facile obseruabit ac examinabit, maxime si Superiorem ac Inferiorē Germanicam intellexerit linguam. Vtraque enim veterem proprietatē, breuitatem, opulentiā, puritatē, compositionis facilitatem, ac fœlicitatem, monosyllabarumque multitudinem retinet, enunciatio autem, ob diuersarum nationū inter se commixtionē nōnihil est immutata. Germani enim veteres, imo primi fere homines infantibus, vt nunc facimus, nomina non dabant, sed cum prouectior aduenisset ętas ac cum de indole, ingenioque nonnihil iudicari poterat, quibus opinione, aut rei varitate perceptis, e re nomen fabricabant, ac puero, vel puellæ dabant, vt clare & perspicue, ex etymis liquet. Plures qui cupit Nominum Propriorū expositiones, aut parum e nostris diuersas, veterū Cimbrorum, Gothorū, VVandalorum, Germanorum, Alemannorum, Burgundionum, Francorum, Longabardorum, qui omnes Teutonica locuti sunt lingua, enunciatione, ac dialecto, parumper immutata, consulat Laziū in Commentarijs, Austriacis, Ioannem Goropiū Becanum in omnibus Operibus, Beatū Rhenanū in fine librij Tertij Rerum Germanicarum, Hadrianū Iunium capite vltimo historię Batauicę, ac plerosq; alios, è quibus pauca in hunc Alphabetariū Indicem descripsimus, cætera ipsi excogitauimus, non leui tamē adhibita examinatione, ac iudicio. Hoc vnum addo, me nulla hic attulisse, Virorum nec Fœminarū nomina, à me conficta, sed tantum ea, quæ aut hodie etiamnū inter Christianos sunt in vsu, aut olim fuêre, nunc vero desiere, inueniri tamen in diuersarum Diocæsium (vt Christiani hodie loquūtur) Breuiarijs, ac Martyrologijs aut ea nomina quę repperi apud historiophos Latinos, Gallofrancicos, ac Germanos, qui duobus aut tribus post natum Christum scripsere seculis, ac imprimis qui res Burgundionum Gothorum, Longobardorum, Francorum, Alemannorum, similiumque tractauere, quorum scriptores (qui pro magna parte fuere Sacerdotes, aut Monachi linguæ germanicæ imperiti) adeo hæc Teutonica nomina distorsere, ac corrupere (dum è puris putis germanicis aut Latina facere volunt, aut saltē ijs assuere latinas terminationes) vt non Germanica, sed Antipodū videantur esse nomina. Verū cum prima, media, postrema, aut non raro duæ syllabę germanicam originem olfaciendā emunctę naris lectori se offerát, serio ac studiose nomen inspicienti, etymon se quoq; tandē, non difficulter prębat. Potuissē plura è dictis locis, ac authoribus adferre hominū nomina, sed cū in cōpositione mihi non appareret, primam, mediam, aut postremā syllabam mere esse germanicā, dubitans cuius id nomen esset Gentis, relinquere malui, quā temere de eo coniecturā facere, quemadmodū & abstinui, à nominibus quæ putabā esse Bohemica, Polonica, Lithuanica, Hungarica, ac vicinorū eorum, etsi non pauca cū Teutonibus habeant communia. Fruere his Amice Lector, saluo in omnibus iudicio, ac Coniectura tua, conatūq; nostrū, quęso in bonam partē, pro tua humanitate, interpręetator, ac in sempiternum mente, Animoque recto Valeto:

CLARIS-

CLARISSIMIS, DOCTISSIMISQVE VIRIS D. PETRO AC D. LVCÆ OPMERIO FRATRIBVS GERMANIS, BELGARVM PRINCIPIS IN CONCILIO RERVM MARITIMARVM CONSILIArijs Fidelissimis ac Vigilantissimis.

Epistola Authoris Dedicatoria.

LIBELLVS *hic ante annos quindecim, à me Viri Clarissimi est conscri-
ptus varijsque viris litteratis communicatus, vt ijs aliqua ratione satis-
facerem, qui ægre tulerant, quod historiæ meæ Tomo primo, qui de rebus
tractat Burgundicis honorificam subinde mentionẽ de Liberis illustrium
virorum nothis facerem eorumque res gestas, eodem tenore, stylo, ac ora-
tionis cursu enarrarem, quo maximorum Principum acta, & quod indi-
gnum, minimeq; ferendũ censebant genealogias quoque eorundẽ contexerem, cæterisq; cunctis
in lucem ederẽ. Hæc quũ ad aures meas peruenissent, à risu abstinere non potui, dolui tamen pluri-
mum tantũ reperiri humanis in iudiciis cæcitatis, vt offendant vbi vere nullũ est offendiculũ, nul-
laq; asperitas: tuto, ac audacter inter præcipitia, rupes, spineta, saxa, ac voragines progrediantur.
Oritur hæc iudiciorũ miseria, aut è præiudicata, temereq; suscepta de re aliqua opinione, aut quod
non satis vt decet re perpensa, examinataque iudiciũ de ea ferant, antequã cognoscant. Vt opus
aliquid horum iudicijs afferrem, Libellum de Libera hominis natiuitate, seu de Liberis natura-
libus ex omnibus collegi IureC^tis: qui in hunc vsque diem aliquid hac de re in lucem emiscere,
iunxique ea quæ ex alijs Disciplinis huic materiæ seruire videbantur, quæque mihi hoc longo
vitæ decursu continui studij exercitium, memoriaque adhuc vegeta suppeditare volebat.
Secutus vero sum imprimis imo fere in Epitomen redegi, doctissimum de Liberis Spuriis ac nothis
Librum Illustrissimi Cardinalis D. Gabrielis Palæoti; mei intermixtis horti floribus, ac ordine
paulo propter breuitatem commodiore, ita tamen vt Lector, nil merito quod ad hanc Illustrãdam,
facere possit materiam, desiderare debeat. Addidi exempla nostri sæculi illustriora, vt luce cla-*

rius conſtet, quam inconſiderate iudicent, qui iniquius de Liberis nothis quam maiores ſui, generoſique omnes viri fecere, pronuntiant. Veſtræ autem prudentiæ, hunc defendendum tradere volui Libellum, quod non raro cum iniquis, cæciſq; ambitione, ac auaritia iudicijs, certamina vobis magna fuiſſe vidiſſem, ac proinde qua ratione his obuiã eundem, reſiſtendumq; ſit, optime perdidiceritis. Dandũ etiam hic iudicaui communi patriæ hollandiæ ac Delfijs noſtris, tum etiam affinitati vt vobis hoc Opuſculum inter varios amicos dedicarem. Accipite in bonam partem, ac conatum boni conſulite. Fateor opuſculi pauca folia, vix alicuius præclarioris viri nominis inſcriptionem merentur. At ego non ea numeranda, ſed rem contentam ponderandam cenſui, quam ſi eruditus aliquis (mihi enim non ſuppetit otium) extendendam ſuſcipere dignaretur, bone Deus quam in immenſum creſceret opus? pulcherrimaſque materias, formis decentiſſimis ornandas præberet? auidumque lectorem ſatiaret. Sed iam finem facio, ne epiſtola libello ſe æquet, veſtriſque iudicijs in rebus magnis iamdudum Reipublicæ notis ac expertis, hunc qualemcumque meum luſum audacter committo, vt in eo quemadmodum ego feci, ſeruato animi candore, mentiſque ſynceritate, ludatis & rideatis, meque defendatis. E fano Diui Trudonis, Idibus Martij, Anno 1599.

Veſter vt Suus.

Pontus Heuterus Delfius affinis.

DE LIBERA HOMINIS NATIVITATE:

SEV DE LIBERIS NATVRALIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Paratitla.

1. *Hominnm Natiuitas natura æqualis.*
2. *Qua de causa sit distincta.*
3. *Natura Hominis vitiosa.*
4. *De ea restituenda discrepant Theologi ac Philosophi, maxime de hominis natiuitate.*
5. *Hominum de Hominis natiuitate inter se dissidentium hoc seculo, quatuor præcipua genera.*

HOminem ab Homine, ac Sole generari trita apud omnes est, accepta à Philosphis sententia, nullusq; sensus cōmunis capax ignorat, commune esse Regibus, Imperatoribus, ac Principibus, cum infimæ, sortis hominibus, vt patrem virū, matrem fœminam hominem habeant, quantū tamen alter ab altero discerni velit, tum discimus, quum orta inter homines è leuissima etiam causa controuersia, mox eos in ore habere audimus: Quid hic sibi vult? An se mihi parem existimat? comparari mecum vult? ignorat generis sui vilitatem? nouit ne meam claritatem? Discat si ignorat, mihi cedat, caput submittat, me loquente taceat, superiorē mihi locum tribuat, honorem prior exhibeat, vxor eius meæ locum faciat, ac similia quæ inter Viros primum nata, vultu, oculisque explicata, mox, a fœminis ingenti verborum pondere, ac morosâ, fastidiosaq; garrulitate effutiuntur. 1.

Orta est hæc tyrannis, ex optima graduum Reipublicæ institutione, quos sensim (crescentibus priuatis opibus superbia, arrogantia, fastus, sui amor, insolentia, ac ambitio infecere, tandemque omnino deprauauere. Homo enim homini præferri volens, vix parem ne dicam superiorem, nisi coactus ferre cœpit, omnes vero sibi subditos videre cupiuit. Hinc primum dissidia, rixæ, contententiones, deinde bella, omniaque violenta erupere. Superiores meliores esse ac haberi voluere, adorari venerari dixere, pro Dijs reputari, honorari appel- 2.

lauere, ligneam lapideamque idololatriam sustulere, viuorum hominum violenter induxêre. Vnde autem oriantur vitiosissimi hi affectus, facile illi percipient, qui in rerum optimarũ inquisitione versantes, vt à crassissima vulgi ignorantia liberentur, summo studio connituntur. At quæret aliquis vnde hæc sæua cupiditas omnia possidendi, omnibusque imperandi. Peruestigare ac disputare hæc, instituti libelli breuitas non permittit. Istud tamen etiam oculi nostri carnei vident, ignorantiam deprauare hominis iudicium, arbitrium, ac veri boni appetitum. Cupimus enim omnes bonum, sed in electione toto cœlo erramus, qua autem ratione, quærendũ est à Theologis, ac Philosophis, diuerse tamen, hac de miseria sentientibus, sed in eo consentientibus, cęcam esse hominis naturã obscurumque iudiciũ. Sed cum de restitutione agunt, in primis apicibus ex diametro discrepant: in consilijs vero, doctrinis, ac legibus non adeo vehementer. Parum autem eos conuenire de hominis natiuitate (quæ à plęrisque in Naturalem ac Legitimam distinguitur) non solum ex eorum scriptis legibusque, sed imprimis ex omnium Populorum, Gentiumque moribus palã est. Agrestiores enim, rudioresque Populi, quos Barbaros vocamus, sine vlla distinctione secundum naturam viuentes, liberos vtriusque sexus simpliciter agnoscunt, ęquo omnes loco habent, eadem ratione enutriunt, fortunas in commune relinquunt. Gregatim enim agentes Matrimonij ac Coniugij legẽ, non ex hominũ institutione, sed è communis sensus iudicio, recepto inter se more, è propriæ voluntatis motu, instinctuque, seruant, ac metiuntur. Quare fit, vt nulla relligione, nullis legibus, nullius imperio liberis suis deuinciantur, sed solo naturę impulsu hos diligunt, illos contemnunt, alios pro affectuum impetu, etiam odio habent. At Nationes & Populi, Relligione, & legibus colligati, quique Imperia agnouere, ac etiamnum agnoscunt, naturalia cum barbaris communia habent, legitimis vero decretis, quæ barbari ignorant volentes, aut coacti parent. Horum nostro sæculo in cognito Terrarum orbe, quatuor sunt genera. Inter primos statuo Paganos aut Ethnicos, certis Imperijs, ac legibus parentes, qui vnum verumque Deũ publice non colunt, sed aut nihil, aut Dei loco eius creaturas venerantur. Secundi generis facio, veteres Hebræos. seu Iudęos. Tertio loco habeo Mahumetistas (vulgus Turcas vocat) qui vnum, verumque Deum, sine notitia, in summa ignorantia inuocãtes, præcipuis, ac maxime necessarijs, quibus ad eum scanditur medijs, & remedijs destituuntur. Quarto loco colloco Christianos, qui vnum, verumq; Deum in Trinis inuocantes personis, meritis Iesu Christi salutis humanæ reparatoris, exaudiuntur ac ad Deum perueniunt. De Barbaris enim, ac Agrestibus hominibus, qui nulla pietate, nec certis parent relligionibus nec legibus, sed promiscue viuunt, iam scripsimus, quibus si coniunxeris Relligionum contemptores (quos græci ἄθεοι latini Impios vocant) ac eos qui à Maiorum institutis deficientes, impuram, ac non raro horrendam amplectuntur libertatem, à scopo, propositoque nostro non aberrabis. Nunc quatuor à nobis constituta, legibus ac Relli-

Relligioni parentium hominum genera, quo ij loco Coniugia ac liberos habeant, examinemus, deinde cętera ad hanc materiam spectãtia percurramus. Et primum quidem Ethnicorum, seu Paganorum mores, inspiciamus.

CAPVT SECVNDVM.

1. *Coniugia partim legibus, partim Natura sunt constituta.*
2. *Primi homines quot volebant, ducebant Vxores, liberos omnes eodem loco habebant.*
3. *Vxores accipiebant è sanguine iunctis, aut non iunctis.*
4. *Natura in se peccantes punit, pro ratione criminis.*
5. *Primi homines etiam sorores vxores duxere.*
6. *Iudæis Consanguinearum nuptiæ iniunctæ.*
7. *Quare id Christianis vetitum.*

COniugia ac Matrimonia partim legibus partim natura esse cõstituta 1. non ab hac vel illis solum orta, apparet ex ipsis hominum moribus qui facillime leges suarum Ditionum in Coniugijs violant, ac ad vagam, effrenemque libertatẽ, nullo metu nec pudore ruunt, adeo vt in huius rei considerationem incidens tecum dubites virilis ne an fœminæus sexus hic sit inconstantior, tamque vehemens est in homine hic liberrimus appetitus, vt multi in transuersum eius æstu ardoreque abrepti, naturæ septa ac limites transiliant, horrendisque vsibus se mancipent, ac contaminent. Quia appetitus miseria commoti prudentiores, ac continentioris conditionis homines, quæsita quæ ad genium responderet fœmina, in vnum data acceptaque vtrinque fide conuenêre, ac conciliante, coniungenteque eos Amore ac Voluptate, suauius se multo ac quietius viuere sensêre, quam cum vagarentur. Hos cum imitari vellent cæteri homines, non æque diu ac constanter fidem seruauere. Frigescente enim amore, Voluptati quam cum vna continuo hauriebant fœmina, fastidium subsequebatur, nolentes nec valentes ferre morositatem, garrulitatem, aliosque fœmineos affectus, aut propria incontinentia ordinem nec modum admittente. Quare fiebat vt facillime non ita pridem inita coniugij societas rumperetur. Vnde liquet naturam plus in hominis natiuitate, habere iuris, quam leges. Hanc legum matrimonialium imbecillitatem ac Coniugiorum confusionem, vt Principes ac Respublicæ pro parte tollerent, Imperiaque sua stabilia, ac maxime diuturna efficerent, varias leges pace belloque vtiles,

tulere, quas quamdiu ipsi eorumque domestici obseruauêre, Populũ obsequentissimum habuêre, rebellem vero ac exlegem cum eas transgredi cœpêre. Inter latas ab ijs leges Coniugij statuta postremum non inuenêre locum, veteri tamen naturali libertate non plane abrogata, sed tantum in ordinem redacta, vt apparet in claris Rebuspublicis, & amplissimis Asiæ, Africæq; in hodiernum vsque diem Regnis. Chaldei enim ac Assirij, Medi, Persæ, Syri, Ægyptij, Parthi Arabes, Æthiopes, Numidæ, Mauri, Indi, Schytæ nunc Tartari, Tyrij, Sidonij, Carthaginienses, cæterique Populi falsis seruientes Dijs, legibus tamen parentes Coniugia agnouere, ac semper in vsu habuere, ita vt quot vellent, ducerêt vxores ad genium non respondentes, facto diuortio dimitterent, aliasque ducerent. At susceptos ex his liberos, eodem loco habebant, alterum altero non præferebant, nisi ætatis prærogatiua exegisset, aut magnæ indolis spes coëgisset, vel stulto aliquo affectu desipientes errassent, quod etiamnum hodie vsuuenire uidemus. Hunc omnium Ethnicorum ac Paganorum qui Imperia, ac Respublicas, legibus ac relligione constitutas habuere morem fuisse, nulli non est notum qui in Grecorum ac Latinorum historijs, vel tantillum est versatus.

3. Illud vero liberum Populis omnibus (exceptis Christianis) leges cum natura reliquere, vxores è sanguine iunctis acciperent, Nam hæc quoque res legis est non naturæ, ac qui hæc septa transiliunt, non in naturam, sed contra leges peccant. Nullum enim naturæ à rerum Creatore datum est ad animalium generationem impedimentum modo diuersi inter se sexus, sanis corporibus conueniant. Non illa matrem, nec sororem, sed Pudor, Verecundia, ac honestas legibus ornatæ, reijciunt: Sanguinem non horret, sed cum subinde vehementissime appetat, Iuris, legumque reuerentia, abstinet.

4. Qui contra naturam peccat, ab ipsa punitur natura. Constituit enim eam Deus æquissimam, iustitiæ suæ, hac in re, executricem. Qui enim edit & bibit quoniam esurit, ac sitit, non peccat. Sed qui hæc facit vt gulæ auiditati satisfaciat, quum se egtegie ingurgitarit ac farcierit, vel altero, vel eodem die criminis contra naturam commissi, non leuem subinde sentit pœnam, tanta pro peccati conditione, adhibita moderatione, vt satis stupendam mirari non possimus Dei sapientiam. Etenim humanæ leges non raro ex affectu, fauore executoris, aut certa vi impeditæ, coactæque, in sumendis, aut remittendis pœnis, moderationem non vt natura seruant. Posse autem secundum Naturam sumi vxores, aut maritos (nisi lex vetet) è sanguine iunctis, Naturæ in hominum ortu operatio, primorumque creatio satis docet. Deus enim Adamo vxorem è sanguine carne, ossibusque eius excitatam creatamque dare voluit, ac talem Euæ maritum, quum tamen si natura reclamasset, æque facile Deo fuisset Euam è terræ limo, quam Adamũ fecerat aut aliunde excitare, ac ab initio centena imo millena aliquot, virorũ ac fœminarum millia, è terræ puluere aut alio elemento educere, ne sanguine, carne, ac ossibus iuncti, generationi operam dare cogereutur.

5. Verum cum hac in re nulla concurreret, inter Deum, ac naturam, difficultas, voluit primi homines

mines

mines, etiam ſorores acciperent vxores, nulla conſanguinitatis, nec affinitatis ratione habita, ſed tantum moderatione, ac fræno vim huius affectus, Naturã varijs obſcœnis cupiditatibus, oppugnantis, temperarent, ac reprimerent, niſi ſe ſeuere, dureque in eum qui tranſgreſſus eſſet, vindicare mallent. Iudæis certe conſanguinearum, nuptiæ, à Deo fuere legibus præſcriptæ & quo Tribuum ordo conſeruaretur imperata è quarum vna, nimirum Iudæ Chriſtum redemptorem, naſci neceſſe erat, cuius abſoluta legatione, Deus abrogatis Iudeorum legibus, vniuerſi orbis Terrarum homines, ſub Chriſto capite conuenire, vniri, ac in vnum coire voluit, ad quam rem facilius conſequendam, Spiritus Sanctus Eccleſiæ prçcepit, dimiſſis conſanguinearum nuptijs, homines Chriſtiani in quinto ſanguinis gradu, cuiuſcumque Regionis, ac linguæ forent, matrimonia contraherent, liberos procrearent, quo hac ratione coälita, concretaque ſub Chriſto capite, diuerſiſſima membra amicitiam, ac dilectionem, tantopere Deo probatam, ſimilemque, colerent, fouerentque. 6. 7.

CAPVT TERTIVM.

1. *Iudæos Complures habuiße vxores, exemplis docetur.*
2. *Ex Ancillis natos, pro legitimis habuere.*
3. *Adulteros lapidatione puniere, in horum tamen liberos nil grauius conſtituere.*
4. *De Iſmaele, ac Eſau, hoc legitimo; illo naturali, vtroque tamen à Deo reiecto. Exempla Pologamiæ.*

CVm Paganis, ac Ethnicis, veteres Iudeos, ſtante eorum Republica ac Imperio in multis couueniſſe, ſacræ docent literæ, eorum ac Græcorum lingua exaratæ. Nam ante & poſt Diluuium, viros Deo gratos complures habuiſſe vxores notiſſimum eſt liberoſque ex his natos eodem fuiſſe loco, vel ex Patriarcha Iacobo, luce clarius apparet. Is enim duas ſorores, diuerſis temporibus ductas, ſimul ſecum viuentes liberos ei parientes in matrimonio habuit, harumque Ancillas, vt herarum ſterilitatem ſupplerẽt, inijt, generiſque Iudaici Patres, Tribuum Authores ex his procreauit. Moyſe vero legem ſcriptam à Deo accipiente, reperimus in adulteros vitæ ſuppliciũ lapidatione conſtitutum: Virginis corruptorem, ducere, aut dotare coactum, de liberis vero in adulterio aut corruptione conceptis, ne verbum quidem fecit, indignum iudicans, qui veros certoſque agnoſcerent Parentes, bona nulla, cognatos, nec affines haberent, quare in familijs manere voluit, dum nil pro nec contra hos, Moyſes ſtatuit. Fxemplum illuſtre habemus in Dauide qui extremis 1. 2. 3.

mis

mis præcibus ac lacrymis, apud Deum laborauit, vt infans è Berſabæa Vriæ Hethæi vxore à ſe in adulterio conceptus viuere poſſet, eundemque Dauidem non puduit nominare Solomonem poſt ſe Regem (cæteris filijs prætcritis) qui ex eadem Betſabęa, à ſe adulterio polluta, illicito coitu (vt non exigui nominis volunt authores) erat procreatus. Nil dico de Polijgamia, quam à Moyſe non ſublatam, ſed inſuper permiſſam, quę eum ſunt ſecuta tempora probant. Quas autem Scribæ ac Phariſæi, ſummam inter Iudęos poteſtatem nacti, ſubſequenteſque Rabbini, de liberorum natiuitate leges induxere, nil moror. Authoritatem enim non merentur qui violentas conſtitutiones, præter Legiſlatoris mentem compendij ſui cauſa populo obtruſere. Nec eſt quod mihi obiiciant 4. Iſmahelem è Serua Agar Abrahamo natum, domo cum matre eiectũ. Id enim arcanum, Theologicumque habet ſenſum Dei enim iuſſu, non Abrahami voluntate eiecta eſt cum filio Agar, cum Angeli præſentia cuſtodita, conſolataq; eodem iubente Deo fuerit. Neque dubium eſt Abrahamum, affectu vxori: Saraij dediſſe, vt ad tempus cum matre exularet Iſmael, prouidiſſeque vtrique abundater de rebus neceſſarijs, vnde poſtea Iſmaëli (Deo res eius prouehente) inmenſæ opes, ac poſteris Arabum Regna obuenere. Fieri enim non poterat, vt cum rogante petenteque Saraij Iſmahelem Abrahamus, ante Iſaäcum procreäſſet, vt tantæ bonitatis, manſuetudiniſque Patriarcha, naturalem omnem exueret affectum ac στοργὴν erga filium quem ſuum eſſe nil poterat addubitare. Si me roges, quare tam pauca de Iſmaëlis fortuna Moyſes libris mandarit, rogabo & te quare idem fecerit de Eſau Iſaäci Patriarchæ filio natu maximo, cum Iacobo ex eadem matre, iuſta vxore, non è ſerua Ægyptia nato. Ratio in promptu eſt. Deus enim ſeriem Patriarcharum, non ex Iſmaële nec Eſau, ſed ex Iſaac ac Iacobo deducere voluit. De pluralitate vxorum, accipe & aliud è ſacro Iudicum libro cap. 8. exemplum, vbi narratur Gedeonem, fortiſſimum Iudęorũ Ducem, ac quadraginta annis Iudicem, è diuerſis vxoribus reliquiſſe, „ ſeptuaginta filios, idque his verbis: Abijt itaque Ierobaghal (ſeu Gedeon) filius „ Ioäs, & habitauit in domo ſua, habuitque ſeptuaginta filios, qui egreſſi ſunt de „ fœmore eius, eo quod plures haberet vxores. Concubina autem illius, quam „ habebat in Sichen, genuit ei filium nomine Abimelech. Aliud habes exemplũ cap. 12. de duobus alijs Iudęorum Iudicibus, Abeſan qui habebat triginta filios & totidẽ filias: Abdon, qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſupra ſeptuaginta pullos Aſinarum, quem liberorum ampliſſimum numerum, non ex vna, ſed è pluribus, eos ſuſcepiſſe vxoribus, certum eſt. Primo Regum cap. 1. aliud habes exemplum de Elcana, Prophetæ Samuelis patre, qui duas habuit vxores, Annam ſcilicet, ac Phenennam, & ex vtraq; liberos Deo gratos, eodẽque illi loco habitos. Atqui vt πολυγυνεῖα Iudæis fuit vſitata, ſic Amicarum, Concubinarum, aut Seruarum liberi eodem cum cæteris loco ſunt reputati, vt & ante legem fuiſſe, & in lege, nil contra ſancitum eſſe iam diximus. Itenim niſi vxorum pluralitas vſitata Iudæis ac à Patriarchis,

horum-

horumque maioribus per manus tradita in Ægypto habitantibus, in more fuiſſe, nonne Elcanam, Gedeonem, ac qui idem horum tempore auſi fuiſſent, merito de adulterio accuſaremus. Verum Elcana qui è ſanctiſſima fœmina Anna, filium ſanctiorem Samuelem genuit, peccare contra maiorum inſtituta, minus contra Dei præcepta voluiſſe certum eſt. Si enim vnica vxor præceptũ Dei, aut mos patrius Iudæis extitiſſet, neceſſario Anna, aut Phenenna pellex fuiſſet, Elcana vero adulter, ac proinde cum poſtrema, è Dei præcepto lapidandus. Vnde ſatis apparere arbitror, vulgatum vſitatumque Iudæis fuiſſe, qui voluiſſet plures vxores duceret, eaſque ſanguine ſibi iunctas, aut etiam ſanguine non iunctas, modo eiuſdem forent Tribus, quanquam in ſacris literis non ſemper huius rei fiat mentio, narrationis neceſſitate, id ſemper non exigente. Adde quod nulla in Elcanæ facto allegari poſſit allegoria, qui homo priuatus fuit, filij Samuelis gratia, in ſacris literis, ſemel tantum nominatus. Eadem fuit Gedeonis cauſa, antequam à Deo contra Madianitas, Dux Iudeorum conſtitueretur, homo plane priuatus, in Tribu manaſſes, imo & familia ſua minimus. De Dauide, ac Salomone ſanctiſſimis Iudæorum Prophetis, ac Regibus, qui è diuerſis vxoribus, vtriuſque ſexus liberos genuere, alia eſt ratio, ac proinde hic nihil dico.

CAPVT QVARTVM.

1. *Mahumetiſtis Coniugia Viris liberrima, fœminis ſerua.*
2. *Tacitus Populorum conſenſus, Vxorum pluralitatẽ abrogauit.*
3. *Concubina, ac Conuiuium, vnde dicta.*
4. *Multis Regibus, exitioſa Vxorum multitudo.*
5. *Vxorum pluralitatem, nil obſtitiſſe, liberorum legitimationi.*
6. *Adoptio Quid. Optime inſtituta.*
7. *Ethnici, Iudæi, ac Mahumetiſtæ inter liberos, è diuerſis fœminis ſuſceptos, non diſtinxere.*

DE Mahumetiſtarũ relligione tractare, non eſt huius inſtituti quemadmodum nec de eorum legibus, niſi de Coniugiorum, ac Liberorũ conditione. Eſſe autem apud eos matrimonia Viris liberrima, fœminis admodum ſerua in aperto eſt, imo qualia olim, & adhuc hodie, omnium fere ſunt Aſiaticorum, ac Afrorum Coniugia, cum quibus veterũ Romanorum (de quibus paulo poſt agemus) ferme per omnia conuenêre, excepta πολυγαμία quæ etſi Africanis Regibus, non minus quam aſiaticis fuerit pecu- 1.

2. liaris, Populo tamen (quanquam lege non prohiberentur) non fuit promiscue in vsu, quemadmodũ nec vetustioribus Imperijs, Regnis, nec Rebuspublicis quibus supra capite tertio, sed communis Populi tacitus consensus, vxorum pluralitatem, pro maxima parte abrogauit, ac deseruit. Cum enim sedanda earum morositate, ac continuis rixis, iurgijsque componendis, non minus quam liberorum multitudine diuersitateque distraherentur, obruerenturque, ac importunissime, de fortunarum dispositione, continuo interpellarentur, quod matres liberorum, hi matrum quisque suarum fouerent partes, perpetuaque excitarent dissidia, miseram ac calamitosam vni Viro faciebant vitam.

3. Quare nil his sanandis malis potius, nec satius reperiere, quam Regibus, Principibus, ac Diuitibus, relicta vxorum multitudine, vna ipsi essent contenti, ac si quid ex Amica (quam latini honesto vocabulo Concubinam, à Concumbendo, vt Conuiuam ac Conuiuium, à Conuiuendo appellarunt) stimulante gignendi desiderio, aut placente forma, gratiaque esset

4. natum, id eodem cum cæteris liberis habere loco. Prudenter enim considerabant, non tantum singularibus ac priuatis maritis, sed ipsis non raro Regibus, pluralitatem vxorum, ingentium calamitatum fuisse causam, qua de re cum innumera, è veterum historijs adferri possint exempla, sufficiat Herodis maioris apud Iosephum testimonium, qui ex infima sorte, Rex Iudæorum potentissimus, ditissimus, belloque fortunatissimus factus, Romanaque amicitia fœlix, vxorum tamen, liberorumque diuersitate, maritorum sui temporis omnium fuit infœlicissimus. Tristia quoque multa, ob vxorum multitudinem, accidisse Turcarum Regibus diuersos liberos, è varijs fœminis procreantibus reperies, qui postea miseris se inuicem modis insecuti, alter alterum vario mortis genere, imperandi desiderio, è medio sustulere. Incontinentes enim Viri, vna vxore non contenti, facillime ab hac aut illa in seruitutem abducuntur, ac vxorij fiunt, hac forma, illa blanditijs, tertia facundia, quarta illecebrosa prudentia cum morosa grauitate coniuncta viri animum expugnante, planeque sibi deuinciente, vnde affectus postea mirabiles, ac imprimis periculosos sequi necesse est, planeque tales, quales sunt fœminæ, quarum philtris captiui tenentur. Formosas enim fere semper comitatur superbia ac fastus, suis cum pedissequis: blandas auaritia: molles deceptio, ac inconstantia: Facundas simulatio, periculoso garrulitas, importuna præcatio ac interpellatio, maxime cum se gratas sentiunt: Prudentes suiamor, aliorum contemptus, ambitio, ingentium rerum expetitio. Hæc non de omnibus fœminis quæ vna è quatuor memoratis donis, virtutibusque sunt ornatæ dicta velim, sed tantum de ijs quæ gratia sua in malum finem detorta hoc vnum moliuntur, vt maritum vxorium reddant, eaque ratione cupiditatibus suis satisfaciant.

5. Verum non reperies Populos è varijs vxoribus liberos suscipientes, vllos vnquam reiecisse, aut fortunis, honoribusque suis indignos habuisse, sed

omnes indifferenter, filios, filiasque nominasse, vt tales educasse, censerique voluisse, nisi dicti liberi, improbis, scelestisque moribus, contrarium meriti fuissent, quod non minus legitimis, quam illegitimis, indies vsu-venire scimus. Idoneos certe quacunque ratione susceptos, ad honores quantum potuêre, semper euexêre: Inidoneos, de vitæ necessarijs prouisos, quanquam è nobilissima fœmina susceptos, magis idoneo parêre, ac subesse voluêre notissimum est. His moribus imbuti Mahumetistæ, vsque in hodiernum diem nullam inter proles differentiam, distinctionemque admittentes, Parentibus fortunarum suarum inter liberos, pro arbitrio distributionem relinquunt. Et quanquam repudia, diuortiaq; agnoscant, & in vsu habeant, nullo id tamen liberorũ fit præiudicio. Pater enim repudiata matre, natos liberos à se non dimittit, nisi vtrimque aliter conuenerit, aut mulier conuicta de adulterio fuerit. Tunc enim partus ventrem sequitur, quemadmodum & fugiente, aut vnde alat non habente adultero patre. Quis enim generosi, virilisque animi, pro suis agnoscet, quos ex alio se inuito conceptos esse certus est? Adoptionem vetustissimum, optimumque conseruandis familijs morem ac remidium excipio, quum è claræ indolis pueris, vnum aut plures seligimus, in quos nomina nostra, insignia, fortunas, sine vllo vitio, ac dedecore, transferimus, & ex alijs natos, scientes, volentesque nostros facimus, legibus factum approbantibus, ac ne postea irritum fiat (nisi ob causas iure expressas) prohibentibus. Certe nihil olim toti fere Terrarum orbi, ac tandem quoque Romanis, adoptione fuit vsitatius, vt in diuinis, ac humanis patet historijs. Geneseos capite vltimo Patriarcha Iacobus in filios adoptat, Ephraim, ac Manassen, nepotes è filio Iosepho. Exodi capite primo. Moyses à filio Pharaonis in filium adoptatur. Plutarchus in Vita Thesei scribit, eum à patre Ægéo, è spurio inter legitimos adoptatum. Hæc hodie facit Principum legitimatio, quod attinet ad eius obeunda munia, non quod spectat ad paternam hereditatem. Vtentur aliquando prudentes patres Ægei exemplo, tum maxime, quum in familia non extiterit, nisi hæres filia. Quantum vero Romani tribuerint adoptioni, in Pandectarum patet libris, quum Prætores, ac Iuresconsulti, certum de adoptionibus Ius confecerint, scriptoque posteris reliquerint. Apud Athenienses lex lata fuit, filij nothi Attica matre geniti, à patre adoptarentur, in censum referrerentur, parentibusque vt legitimi succederent, Demosth. contra Boeotum. Pro illegitimis Athenienses eos tantum habebant, qui è ciue ac peregrina, extra Coniugium erant nati, Plutarchus in Temisto ac Periclo. Diodorus Siculus libro secundo capite tertio scribit, Ægyptios, Ancillarum ac Vxorum liberos eodem habuisse loco, approbatque huius rei veritatem factum Patriarchæ Iacobi. Scipio Africanus Maior, quum filium non procreasset, Pauli Æmilij filium adoptauit, qui exinde Africanus, minor est dictus, è quo Scipionum familia, ad Imperij Romani

6.

vsque declinationẽ durauit. Iulij, Augusti, Tiberij, Claudij, multorumq; aliorum Cæsarum familię, nisi adoptione fuissent fultę, in ipso initio concidissent. Quis autem hoc tempore non absurdi eum accusabit iudicij, qui vnum, aut plures, in nomen, familiam, ac fortunas adoptaturus, non potuis liberos ex se, è quacumque etiam fœmina natos, quam ab alijs procreatos eligat, ac in hos nomen, honores, arma gentilitia, fortunasq; omnes donatione, vel testamento, non potius quam in peregrinos transferat. Quod si tales sint, quibus mentem Deus negauit, aut quos improba, scelestaque vita, omni promotione, honoreq; indignos pronuntiabit, tum etiam relictis ex te natis, secundum leges quosuis adoptare suaderem. Tres igitur hominum cõditiones, Ethnici, Iudæi, ac Mahumeristæ naturam sequentes, inter natos ex se liberos distinctionẽ non nouerunt. Materna adulteria palam conuicta, excepisse me dixi. Nunc ad Christianorum mores transeamus.

7.

CAPVT QVINTVM.

1. *Christianis vetitum plures vno tempore accipere vxores, ac maritos.*
2. *Christus vagam venerem est insectatus: contra liberos extra matrimonium natos, nil statuit.*
3. *Germani, ac Gallofranci duriter cum Nothis agunt: Hispani ac Itali humaniter.*
4. *Quare Germani durius cum Nothis liberis agant.*
5. *Examinata hæc causa, concluditur ante Christianismum in vsu non fuisse.*

1. CHristiani qui à mille quingentis annis continua maiorum successione in vnum dogma consentientes, Catholici semper sunt vocati, eorumque congregatio, per mundum sparsa Ecclesia, hoc semper è Iesu Christi, Redemptoris sui præcepto obseruarunt, vt singuli Viri vxorem vnicam; singulæ fœminæ, singulos tantum haberent maritos, à quibus nisi per mortẽ, aut adulterium seperari non possent, interueniẽte vero morte, liberũ superstiti esset, ducere, nubere, aut in viduitate manere. Nefas autẽ eis est non minus graue duas habere codẽ tẽpore vxores, quã pell cẽ superinducere. Atqui hac de causa durius Christiani in Nothos statuisse videntur. Sed cum

2. mecum reputo Christum Iesum eiusque Discipulos, grauissime in adulteros, vagæque libidinis sectatores, puellarum corruptores, ac quacunque ratione Veneri abutentes decreuisse, pronuntiasseque, ac contra liberos ex his natos nil

nil statuisse, credo quod eos ortus sui authores, nec causam esse sciret, non possum satis mecum mirari, quare Ecclesiæ Ius scriptum, quod Canonicũ, Ecclesiasticum, ac Positiuum vocant, his fuerit durius. Scio eius causas eo tendere ne adulti venerem, extra matrimonium exerceant, aut quicquam pręter Coniugij, leges, cum fœminis tentent, qua in re lubenter eis propter Dei præceptũ obtemperamus Rigor Ecclesiastici iuris non solum in eo consistit, quod Nothis liberis successionem, paternorum bonorum, ex intestato, cum veteri iure eripiat, ac ne quidem ex arbitrio, pro his testari permittat, sed etiam quod eos ab omnibus honoribus repellat, nisi à summo Pontifice, ac Principe, natalibus restituantur. Ecclesiastico Iuri Germani, Burgundi, ac plærique è Gallofrancis subscribunt, durissime liberos extra matrimonium natos habentes, imo non aliter pro maiori parte cum his agentes, ac si è suo non essent procreati semine, quum tamen de veritate interrogati, contrarium fateantur, adeo vt sœpissime mecum satis mirari non potuerim, plus posse in hominibus ingenio ac iudicio pollentibus pręiudicatam opinionem, longa consuetudine tyrannidẽ exercentem, quam naturam, rationem, innatamque omnibus animantibus erga natos suos charitatem, ac στοργήν Imo ad eam nostro tempore plæreque Germanorum peruenere Ciuitates absurditatem, vt extra matrimoniũ natis, non permittant è tot proletariorum, ac sellulariorũ manuarijs, vilissimis opificijs alia publice exercerę, præter Barbitonsoris, ac Lanionis munus, quasi omnium aliorum vilissimis, quum tamen Tonsoris quoque munus sit Therapeuphticam, ac Chirurgicam Medicinæ partem exercere, in quibus non raro præstantissimos superant Medicos. Si vero hæc tantum illegitimis concessere munia, vt omnibus notiores facti contemni, vitarique possint, iniuriam innocentibus inferunt. Quod enim in eorum conceptione, ac natiuitate, vitij esse volũt, in Parentes non liberos punire deberent. Nullæ enim extant diuinæ nec humanæ leges, quæ tantam Nothis liberis, iniuriam, contumeliamq; faciunt, vt hæc imperita, barbaraque Germanorum consuetudo, ac irreptitius tumultu potius crediderim populari inuectus mos, quam à prudenti aliquo Legislatore aut magistratu, maturo consilio constitutus. Contra Germanos sentiunt Hispani ac Itali, cum non paucis alijs Nationibus, iuri tamen Ecclesiastico obsequentissimis, qui libera voluntate, donatione inter Viuos, causa mortis, aut testamentali, condicillarique constitutione, legum Pontificalium duritiei obuiam eunt, ac ex se natos, maxime libera adolescentia aut viduitate, ad honores promouent, ditant, ac sæpe, ob magnas, iustasque causas, eis qui è legitima vxore, sunt nati præferunt, naturę obedientes, non prauam opinionẽ, consuetudinẽque sequentes. Vnde vero Germanis (à quibus Burgundi, ac Gallofranci orti, hæc, & plæraque alia, accepisse videntur) hic barbarus, inhumanus, contraque naturã inuectus, inoleuerit mos forte è Cornelio Tacito, in Libello de Morib. Germ. coniectari possumus. Asserit enim nullos barbaros præter Germanos, vna vxore fuisse contentos, nullumq; Germanis peccatũ, adulterio grauius

3.

4.

grauius fuiſſe reputatum, nec punitũ, cuius forte adulterij odio (punita matre) ſuſceptos quoque liberos abijciendos cenſuere, nec adulterum quidem patrem eos agnoſcere voluere, vt hac legis, aut moris rigiditate, non minus Viros quã fœminas, ab adulterio vagaque venere deterrerent. Sit vera hæc coniectura (narrat enim Tacitus grauiſſime fuiſſe animaduerſum in adulteros, quid vero ſtatutũ ſit erga liberos, hac miſeria ſuſceptos, natoſq; non dicit) quod ad adulteros attinet, quos omnino in ordinem cogi in Republica bene conſtituta, plane eſt neceſſarium, tamen non dubito longe aliam fuiſſe conditionem, cum liber à matrimonio, è libera procreat liberos, neque adeo rigidos fuiſſe Taciti temporibus Germanos, à chriſtiana relligione & humanitate, quamuis alieniſſimos, vt ab omni venere plane eſſent abſtemij, adoleſcenteſque omnes adeo fuiſſe continentes, vt antequam vxorem ducerent, nunquã coirent. Quid magis ridiculũ quam hæc cogitare in liberrima gente, Inferos non timente, Superos ignorante, ſecundum naturam viuente? Quid abſurdius quam putare, corpora ſaluberrima, nimio vini vſu non reſoluta, exſiccata, aut incenſa, continua venatione ſe exercentia, veneream luem noſtram inexperta, planeque ſolida, ſucculentaq;, pruritũ venereum non ſentijſſe? ardore eius corripi non ſolere? ac tum maxime cum perfectis rite naturalibus concoctionibus, ſemine (quod tertiæ concoctionis eſt excrementũ) in ipſa adoleſcentia abundarent? ætate quando huic affectui, ſine diuino auxilio, ac illato corpori violento contra ſeminis creationem remedio, reſiſti non poſſit? Non enim vniuerſa rerum natura, vehementiorẽ, nec turbulentiorem animalibus indidit affectum, quam generandi ſui ſimile deſideriũ, quod in omnium animalium fœminis apertiſſime patet, viris ſolertius violenti huius appetitus inſultibus reſiſtentibus, aut ſe id facere ſimulantibus. Nunquã ne igitur Germanus Taciti tempore, à matrimonio ac vxore liber ex adoleſcentula filium aut filiam procreauit? nullus id exiſtimo negabit, niſi eos plane lapideos fuiſſe etiam confiteri velit. Affirmabimus eos in hos æque fuiſſe rigidos, quam qui in deprehenſo fuiſſent ſuſcepti adulterio? non opinor. Apparet igitur adulteros grauiter punijſſe Germanos, liberos vero extra matrimonij leges ſuſceptos, tam agreſti iudicio, animoque, vt nunc faciunt abieciſſe, & fere agnoſcere noluiſſe, nulla ratione mihi perſuadere poſſum, ſed poſteaquã ad chriſtianam relligionẽ eſſent perducti durante adhuc veteri in adulteros pœnæ memoria, eos facile in omniũ incontinentiũ odium eſſe pertractos, perſuaſi à Chriſtianis doctoribus, nil Deo caſtitate gratius, nil incontinentia odioſius, acceſſiſſeq; mox cognitionẽ Legum Pontificalium duriſſime non ſolum in omnes incontinentes, ſed in eorũ quoq; liberos ſtatuentiũ. Quorum omnium concurſu, mota gens rigida, dura, æqui boniq; amantiſsima, ac nondum ad humanitatẽ plane ſubacta, multoq; minus Philoſophiam, cæterarumq; nationũ leges, ac mores edocta, cum hoc non diſſentire à maiorũ ſuorum Legibus contra adulteros latis animaduerteret, facile naturã ac humanitatem, veteri adhuc barbarie nuptam contra nothos liberos exuere, ac

re, ac in ea opinione ita obduruere, consenuereque, vt pro naturali ac diuina lege habeant, seque non aliter, cum natis è libera concubina filijs filiabusque gerere debere existiment, quam cum seruo aut famulo mercenario, censentes nil se eis iure diuino, humano, Gentium, nec naturali debere, sed quæ conferunt, gratuita esse dona. Qua ratione factum est vt liberi eis è concubina nati, quum se omnium bonorum paternorũ successione destitutos, ab eo insuper, eiusque fratribus, sororibus, liberis, ac affinibus contemni, & sine honore errare conspicerent, natura tamen generosi, altiorisque spiritus plærique eorum essent, deessetque occasio ad maiora tendendi, facta manu vias publicas insedere, mercatores, peregrinantesq; spoliauere, cunque se offerret oportunitas, Castella, Oppidula occupauere, inque vicinos Pagos ac Ciuitates vim fecere, adque rerum suarum duram liberationem conpuliere, donec opum violenter partarum beneficio, natiuitatis iniquam falsamque conditionem, meliorem, fœlicioremq; fecissent. Horatiumq; verum esse Vatem, reipsa comprobassent, in hunc modum scribentem: *Et genus, & formam Regna pecunia donat.*

CAPVT SEXTVM.

1. *Quo modo olim Romani nuptias contraxerint: quo modo nunc christiani.*
2. *Quid de Affinitate Sententiant.*
3. *Concubinatus Iure Ciuili admissus, nec inhonestus habitus.*
4. *Quæ sit Iure Ciuili Concubina, Et hac nati liberi vocari Naturales, longeq; illegitimis præstant.*
5. *Qui nostro tempore dicantur Naturales, qui illegitimi.*
6. *In hominis Natiuitate, patri naturæ obsequendum, non tamen Legi contraueniendum.*

EXposuimus superioribus capitibus quid Barbari, Ethnici, Iudei, Mahumetistę, ac Christiani de hominis Natiuitate sentiant, quoquo loco liberos qui secundum Coniugij leges, aut contra sunt nati habeant. Nunc paulo copiosius explicemus, quid de his statuerint Ciuilia Romanorum Iura, ac Sacra Christianorum decreta, quæ Canones vulgo vocant. Constitutum erat veteri Romanorum Ciuili iure, vt ad Legitimi matrimonij absolutionem, certi ritus, solemnesque cæremoniæ, tam in Sponsalijs, quam in Nuptijs adhiberentur, quas inuenire licet, apud Boëtium in Topicis Ciceronis scribentem, ac apud Alexandrum ab Alexan- 1.

dro,

dro, Genialium Dierum lib. 2. cap. 5. quibus ritibus tandem senescentibus & desinentibus, decretum fuit, legitima matrimonia, solo coëuntium consensu perficerentur, paucis exceptis casibus, *de quibus L. si Donationum C. de Nupt.* imo multo adhuc facilius, *vt apparet L. in libere cum gloss. de Ritu nuptiar*: Quare qui cum ingenua, sibique æquali muliere consuetudinem habebat, is iure ciuili præsumebatur, matrimonij causa cum illa versatus esse, liberique ex eis nati, legitimi habebantur, propter personarum æqualitatem, qua de re recte Ouidus sic: *Si qua voles apte nubere, nube pari.* Mater enim non potest non esse certa, ac proinde cum de patre dubitatur, partus ventrem de iure sequitur. De patre, verò non aliam iura quærunt certitudinem, quam si quis cum æquali habuerit consuetudinem, maxime si nuptiarum ritus sint subsecuti. Hinc illud: Venter matrem, nuptiæ constituunt patrem. At Ius Canonicum præsentibus testibus riteque factis tribus publicis proclamationibus, vtriusque consensum in sacra æde, præëunte, beneque præcante Sacerdote vult publicari. *Cap. 1. dist. 9. & 30. Item in c. illud vero vxorem, De præsumpt.* Certe inter ascendentes, & descendentes iustum matrimonium tam Ciuili, quam Canonico iure fuit constitutũ. *L. nuptiæ, in gloss. ff. de Ritu Nupt.* Ius Ciuile in quarto gradu nuptias approbat, cum sanguine propius iũctis, incestuosas habet: *Parag.* duorũ Inst. de Nupt. L. nemini: C. eodem. Postrema quoque summi Pontificis Innocentij: 3. Constitutio, in secundo affinitatis genere, ac post quartum, hoc est, in quinto consanguinitatis gradu nuptias admittit: *C. non* debet, de Consang. & Affinit. Sed non eodem modo Ius Ciuile & Canonicum hos gradus dinumerat, vt apud eos legere licet. Ius enim Ciuile respicit ad hæreditates, Successiones, & Tutelas, numerans gradus: Ius Canonicum, ad Coniugia, Viri fœminęque coniunctionẽ. Quare vtrumque obseruandum est. Illud tamen mirum est, ius Ciuile docere, non oriri affinitatem, nisi ex iustis nuptijs, ac dicere ex illegitimo coitu natos, cum propinquis nuptias impedire. *L. adoptiuus: Parag. seruiles ff. de Ritu nupt. L. liberi cum gloss. C. de nupt. gloss. Parag. Affinit: Inst. de nupt. L. non facile Parag. sciendum ff. de Gradib. affinit.* At Ius Canonicũ, ex quocũq; concubitu, affinitatem oriri statuit: *C. discretionem: versic. Affinit. & c. penult. De eo qui cog. cons.* Vide quam æque, aut inique, plærique naturales aut Illegitimos, ab vniuersa primis hæreditate abigant, cum Ius Ciuile nuptias impedire eos, negare non audeat: Ius vero Canonicum, eos aperte affinitatem contrahere affirmet. Constat enim Iure Ciuili Concubinatum nec probari, nec damnari, *vt habetur toto Titulo ff. de Concub.* quorum liberos, inter legitimos, & Illegitimos medij, naturales de iure dicuntur, nunquam illegitimi: L. 3. *De Concub. & ibi Berthol.* vocanturque Naturales, quasi dicas secundum Ius naturæ procreati, nullo legũ auxilio adiuti, nec muniti: *Parag. naturales: Authent. Quib. mod. Nat.* Neque enim Concubinæ nomen inhonestum iure Ciuili, nec turpe censetur, vt neq; cum Concubina morari, cum prolis suscipiendæ causa, non turpis libidinis, gratia, eam esse inductam iura censeant. *Authent quib. Mod. Nat. L. in princip. L. massurius, vbi Alicat. in fine de ver. significat. L. si ea vbi bald. C. de*

C. de condit. infer. Vnde & Vlpianus, nil nisi in Dignitate interesse inter Vxorem, & Concubinam tradit L. item legat. Parag. parui. de leg. 3. legimus apud Spartianum, Cæsarem Ælium Verum, respondisse Vxori conquerenti, quod cum alijs fœminis consuetudinem haberet: Patere me inquit cum alijs voluptatem exercere, cum Vxor Dignitatis, non Voluptatis sit nomen. Certe Cæsar Vespasianus mortua vxore, libertam *Cenidem* in Contubernium vocauit, ac pene iustæ vxoris loco habuit. Ex huiusmodi Concubinis olim nati filij, Naturales fuere dicti, ac à patribus iustorum filiorum loco habiti, vt adhuc hodie vniuersa facit Asia & Africa, & pro maiori parte Hispania & Italia. Marcellus Ireconsf. L. tertio in fine de Concub. docte dicit Concubinatum per leges nomen cœpisse, hoc est, iuri naturali contrarium non esse, *qua de re consule Baldum Consil. 457. in 5. Ioannem Andream. Reg. sine culpa. Bartol L. etsi contra C. de nuptiis & in L. tertio de Concubin. L. 1. de Ritu nuptia. Alb. L. cum quis C. de Nat. lib. Port. Inst. de Adopt. Num. 5.* Concubina vero iure ciuili dicitur fœmina libera, cum qua hoc affectu & proposito, vir cœlebs, ac innuptus viuit, non vt voluptuetur, sed vt liberos ex ea suscipiat, quam hac de causa sine nuptijs, vxoris loco domi retinet, custodit, alit, cum qua nec stuprum nec incoestum facere potest, quæ sit ingenua, honestæ vitæ, quæ se concubinam agnoscit. Ex his nati liberi, naturales iure ciuili, vt diximus vocantur, longeque illegitimis præferuntur. Nam illi aut ex adulterio, Stupro, Incœstu, Vi, aut Vulgo nascuntur, naturales minime. *Probantur hæc L. si ea, vbi Bald. Alb. de condit. inst. & Lib. 2. C. de Donat. inter viuos. Parag. 1. de concub. L. 3. de Trient. & Sem. Parag. si quis. Auth. quib. mod. sui L. 1. Parag. 1. de Concub. L. 3. de Concub. L. 1. C. de concub. Alb. L. 1. C. de Nat. liber.* Nostro tempore omnes vocantur naturales, qui præter matrimonij leges, è duobus innuptis, in sacris non existentibus, procreantur. Certe hæc iuris ciuilis de Concubinis, eorumque de naturalibus liberis constitutiones à nullo vnquam Imperatore reperiuntur sublatæ. Cessasse vero eas cum Christiana relligione in foro ac Iudicijs, reuerentia iuris Canonici, ac ob commendationem vitæ continentis, castæ, ac matrimonialis, idque secundum præcepta diuina, nil mirum est. Seruari tamen eas inter Reges, Principes, Nobiles, ac Diuites, præpotentesq; homines, præcipue in Hispania ac Italia, res docet. Prudenter enim naturæ obsequuntur, à lege ad tyrannidem non coacti, quæ ex nobis natos, à nobis ali, educari, de rebus necessarijs prouideri, ad honores promoueri, nulloque modo contemni abijcique deberi docet, ac imperat. Boni Viri officio funguntur, qui rationem ac humanitatem, legum rigiditati opponentes, ex se natos amplectuntur, ac fouent: pietatem ac iustitiam colunt, qui ita liberos ex se natos educunt, vt ad pietatem, virtutemque sequendam, eis viam sternant, media relinquant, ac ne ob inopiam desperare cogantur curant. Miseri enim vere sunt non minus parentes quam liberi, cum ob prauam educationem non bene sperare, nec recte agere didicerunt. Nunc satis quid

4.

5.

6.

ſentiat Ius Ciuile & Canonicum de Nuptijs, Concubinatu, ac Naturalibus Liberis hoc loco ſit dictum, pergamus ad Illegitimorum varias ſpecies.

Caput Septimum.

1. *Diuerſarum Nationum Varia de Nuptijs, ac Liberis ſtatuta.*
2. *Patriæ mos pro lege habendus, eumque facile mutari poſſe.*
3. *Duo Romanis Illegitimorum Liberorum genera. Poſtremũ à Doctoribus, in duodecim ſpecies ſecatum: Eorum genera.*

Qvvm primum homines ex agreſti vita, in communes cœtus conueniſſent, promiſcuam vitam, vagamque Venerem inutilem iudicaſſent, paucas primum tulerunt leges ſecundum quas viuerent, vxores acciperent, ac liberos procrearent, enutrirentque ſinguli ſuos. Sed ab his legibus vna natio citius, alia tardius defecit, hæc diſtinctius, illa communius eas deſeruit, hæc magis naturæ adherens, illa plus ab hac deficiens leges immutauit. 1. Quare non mirum vt ipſa matrimonia, ita & liberorum diuerſiſſimam euaſiſſe conditionem. Legimus enim olim Schijtas, Maſſagetas, horumque vicinos vxores habuiſſe communes: Garamantas eos tantum pro iuſtis ac legitimis agnouiſſe liberis, qui maxime patrem vultu retuliſſent. Veteribus Arabibus, vna omnibus conſanguineis erat vxor, ex alio genere natos, illegitimos cenſebant. Perſi, Medi, Parthi, ac Iudæi, non quęrere vxorem ſibi ſanguine iunctam turpe ducebant, liberos ex alijs ſuſceptos, illegitimos reputabant, imo (exceptis Iudæis) à ſororibus quidam, ac matribus non abſtinebant. Solon (teſte Plutarcho) ſtatuit, vt ſi vxor è marito non conciperet, è conſanguineis vnum deligeret, qui vices ſuppleret, quodque naſceretur, maritus aleret, educaret, ac ad hæreditatẽ admitteret. Fuere & Indi, apud quos ſterilis è marito mulier, eundem cogere poterat aliquem nominaret, è quo grauida fieret, ſi ſucceſſiſſet, mariti partus erat. Cimon Athenienſium Dux fortiſſimus, Germanam ſororem ſine dedecore, in matrimonio habuit. 2. Id enim Athenienſibus non erat inſolitum. Secundum enim patriæ morem ac conſuetudinem Coniugia cenſentur, nati, legitimi, aut illegitimi habentur, cum natura omnes æquales ſimus. Nam in hominis Natiuitate, non tam relligio, quam relligionis præfecti (quod ad noſtram attinet materiam) poteſtatem habent, qui etiam vnam aut plures, ſingulis Viris, vxores permittere, aut ne ducant prohibere poſſunt. At ne extra Coniugium Venus exerceatur, ſolius Relligionis ac Dei, non hominis eſt præceptum. Cętera omnia Deus in Præfectorum à ſe conſtitutorum poteſtate reliquit, ac vt pro temporum locorum, ac perſonarum ratione, poteſtatem ſuam ſtringant vel laxent voluit, non exigua in tranſgreſſores conſtituta pœna. Patrius vero Populorum mos facile mutari poteſt, & ſubinde vt mutetur, Reipublicæ vtile eſt, ac non

raro

raro necessarium. Fuere autem apud Romanos olim Illegitimorum liberorum duo genera. Primi erant qui patrem, aut matrem, alienigenas, peregrinos, seu non ciues Romanos habuissent. Nam inter Romanos & non Romanos, Cõiugij Ius nullum erat, quod & Atheniensibus in more fuisse, supra cap. 4. diximus, & qui ex huiusmodi parentibus nascebantur, vt vere illegitimi, patriam potestatem non agnoscebant, hoc est, de patris iure & familia non censebantur, ne quidem si Latini nominis fuissent, sed matrẽ sequebantur. Pater enim, vt diximus, è Nuptijs, non è concubitu, nec coitu æstimabatur, *vt patet apud Cic. in Top. & apud Boëtium lib. 43. & in C. Theodos. L. 1. de Nupt. Gentil.* Hinc sæpe legimus, Ciuitatis Romanæ Ius alijs Ciuitatibus, postea etiam integris Populis enixe id petentibus fuisse concessum, vt rata & legitima, eis cum Romanis Ciuibus essent Connubia. Cumque deinde & cæteri, Romanis subditi Populi summis studijs, Ius Ciuitatis Romanæ efflagitarent, tandem Antoninus Cęsar, omnibus gratificaturus constituit, vt quicunq; Romano subessent Imperio, Ius Ciuitatis Romanæ haberent, vnde est factum, vt Coniugiorum Iura, è summis angustijs, toti fere Orbi fierent comunia. Alterum Illegitimorũ genus est, qui quidem è Romanis Ciuibus sunt nati, sed contra legum statuta, hoc est, è damnato Legibus coitu, de quibus nunc nobis est agendum. Priores enim nostri non sunt instituti. Quicumq; è iusta Concubina non sunt procreati, Ius Ciuile Romanorũ illegitimos vocat, ac pro eiusmodi habet. Posteri hunc Cõcubitum Scortationem, ac Fornicationem appellauere, quod nullibi quam in murorum fornicibus, corpore palam quęstum facere, fœminis Romæ permissum esset. Horum vero duodecim Doctores constituere species: Spurios: Vulgo Conceptos: Varios: Manzeres: Incestuosos: Nefarios: Adulterinos: E Stupro natos: Sacrilegos: Nothos: Hybridas: Bastardos, qui omnes in tres species contrahi possent, insignem differentiam habentes. Sed quoniam aliter Doctoribus placuit, videamus quo modo singulas species definiant. Spurios aiunt in genere idem esse quod illegitimos in specie, qui incerto patre aut matre orti sunt, nil nisi semen ab ijs habentes. σπείρειν, enim græce seminare significat, de quo vide Plutrachum in Probl. dicentem quod sic sculpi, aut scribi, in numismatibus ac Tabulis solebat. S.P. quasi dicas, sine patre è mulieribus ac fœminis ad quas omnibus publice patebat aditus nati. *Iustinianus Parag. si aduersus, Inst. De Nupt:* ait dictos παρὰ τὸ σποράδην, quasi sparsim concepti. Nascuntur autem Spurij è damnato legibus coitu, aut è non damnato. Damnatus est coitus, cui certa pœna à iure est constituta, vt adulterio, Incestui, Stupro, aut alio extraordinario vitio, ob quod iure homo posset accusari, condemnari, ac puniri: Non damnatus dicitur coitus, qui fit contra comunẽ Reipublicę morẽ, nec tamẽ eum leges pœna aliqua vindicandũ censent, sed factũ dissimulãt. Hij sunt qui cũ meretrice, Ancilla, aut alia vili, & e media plebe fœmina rẽ habent. Vulgo Concepti qui sint, ipsum nomen satis indicat, estque potius explicatio vocis Spurij, quam ab ea distincta species, *vt patet. L. vulgo. ff. de statu hom.* In

hoc tamen eos Doctores distinguunt,quod vulgo conceptos velint, qui patrē quidem norunt,sed eum quem habere non licet, habent, aut quorum mater publice,quęstum corpore non facit,sed clam domi,fœtumque cum visum fuerit,accepta dat pecunia ac proinde raro verum patrem, sed tantum putatiuum habent. Varij nomen veteres IureCti. non agnoscunt, Heliogabuli Cæsaris tempore,aut paulo ante videtur natum. Is enim teste Lampridio è meretrice natus,Varius est dictus,quasi è vario semine susceptus. *Mauzer* vox hæbrea, Curiæ Romanæ,eiusque rescriptis est frequens, eum significans qui è Scorto, aut publica fœmina est natus.*Incestuosi*,dicuntur qui è consanguineis,aut affinibus contra leges nascuntur. Idem sunt *Nefarij*, quanquam Accurs.*gloss. Rubr. C. de Incest. Nupt.*distinguere velit,hos ex descendente, aut ascendente linea susceptos:Incestuosos à laterali esse natos, persuadere conetur. Certe in quacunque fiat linea incestus omnis est nefarius. *Adulterini* proprie sunt, qui in adulterio suscepti & nati fuere,hoc est,è duobus aut altero,nupto, vt nomen indicat:*L.inter Parag.*1.*de Adult.* Stuprum generale etiam nomen est , sed quoniam lex Iulia Stuprum & adulterium promiscue nominat *L.inter stuprum: De Verb. sig.D.L.inter Parag.*1.idem de vtriusque liberis videtur dicendum, & sentiendū, quanquam sint(& recte quidem meo iudicio,vt cum bona pace legis Iuliæ dicam,quum apud purioris linguæ latine scriptores,id vox stuprum non raro indicet)qui in stupro natos censeant quorum mater violenter vim est passa, nec in coitum vlla ratione consentiit.Sacrilegos statuunt quorum pater aut mater tempore conceptionis ac ortus, sacro Castitatis, Paupertatis, ac Obedientiæ voto erat initiatus, aut alia ratione sacris addictus , ac proinde nil mirum si aliquando à Canonibus Sacrilegi, Adulteri, Incestuosi vocitentur. His enim sceleribus eorum parentes se implicasse Doctores volunt. De Nothis, multū variant Doctores,quid intellexerit Iustinianus in nouellis suis Constitutionibus (nam in Pandectarum libris,nuspiam hæc vox reperitur) *Authent: De nothis alijs, quib. mod. nat. sui.* Certum est νόθος, vocem esse græcam, quæ generaliter significat in hominibus,bestijs,arboribus,herbis,ac rebus omnibus, quod non est legitimum,hoc est,secundum generalem cursum,ac regulam. Sic dicimus Notha scripta,ea quæ non sunt Authoris cuius nomen referunt:Sic notha poma,à legitimo, ac ordinario statu declinantia. Hinc extra matrimonij leges in Concubinatu natos naturales (quibus solis in nouellis suis Constitutionibus prouisum cupit) modestissimo & generalissimo,ad omnia vocabulo, Nothos vocat,non semel eos confundens cum voce φυσικός, hoc est,naturales, *vt docte docet Gabr. Palæot. cap.17. De Spurijs.* Certe Athenienses olim νοθεῖα χρήματα appelbant ea, quæ ex bonis paternis,illegitimis debebantur liberis,idque ad drachmas vsque mille,teste Aristoph. ac Demosth. contra Aristocratem. Hybricas antiqui vocauere,animaliam è feris ac domitis nata,vt,Sus,è fera, ac domestica. Canis è domestica, & Vulpe, aut Lupo. Vnde ad homines similis ferme naturę existentes, vox est translata,talisque est dictus C.Anthonius, Ciceronis

in Con-

in Consulatu Collega, teste Plinio lib.1.cap.61. Vnde etiam qui ex imparibus nascitur Parentibus, Hybridæ à quibusdam, metaphorica cauillatione sunt appellati. Bastardi, vox Barbara est, incertum à quo populo, aut qua lingua accepta, vniuersæ nunc fere Europæ communis, cõprehendens omnes illegitimorum species, quacunq; etiam ratione susceptos ac natos, præter naturales, quæ tamen vox propria Latina significatione, naturalẽ & legitimum ortum, simul cõprehendit, vt patet apud Ciceronẽ Philipp.3. ita loquentẽ: Cuius naturalis pater, si vita suppeditasset, Consul factus esset. Et Sueto. in Tyber. Filiorũ neq; Naturalem, Drusum, neque adoptiuum Germanicum, patria charitate dilexit. Putant quidã Bastardum, deriuatũ, ac potius corruptũ, à græca voce βασσαρίς, quæ præter Bacchæ significationem, etiam pro meretrice, ac fœmina prostituti pudoris capitur, vt in Epigrãmatibus sæpe licet reperire. Sed si tam longe vocis huius ortũ quærere lubet, plura à græcis, ac forte etiam ab Hæbreis, alijsque ignotis linguis, huc detorquere possemus. Quare non potius a nostri temporis linguis, eius etymon deriuamus. Itali hodie dicunt, Baste, pro sufficit, quasi dicerent: Sufficiat tam duriter, rigide, & inhumane, cum innocentibus agere liberis, quum eos Bastardos vocamus. At si cui Italica deriuatio minus placet, dicimus compositã vocẽ, è duabus Gallofrancorũ, monosyllabis, *Bas*, ac *Tard*, quarũ primũ id significat, quod inferiori est positum loco, & tam eis ad inanima, quam animata refertur: Alterũ e latino deriuatũ, tam aduerbiũ tarde, quã nomẽ adiectiuũ, tardus, da, dum significat. Nam quod scribant, *Bastard*, pronũtient autẽ, *Battart*, euphonię fit causa. Fugiunt enim quantũ possunt Gallofranci, sibilum Consonantis, S, vt olim inter Græcos Attici. Certe à Germanis eius significationẽ, cõmode deriuari posse non video, quantumvis nos hic iuuaret, fœlix ille Etymologicus, Ioannes Goropius Becanus, quod magnũ esse argumentũ existimo, Germanos ante Christianismũ, legitimos, ab illegitimis non distinxisse, adulteros tantum grauiter punijsse. Videtur tamen Becanus lib.7. Originũ Antwerpiensium sentire Bastardos corruptã esse vocem à Bastarnis. Vult enim Bastarnos, Germanorum fuisse. Illegitimos filios, qui tandẽ magno numero Regione egressi propriam constituere Gentem.

CAPVT OCTAVVM.

1. *De Naturalium liberorum apud Romanos succeßione.*
2. *Quid Iuris in Feudis habere poßint.*
3. *Quid eis Iuris cum Patre, actione iniuriarum.*

QValis olim fuerit Naturalium liberorum, è iusta Concubina natorum conditio, ac prærogatiua, iam satis diximus. Pauca restant de eorum successionibus adiungenda. Non potuisse autem eos olim apud Romanos, ex intestato primi succedere, nec de inofficioso querelam instituere, neque proinde Substitutos excludere, noti iuris est, donec

Cæſar Iuſtinianus ſua conſtitutione, in duas eos vncias, ab inteſtato ſuccedere voluit. *auth. licet de Natur. lib.* imo & Subſtitutos etiam excludere, quonim à lege (quo ad hanc partem, quum aliter de his expreſſe non ſit decretum) liberorum loco habentur, nouumque Ius ad eos extendi debet *L. finali C. de confir. Tut.* &c. *L. falcidia Arg. L. 1. ad L. falcidiam.* Cum in ſubſtitutionibus, de his ſemper actum cenſeatur qui grauato poſſint hæredes eſſe *L. filiusfamilias. Parag. cum quis. De Legat.* 1. Neceſſe eſt, vt pro qua parte, eos vt filios lex agnouit, ad eandem eos teſtator vocare voluiſſe exiſtimetur. Naturales vero Subſtitutis præferri poſſe, ſi id expreſſe teſtator exprimat non dubitatur. Et ſi non ſatis id teſtator exprimit, ex eo tamen deprehendi ſolet, talem eius eſſe mentem, ſi eum grauauit, qui non niſi naturales filios, poterat ſuſcipere. *L. hæred. Parag. final. ad Trebell.* Cum enim de facto tantum, impleri poſſit conditio, æque iam videtur, ac ſi vere, & proprie eſſet obſeruata, cum verba ſecundum eius conditionem ſint intelligenda in quem conferuntur. *argt. L. penult. C. de Condit. Inſtit. L. plenum. Parag. equiti, de Vſu, & habit.* Idem etſi de ijs in alia parte. Teſtamenti mentio feciſſet cum eorum commodo, & honore *L. qui filiabus L. ſeruus plurium Parag. finali de leg.* 1. 2. Queritur præterea, an Naturales in feudo, ab inteſtato ſuccedant, & dicitur non *Cap. 1. Parag. naturales, ſi de feud. fuerit, controuer. inter Dom.* Si tamen quis naturalem filium habens ſibi & filijs præſentibus, & futuris ſtipuletur naturalis etiam admittitur, quoniam contrahentiũ mentem, è præſenti eorum ſtatu & conditione colligimus. *Aluard. dicit Parag. naturles, coll. 5. equiti cum gloſſ. plenum de vſu & habitat.* 3. Pater iniuriam, naturali filio illatam, perſequi ac econtra poteſt: Gabriel Palæot, cap. 35. de Spurijs & Illegitimis. De Barzijs, numero. 15. Certe Palæotus conrra Alciatum probat, quod naturales liberi olim, in vniuerſum aut pro parte, hæredes à patte inſtitui potuere. Primus Conſtantinus Magnus Cæſar: Patri è iuſta Concubina, non ex vxore, in Contubernio natus, hanc patrum in naturales liberos liberalem poteſtatem plane ſuſtulit. Sed non multis poſt eum annis Valens, & Valentinianus Cæſares, mitius iterum cum naturalibus agere cœpere, abrogatis Conſtantini magni conſtitutionibus, quæ ne extant quidem hodie, ac deficientibus legitimis, tres vncias naturalibus, à patre relinqui poſſe, vnicam tantum extantibus legitimis voluere. Hæc eorum Conſtitutio adhuc integra in Codice Theodoſiano legitur, confirmataque poſtea eſt, ab Arcadio & Honorio Cæſaribus, tandemque etiam à Theodoſio Iuniore Imperatore. Itaque de naturalium ſucceſſione, vſque ad Conſtantinum Magnum, legibus Romanis nil, fuit cautum ſed in patris poteſtate relictum, vt eos pro parte inſtitueret, aut præteriret, inofficioſi quærela eis adempta. Tandem vero à Iuſtiniano Cæſare, abſolute cum ſummo fauore, naturalibus eſt prouiſum. Nam legitimis nullis extantibus liberis, ſex naturalibus conceſſit, ex inteſtato vncias. *Libro ſecundo in C. Theodoſo. de Natural. L. human. Cod. eodem.* Poſtea idem ſanxijt, vt ſi-

quis

quis sine legitima prole, ætatem fere exegisset, hunc naturalibus liberis omnia bona, vel testamento, vel viuum relinquere posse, ea portione excepta, quæ viuis debetur parentibus. Cui vero Naturales & legitimi essent liberi, naturales ad vnciam ex intestato vocare placuit. Atque adeo hæc vera sunt in naturalibus, vt etiam Doctores contendant ac probent, Illegitimos, & Spurios omnes (ijs exceptis qui è damnato coitu, vt adulterio, stupro, ac incestu, sunt procreati) à patre in testamento, recte institui posse. Si enim omnino à lautæ fortunæ patre prætereantur, iuris Canonici beneficio alimenta petere possunt, quemadmodum etiam ij qui è damnato coitu sunt nati. Imo eis hoc eodem iure, à patre in testamento, certa portio alimenti nomine legari potest. Quanto igitur fauore liberos Naturales tota Romanorum antiquitas ac posteritas (vno excepto Cæsare Constantino Magno qui tamen Naturalis fuit) sit prosequuta, & quam honesto eos habuerit loco, nunc satis patere existimo. Quæ vero pro his defendendis, contra imperitorum calumnias, restare possunt, paucis sequentibus capitibus, exequemur.

CAPVT NONVM.

1. *Quo modo IureC^ti. quo modo Theologi sacrarum literarum vtantur testimonijs.*
2. *Sacræ Scripturæ aliquot explicata loca, quæ prima fronte contra nothos liberos facere videntur.*
3. *Liberi quo modo Parentum delicta luant, quo modo non: Nullus illegitimus nascitur, nec Conuitio dignus.*
4. *Stulti hominis ac imperiti est, alicui Natiuitatem exprobrare.*

DIximus aliquoties superioribus capitibus, iure diuino, hoc est, veteri, Testamento, multa esse constituta contra adulteros, fœminarum stupratores, ac vagæ libidinis sectatores. At contra liberos ex his natos, nil plane reperiri decretum. Cum his pugnare videntur, aliquot loca veteris Testamenai, ac sanctorum aliquot hominum martyrumq; scripta, è quibus præcipue adferemus & interpretabimur. Sed hoc lectorem præmonitum velim testimonia sacrarum literarũ longe aliter à IureCis. quam à Theologis in probationem adduci. IureCos. enim est scopus, vt 1. Politi-

Politicus Reipublicæ ſtatus, per omnia ſibiipſi conſtet, Pax Populis & tranquillitas conſeruetur, gradus ac ordines conſtituti nunquam conuellantur, ac tandé vt vniuerſus Populus cum Principe conſentiens, vnus homo cenſeatur, Ille Caput, hic diuerſa membra præ ſe ferens. Theologis vero hoc tantum eſt propoſitum, humanas animas cum corporibus Deo vendicent, aſſerantque & cum communis Reipublicæ ſtatus (cum aliter fieri non poteſt) perturbatione, Dicit enim Chriſtus: Non veni mittere pacem in terris ſed gladiũ, ac proinde hoc vnice ſtudent Theologi, vt omnes in ſempiternũ homines, quaqua ratione beati viuant, Deoque in perpetuum coniungantur. Hinc diuerſa ratione ſcriptura ſacra, apud eos authoritatem eſt nacta. Parum enim IureCis. in foro Politico (quod Fori Forũ nuncupant (ſacra teſtimonia ſeruire ſolent, & quanquam in nouo ſubinde repetentur teſtamento, tamen cum aliũ continere ſenſum fere ſemper agnoſcantur, quam cortex præ ſe fert, exigua nudis plerumq; verbis in dicto foro authoritas tribuitur, ſed Theologis ſublato cortice, caro, ac medulla, inquirenda, populoque enucleando relinquitur. Sanctorum Patrũ Martyrumque authoritas, cum de Iuris aut facti quæſtionibus tractare volunt aut velle videntur, non temere à IureCis. admittitur niſi cum eorum fundamẽto ac rationibus conueniant, eoque quo IureCti. colliment. Nam ſi alius horũ apparuerit ſcopus tum IureCti. eorum teſtimonia, ac rationes reijciunt, aut ſi omnino allegandi ſunt, tantum in ſubſidium ſuarum rationũ, non in vim probationis recipiunt. Hæc à me præfata, Eccleſiæ Catholicę Romanæ iudicio (vt omnia ſcripta mea (humili, obſequentique animo ſubijciuntur. Nunc ad dicta

2. veteris teſtamenti loca inſpicienda accedamus. Et primum Gen. 1. cap. 21. Deus in hunc modum Abrahamo loquitur: Eijce Ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius Ancillæ cum filio liberæ. Hic primum conſidera, Deum dicere filium Ancillæ hæredem non futurum cum filio liberæ, non autem filiũ Concubinæ aut Meretricis cum filio vxoris, nec etiam dicere: Eijce naturalem, Illegitimum, ac Spurium, hæredem, cum legitimo non futurũ, ſed loquitur tantum de ſeruæ ac liberæ filijs. Non enim meretrix agar haberi, nec vocari poterat, quæ rogante, impellenteque Saraij Domina ſua, Abrahamo obſequi eſſet coacta, natumque ex ea Iſmaelem, non minus Saraij quam Abrahamus pro filio agnouiſſet. Quam igitur hæc per omnia cum Romanorum Concubinatu, Naturalibuſque conueniant liberis, quod ad hiſtoriam attinet, facile apparet. Subeſſe autem in hiſtoria allegoricum ſenſum, Theologis promouendum, ac proinde nuda verba in exemplum non trahenda, locupletiſtiſſimus eſt teſtis. D. Paulus Apoſt. ad Galath. cap. 4. vbi elegantiſſime horum verborum allegoriam declarat, dicens Iſmaelem natum eſſe ſecundum carnem, hoc eſt, ſecundum naturalem carnis curſum, matre, patreque fœcundo, ac ad generandum apto: Iſaacum vero ſecundum repromiſſionem, hoc eſt, ex nudo, ſoloque Dei promiſſo, contra naturę curſum cuius lege eius mater Saraij nonagenaria iamdudum ſterilis ac effœta erat effecta, ac proinde nil eſſe mirum, ſi hic non politicus,

ticus,sed diuinus sit quærendus sensus. Et nisi ita esset, nunquam Christiani Principes, nec summi Pontifices, eam sibi sumpsissent authoritatem nec potestatem, vt aliquem natalibus restituere ausi fuissent(vulgo legitimare vocãt) aut naturalibus Illegitimisque liberis,de aliquo beneficio prouidere,sed Abrahami exemplo,domo eos pane,ac aqua instructos,ex Dei præcepto eijcere debuissent,& indies deberent.Sed summi Pontifices diuinę voluntatis arcanum, à spiritu sancto edocti,illegitime natis necessario consulendum duxerunt, ne imperiti scripturæ lectores his male,contraque naturam, deique voluntatem consulerent,eosq;metu infamię ac inopię (promptissima desperationis instrumenta(ad scelera adigerent. Sapientiæ c.5.sic legitur: Adulterorum filij,obominatio sunt Deo,& adulterinæ plantę,non dabunt radices altas nec stabilem sedem ponent.Generalis horum verborum sensus hic est.Quicunque adulterijs se commaculant,ac quacunque ratione contra Deũ,Naturã,ac homines adulterantur,eos Deus abominatur, vocans adulterorum filios,qui quacunq; ratione Dei,naturæ,ac politię ordinem perturbant,tum omnes adulteros, ac adulteras,non eos qui ex adulterio concepti,aut impijs parẽtibus nati,iustè,probè, ac legitime viuentes,parentum impietatem,iniustitiam, adulteria,ac incontinentiam,non imitantur.Particularis vero sensus hic est: Adulterorum filij,qui Parentum adulteria,incesta,incontinentiam,ac libidinem,vita exprimũt,abominatio sint Deo,non ij qui caste, continenterque viuunt, *vt patet in c. Cænemanensem,in fine,dist.56. & cap.1. Parag.1.eadem dist.* Eandem interpretationem secutus est Papa Innocentius 3 ad hæc verba,Exodi 20 cap. Ego sum Deus Zolotes,vindicans peccata primum in filios,vsque in tertiam& quartam generationem,in his qui me oderunt, hoc est,qui contra me paternũ odium, Idololatriã, scelera,incredulitatem,ac incontinentiam imitantur,ac exercent, *c.Vndecumque dist.56.* Vnde & D.Augustinus dicit: Vndecumque homines nascantur, si parentũ vitia non sectentur,honesti,& salui erũt.Semen enim ipsum per se malũ non est,sed male vtentibus graue, & exitiosum. Iudicum cap. 11.ita legitimi fratres *Iephtam* illegitimum fratrem alloquuntur. Hæres in domo patri nostri esse non poteris,quia de meretrice natus es. At hæc Dei non erant verba, nec Diuini Vatis,imo neque ex aliqua diuina prodibant constitutione. Sed erat praua, auara, ac maligna fratrũ Iephtæ violenta voluntas,in quam tota eo tẽpore consentiebat Tribus,in multis à Deo,ac Moyse deficiens,eaque de causa tum hostibus suis Idololatris seruiens.Verum paulo post demonstrauit Deus, hanc eorum contra Iephtam,iniuriam,contumeliã,ac vim sibi displicuisse cum enim non solum legitimorum fatrem omnium,sed vniuersæ Tribus,totiusq; Populi Israëlitici,Iudicem,Principem,ac liberatorem constitueret. Quibus è locis satis liquet,eos tantum illegitimos, à scriptura à iure notari infamia, qui hæreditaria successione paternam incontinentiam ac sordes imitantur. Nam & in legitimos hęc diuina torquetur infamia, intentantur minæ, ac infliguntur pœnę. Cæteros vero tales minime censendos,cum in initio vnusquisque

nostrum bonus. Infamia autem in continentem, bonum, ac iustum non cadit. (peccato originis excepto) ac sine incontinentia, iniustitiaque in mundũ prodeat. Nullus igitur illegitimus infamis, macula conspersus, nec conuitij, contumeliæque nota dignus nascitur. Quum enim natura, vt diximus quemlibet bonum creet, à patre aut matre notam, maculamque trahere non possimus, etsi ij latrones, sacrilegi, aut parricidæ fuissent. Omnis enim infamia facti, non Iuris, multo minus Naturæ est, ergo nec successionem admittit. Neque enim recto ordine (vulgo directe dicunt) Natura ex facto, vt Ius oritur, sed è naturæ conditione, facta & Iura procedunt. Hinc tot legum, Constitutionumque diuersitates, quum iustitia per se, vt Natura, simplex sit & vniformis. At obliquo ordine (quod barbari indirecte appellant) facta è natura oriri dicuntur, quum nulla, aut corrupta educatione, Natura actorum, gestorumq; humanorum, causa, ac origo statuitur. Nullus enim vnquam naturæ suæ ratione, sed bene, legis constitutione, infamia est notatus. At adulteria, præposteri concubitus, iustitiæ prostitutio, innocentiæ ac probitatis oppressio, rapinæ, furta, homicidia, impietas, proditio, violentia, ac similia, ipso facto infamiã, ac nominis, existimationisque maculam, labemq; in authorem secum trahunt, naturaliter tamen ad probos, iustos, innocentesque successores non transmittunt. Sed vt durum, ac molestum est audire tales habuisse parentes aut auos, sic casto, continentique filio, triste est intelligere patrem fuisse libidinis vagæ sectatorem, à quo tamen ipse (vt iam sæpe est dictũ) nullam infamiæ notam natura trahere potest, nisi eadem ratione peccens parentis insistat vestigijs. *L. crimen, de Pœnis, arg. L. si is qui. Parag. Vtrum. De Reb. Dub.* Quid enim rectius, iustiusq; quã delicta, eorumque pœnas authorem non egredi? In natiuitate vero si qua est culpa, ignominia, aut dedecus, id patris, matrisque, non liberorum censeri debet. Et quemadmodum nihil est iniquius, quam innoxios cum peccatoribus punire, ita nullum hominũ genus reperitur imperitius, stultius, odiosius, nec imbecillioris iudicij, quam qui parentũ vitia liberis in os ingerunt, maxime natiuitatis, in qua nullus nostrum aliquid iuris habet, nec quisquam est qui se non ex optimis, summis, ac sanctissimis natum optet. Nasci enim ex adulterio, non eius est culpa qui nascitur, sed qui generat, ij autem sunt, *Pater, Mater, & Natura.* His exprobratur quum illegitimis natiuitas probro datur. Quare exprobrare alicui, quod sit Illegitimus, aut ex his ortus, intemperans est præsumptio, ignorantiæ coniuncta, nec aliud merentur responsum, quam vt coniectis in eos oculis subrideas, teque eorum ignorantiam contemnere demonstres. Nil enim vere homini vitio dari potest (vt sæpe est dicendum, & inculcandum) quam quorum ipse voluntarius est author. Nulla autem in re minus habemus libertatis (nullam enim habemus) quam in ortu, ac eo quod sumus. Quare vndecumque quis nascatur modo virtutem, ac honestatem sectetur, contemni non debet, multo minus verbo vel facto lædi. Dei enim omnes Opus sumus, quod qui vel verbo, oculique ictu iniuria afficit, videat ne in authorem contume-

lia

lia redundet. Certe Matth.cap.5.6.7.8. &c. 25. grauis eſt Chriſti in hos ſententia,& ante Chriſtum hominem natum, Plato Ethnicus ratione probauit fœliciorem eum eſſe,qui fert iniuſtitiam,quam qui infert.Non igitur indignum, nec iniuſtum iudicari debet,ſi liberis noſtris illegitimis, probe ac honoſte vitam inſtituentibus honores, ac fortunas cum legitimis communicamus. Plura ſequenti capite. Conſule & ſupra caput tertium.

CAPVT DECIMVM.

1. *Iure Ciuili Illegitimi inter infames, non cenſentur, ſed cõtra.*
2. *A Philoſophis ad Rempublicam admittuntur.*
3. *Princeps abſolutus, & Summus Pontifex, vere poßunt Legitimare.*
4. *Paternæ nobilitatis & claritatis nomẽ, Illegitimi omnes ferre poſſuut addita nota, quam eorum liberis & nothis, ſacris initiatis, deſerere licet.*
5. *Varias olim inter Populos de Nobilitate fuiße Opiniones.*

IVre Ciuili nuſpiam, illegitimi in infamium numero cenſentur, nec à teſtimonio dicendo repelluntur, *toto Tit.ff. de Infa.* In Decurionum Ordinẽ,ad quem Plæbeis,multo minus infamibus,ac ignominia aliqua maculatis eſt aditus,leguntur. *L ſpurij.ff.De Decurio.L.eos.ff. de codẽ L.infamia.C.eodem.* Ius prouocandi quemcunq; ad ſingulare certamem habent. *L.honores.Parag.is qui, De Decurio.* Milites eſſe, nec fendum acquirere, non prohibentur,ſi ciues Rom. ſint; quæ omnia turpibus ac infamibus perſonis olim permitti non ſolent.Papinianus & Vlpianus ſummi IureC ti eos ad egregios honores admittunt *L.generaliter.Parag.ſpurios, de Decur.L.Spurij,De Decur. dicto,Parag.ſpurios,L.comuni,C.de nat.lib.* Certe Benedictus de Barz Nume.9.10.12.13 demonſtrat illegitimos eſſe de genere paterno,de gente paterna,quod inter propinquos & cognatos numerentur,eſſe eos de domo & agnatione patris, poſſeq; præferre inſignia paterna. Ariſtoteles quoq; in Politicis eos à Reipublicæ adminiſtratione non ſubmouit; imo in diuerſis diuinis & profanis hiſtorijs legimus,illegitimos complures, ad magnas, & præclariſſimas dignitates perueniſſe, celeberrimaque Regna dormitantibus legitimis prudenter adminiſtraſſe,& fortiter cõſeruaſſe,vt apparet in parte liberorũ Patriarchæ Iacobi,ex ex Ancillis natorum, qui tamen integras Iudæorum Tribus poſt ſe reliquere: In Iephta fortiſſimo Iudeorum Duce, ac Iudice: in Rege Salomone (vt non exigui aliquot volunt Authores etiam Notho) in Theſeo Athenarum Rege, Teucro, Hercule, Artaxerze, ac Dario Perſarum Regibus, An-

[1.] [2.]

prisco Macedonum Rege, Aristonico Pergami, Iugurtha Numidarum, Romulo, ac Seruio Tullio, Romanorum Regibus. Regnasse quoque patrum nostrorum memoria nothos diuersis in locis optima Populorũ voluntate, magnoq; eorum commodo, paulo post, & in libri calce volente Deo demonstrabimus.

3. Si hæc ac tanta illegitimis Iure diuino ac Ciuili conceduntur, quanto magis id ijs concedi debebit, si natalibus à Principe sint restituti, qui eis omnium eluere natiuitatis maculam a legibus inustam, vt legem Dominus potest, efficiunturque eius beneficio, non ficte sed vere, & proprie legitimi. *Fœlix cap. dudũ, de Præsumpt. Num. 14 Baldus L. cassus, de Senat. Num. 9. Abbas, c. cum te, De re Iudic. Num. 9. L. Imperialis Parag. C. de Nupt. Decius Cons.* 356. Fateor Ius Canonicum illegitimos nedum ad Dignitates, sed ne quidẽ ad sacra administranda admittere, quamdiu sunt illegitimi. Sed hanc seueritatẽ, facilitate legitimandi, Summi Pontifices moderarunt vnde ad sacra, Dignitates, imo ad ipsum Papatum non pauci peruenere.

4. Illegitimos ferre posse patermæ familiæ nomen, ac gentilitia insignia, per totam Europam, imo Orbem Terrarum, vbi hæc hominum est distinctio, semper in vsu fuit ac etiamnum est. Vnde quiuis colligere potest, ac qui aliquid habent iudicij facillime intelligere, illegitimos omnes inter probos, honesti loci homines, ac viros bonos semper esse numeratos, publicorumque munerum capaces, quamquã Christiani Principes id non ferant, nisi à se natalibus sint restituti, tum vt hæc restitutio maiorem habeat authoritatem, tum vt Fisci, ac Aulicorum cõmodo prospiciatur. Quis enim alicuius animi pater, filio infami, dignitatum, honorumque suorum insignia, ac testimonia non adimet? ac ne illa ferat, ostentetque vetabit? maculariq; nulla ratione, à liberis dedecore aspersis permittet? Verum consuetudo fert vt illegitimationis signum, dictis armorum insignijs addant, quod apud Germanos ac Gallofrancos est transuersa linea à sinistro superius in dextrũ clijpei, inferius descendens latus. Nam à dextro in sinistrum latus vergens (vt Borbonij francica ferunt arma) signum est filij secundo, aut tertio loco legitime nati. At qui è nothis ac illegitimis, iustis nuptijs nascuntur, hanc lineam relinquere possunt & exiguum aliud aliquod signum, discriminis causa (ne cum maximo natu, aut ex hoc ortis concurrant) ad instar legitimorum liberorum secundo, tertio, aut alio loco natorum, scuto gentilitio appingere. Si Illegitimus sacris fuerit initiatus non est opus transuersam dictam lineam paternis insignijs addere, cum propter sacri ordinis dignitatem legitimus censeatur, imo ante susceptum Ordinem, necessario sit legitimandus, quare quoque nuptijs exinde inidoneus, ac inter steriles numeratur. Dicta vero insignia in huiusmodi ◇ quadrata figura, non in militari scuto, plumis casside, pro gentis more ornato, feret, sed alati Angeli, non homines, nec bruta animalia, dictum quadratum Angulum sustinebunt. Idem omnes sacerdotes, ac Ecclesiastici cuiuscunque Ordinis, ac Dignitatis fuerint, nobiles, aut ignobiles, facere recepti iuris morisque est. Res vero mali exempli quod hæc obseruare, ob Ordinum distinctionem non cogantur.

gantur. Certe Canonici nobili loco nati, iustoque thoro procreati, hac in re, non exigua ordinum cum confusione, stolida animorũ arrogantia inflati, insigniter præuaricantur. Eadem qua dictum est ratione in librarum sigillis, Annulis, vitreis fenestris, ac publicis, priuatisque omnibus locis, illegitimos, ac ex his natos, tum sacris initiatos, arma gentilitia ferre, apud Christianos, vt dixi, more est receptum, & mirum quod ad obseruationem singuli ac omnes non cogantur. Certe hæretici nostri temporis, morem hunc (vt omnia diuina humanaque) insigniter labefactarunt, quos plæriq; tum sacris initiati, tum non initiati, stulto liberorum suorum amore inducti, malunt imitari, quam pias, grauesque maiorum Constitutiones, cum laude, ac honore obseruare. Quam autem olim variæ apud Populos diuersasque Nationes de Nobilitate fuerint opiniones, nunc paucis ostendamus. Scribit Didor. Sicul. lib. 2. Ægiptijs olim morem fuisse, quo nullus inter eos nothus habebatur, etiamsi è serua esset genitus. Solum enim ducebant patrem generis authorem, matrem vero tantum infantis nutrimentum, ac coälescendi receptaculum habebant. Idem è sacris libris Abrahami Patriarchæ, successorumq; eius tempore fere fuisse receptum colligi potest. Fuere & alij qui non minus à matre, quam à patre oriri nobilitatem voluere. Scribit enim Plutarch. lib. clar. mulier. cap. 9. in fine, apud Zanthios Lijciorum Populos, lege cautum fuisse, vt à matribus non à patribus filij generis nomen sortirentur. Herodot. lib. 1. tradit, Lijcios pro lege peculiari habere, quod à matribus nomina induãt, adeo vt si ingenua ac nobilis seruo nupserit, liberi ingenui ac nobiles censeantur. Polyb. lib. hist. 12. scribit apud Locros nobilitatem è mulieribus, non è viris fuisse. Apud Romanos certe quibusdam in rebus filij, matrum conditionem & Originem, non patrum sequuntur, *patet L. nati, C. de Decur. lib. 10. L. hii qui è filiabus, C. de muril. lib. 11. L. ne diuitius L. vlt. C. de agric. & Cens. lib. 11. L. ex ingenuo, C. de ag. & manc. eodem lib.* Idem videtur mos fuisse apud Ilienses, Delphos, ac in Ponto, *L. 1. ff. de Munic.* Nam quod nobilitas à parte patris constituta, à Iure Ciuili, non à natura sit inducta, sicut & Ius Agnationis, quod tolli & mutari potest (ergo & de Nobilitate Opinio) *patet. Parag. vlt. Iustit.* de legitt. agnat. Tut. Fatetur & Alciatus comunẽ nostram nobilitatem, hoc est, politicam, à statuto, ac consuetudine inductam *L. familiæ, Parag. fœminarũ, ff. de verb. signif. Rebuff. in Concord. Tit. de Coll. Parap. cum vero, in verb. (x) vtroque parte, circa finem.* Certe apud Turcas, olim & hoc tempore, opinio obtinet, illos esse omnium nobilissimos, qui Patres, matres, auos, ac maiores omnes penitus ignorant, quos etiam Princeps inter primos habet, hisque maximarũ Dignitatum, gradus, ordinesq; cõmunicat, author Petrus Bellonius, Obseruat. suar. lib. 2. cap. 95. eodem loco asserens nil aliud esse nobilitatẽ, quam æstimationẽ, ex hominũ opinione pendentẽ, adferens dictũ Aristotelis, dicentis: Nobile est, quod ex bono prodijt genere: Generosũ autẽ, quod à sua non degenerauit natura. De eadẽ re idem author agit lib. Obserua. tertio, cap. decimoseptimo.

5.

Capvt Vndecimvm.

1. *Bartoli de Nobilitate ſpecies tres, cum Philoſophicis diſtinctionibus collatæ.*
2. *Noſtri temporis de nobilitate opiniones, à veteribus Romanis, non alienæ.*
3. *Illegitimi Natalibus reſtituti, quod ad nobilitatem, non minus quam Legitimi Patrum, Maiorumque Conditionem, vnico excepto gradu, retinent.*
4. *Infimæ ſortis Nobilitas eſt, quæ ex diuitijs oritur, ſummæ quæ è vera virtute.*
5. *Hominis Exiſtimatio ex eius vita pendet ortũ, interitumq́ habet. Eodem modo & Nobilitas, quacunque ratione homo ſit natus.*

1. DE *Nobilitate & Ignobilitate*, Iure Cti. diuerſiſſime diſputant, collegitq́; Cœpella 26. diuerſas, Doctorum de nobilitate opiniones. *Tract. de Imper. militi Deleg. cap.* 4. Gabriel Palęotus de Spurijs & Illegitimis, c. 61. Bartoli diſtinctionem laudat, & amplectitur, *quam adfert l. 1. C. de Dig. lib. 12. coll.* 4. Primam vocat Theologicam, quæ è ſingulari gratia Dei homini infuſa relucet, omnibuſque eſt hominibus, quocunq; ſemine natis cõmunis. Alram appellat Philoſophicam, quæ in virtute, honeſtate, ac probitate eſt poſita. ta. Tertiá nominat Politicam, quã Iure Ctum. conſiderationi vult eſſe propriá. Cũ Bartolo ſentire videtur Baldus, *in L. nobiliores C. de Com. & Merc.* vbi dicit eſſe nobilitatem, Incipientem, Creſcentem, & Primam eorũ, qui è ſanctis ac iuſtis orti ſunt maioribus: alterã quorum Parentes, clari, ac potentes, Principatum aliquem obtinuere. Tertiã quorũ Maiores, domi militiæue illuſtro aliquo facto claruere. Quartá, quę ex indolis bonitate, generoſitateq́; ac animi magnitudine petitur, propriæque virtutis laude nititur, hanc omnium ſtatuit excellentiſſimam, ac laudatiſſimam. Nam qui ê Maiorum meritis, ac gloria, exiſtimationẽ metiuntur, nil ipſi nec audentes, nec valentes, vt degeneres contemnit. Quintam ſpeciem addidit Ariſtoteles, petitam è tertia ac quarta Platonis, nimirum eorum, qui literarum Diſciplinis, ac abditarum rerum ſcientia, forent, aut floruere, quod hi non ſolum familiam ſuam ac penates faciant clariores, verũ Vrbes, & Prouincias quibus ſunt oriundi illuſtriores. Quam enim pauci Roterodamum Hollandię Ciuitatem, ſine Deſiderio illo Eraſmo noſcent? 2. Noſtra ętas ſequuta veteres Romanos, qui omnibus in rebus natură ſunt imitati, tres tantum

tum ponit Nobilitates species. Primæ nobilitatis eos censent, quorũ maiores in equestri ordine, ante auorum memoriam fuere, similes hos Romanorum Patricijs, ac Senatoribus statuentes, quod initio nascentis Vrbis, Romulus in hũc ordinem legeret, Viros non solum cæteris ætate ac rerum experientia pręstantes, sed genere quoque, ac gentilitatis honore clariores, quos primum Patres, ac Seniores: deinde Patricios, ac Senatores appellari voluit. Secundæ nobilitatis loco eos habent, qui in Equestrem ascripti, non ita dudum ordinem auorum memoria inter Populares familias numerabantur. Equitibus hi Romanis sunt similes, qui à Patricijs loco, honore, vestitu, annuli gestatione, ac necessaria equi nutritione distinguebantur. Tertia species nobilitatis Popularis & olim erat, & hodie habetur, eorumque est qui in Plæbe magis eminent, in Equestrem nondum asciti ordinem. Populi enim vox Latino sermoni generalis est, Nobiles ac Ignobiles, Summos ac Infimos complectens. E Populo, Romani, Equitum ordinẽ, bello, aut peste diminutũ supplebant: Ex Equestri Senatoriũ. Hac ratione nostra tẽpestate dictas nobilitatis species, inusitato latinis loquẽdi modo, nominãt: Nobiles Veteres: Medios, ac Nouos, non insulso iudicio rerũ naturã cũ Romanis sequentes, imitantesq; Si enim sine inuidia Virtuti, ac ingenijs in Republica locũ dare volumus, admittẽda est hęc distinctio. Quis enim sine risu eum feret Patriciũ, qui negat familiam suã, è tenuibus initijs non aliquãdo ortam. Quis non stolidum iudicabit, qui stirpi suæ æternitatẽ, polliceri audebit? Vbi nunc Virgilius, qui Iouem de Romanis, hoc modo mentientem inducit. Imperiũ sine fine dedi. Iacet Roma cum Senatorio, ac Equestri ordine. Taceo de his qui ante Romana tempora clari fuere. Græciæ nobilitatis ne vestigia quidem apparent nisi eorum quibus aut Philosophia, ac Historia vitam dedit. Mirantur Belgę mei, cum in suis Annalibus, obsoleta vetustæ Nobilitatis cognomina legunt. Quæcunq; sub Luna initium habuere, finẽ aliquando sentiant necesse est. Proinde vetustissimis familijs intereuntibus, succedũt medię, his postremæ, exoriuntur rursus nouę. Hodie etiã inter Christianos ordo Equester, à Principe Ignobilibus collatus certũ est nobilitatis initiũ. At nobilibus donatus non nobilitatis initium, sed Dignitatis est augmentum. Hęc de Philosophica, è Platonis sentẽtia, Bartoli nobilitate. Theologica enim ab homine distingui nõ potest, Quo enim quis melior, sanctior, ac innocentior, eo Deo coniunctior, erit & nobilior. Hæc autem quis distinguet? quis iudiciũ proferet de Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Moyse, Samuele, Dauide, Elia, Hæliseo, Isaia, Daniele, & similibus, quisnam eorum sit Deo coniunctior, ac proinde nobilior? certe nullus nisi solus Deus, de quo habemus insigne testimonium, Nobilitatis Ioannis Babtistæ, ac Christi hominis. Dicit enim in Euangelio Christus Deus. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne BaBtista. At qui minor est in Regno cœlorum, maior est eo. De Politica nobilitate disputant, eamque distinguunt Viri Politici politice: Superbi ac arrogantes superbe, & arroganter: Ridiculi & Stolidi, stolide, & ridicule: Prudenter vero moderati

moderati, ac modesti Viri, prudenter, moderate, ac modeste. Hác Bartolus hoc modo definit. Politica nobilitas est qualitas, homini à Principe illata, quæ in filios, Nepotes, Pronepotes &c. propagatur, ob quam è Popularium, Plębisque numero, eximitur, cuius is tantum particeps dicitur, quem Princeps eo honore fuerit dignatus, aut cuius maiores talem consecuti sunt, à Principe suo gradum. Huius Politicæ nobilitatis multi Doctores, Illegitimos nolunt esse participes, quorum rationes quoniam exigui sunt momenti, & à sanioribus luculenter, diserteque refutatæ studio omisi alij volunt eos esse participes, quorum è numero inter complures est Bartolus, vt satis ex hac definitione liquet, dicens, quę in filios, Nepotes, & Pronepotes propagatur, non addens legitime tantum natos, vel illegitimis omissis, sed simpliciter propagato nemine excluso. Tertij vtriusque opiniones reijcientes, vniuscuiusque Reipublicæ Regni, Regionis, ac Prouincię, morem hic esse considerandum, sequendumque volunt, quum Politica Nobilitas, è bartoli distinctione, omnium minima, è principum hominumque potius pendeat opinione, quam è solido aliquo veræ virtutis (cuius hæc nobilitas tantum imaginem refert) fundamento. Quã multi propter opes, etiam subinde Vsura, Vi, rapto, astutiam alijsque malis artibus quęsitas, nobiles haberi volunt? Quam non pauci hinc emersere? Cancellarij, Præsides, similesque Rebuspublicis seruientes, vtilesque Principibus Viri, potius inter Philosophicos, ac Theologicos, quam Politicos nobiles sunt censendi. Nam quanto plærique plus pace, domi, consilioque possunt, tanto fere minus bello, manu, ac corpore vallent. Vtroque enim hominum generi opus est Principi, vterque honores, ac opes meretur. Plura de nobilitate ac ijs quæ ad hanc spectant adferre possem, nimirum de Dignitatum nominibus, ac quo modo ijs vti oporteat, & olim Maiores nostri vsi sint, quaque ratione ijs hodie, nostra ætas abutatur, tam nobiles, quam ij qui nobilium Dominia prætio comparant, nisi ea studio omittenda duxissemus, reseruandaque libello, quem de officio Legati Castrensis (Heraldum Armorum, vulgo vocant) scribere statuimus si Deus otium, ac vitam dederit, & amici promissam operam præstiterint. Pendet enim hæc res non minus è maiorum institutis, quam nostri temporis obseruationibus. Sed tandem omissis IureCon. De nobilitate disputationibus, definitionibus, ac distinctionibus, Illegitimos licito coitu susceptos, natalibusque à Principe restitutos, è patrum, è maiorumque suorum qualitate censendos iamdudũ nos satis docuisse existimamus maxime si se Republice non inutiles, consilio, opere, aut vtroque demonstrare cœperint. Perdunt enim Nobilium filij nobilitatem, cum deserta Republica, ac libidinosum, voluptuariumque se conferunt otium, ac inter eos se conspiciendos præbent, de quibus ita Virgilius:

3.

Nos numero sumus, & fruges consumere nati:

Verum si, illegitimi, eo modo vitam instituant, vt vrgente necessitate, Reipublicæ vtiles reperiantur, Principique suo, se præsto præbeant, si ex Imperatore, Cæsare, aut mago Rege sint nati, Principi, Duci, Comiti, aut Marchioni

æqui-

æquiparantur: Si è Duce, aut Comite, Baroni: Si ex Barone, vetusto nobili: Si è Nobili Ciui patricio: Si ex hoc, cuiuis è plæbe, nec vlla subest contraria causa, quare non tales haberi, censerique debeant, & si Princeps velit, altiori etiam loco conspiciantur. Quod enim à lege constituitur, contraria lege tolli potest: Quod ab opinione nobis adnascitur, contraria inducta persuasione euanescit. Si quod Principi placet, legis habet vigorē, quare non quod illi displicet, omnem perdet tenorē? At quæ à natura homini, in animo, corpore, siue in vtroq; sunt tributa, nec Princeps, nec hominū vllus mutare potest. Quis enim Hermophroditum, Virum, aut Fœminam faciet? Si quis sit natus capite, ac fronte, acuminato, occipitio crasso, largoq; , in pectore, ac tergo, gibbū gerens, ventrem habeat prominentē, cruribus sit fistulatis, ac teretibus, brachijs similibus, pedibus rotundis, oculis eminentibus, rigidis, rubicundis, felinis, quis hunc ordinariæ hominū constitutioni restituet? At si idem animo sit prudenti, probo, generoso, mente sancta, innocenti, ac iusta, quis non hūc formosissimo, sed fatuo, distorti ingenij, vitijsque scatente homine prætulerit? Quis non huius deformis Viri animam, mentem, sanctitatē, ac iustitiam, ac innocentiam, Sardanapalis, Zerpis, Alcibiadis, Neronis, Domitiani, ac similium formæ, fortuna, ac decore, prælegerit? Marsilius Ficinus, superioris sæculi Philosophus Platonicus prestantissimus, ac doctissimus homūculus tantū fuisse scribitur, quē si à tergo cōspexisses, puerū iudicasses. At qualis in hoc corpusculo vita vix digno, vis animi, præstantia, perspicacitas, acumen, ac iudiciū? Quanta memoriæ amplitudo ac tenacitas, quā admiranda vitæ sanctitas, morumque probitas? Quā verus christianus, probusque philosophus? Quid si omnibus legitimo, ac illegitimo thoro natis, huiusmodi exprimere viros non est datū, politicam tamē probitatem assequi, singulis est concessum. Fugiant fastū, ac amatam non paucis superbiam, arrogantiam, insolentiam, ac sui amorē, summaque annitantur Ope, ne hæ belluæ apud se radices agant. Ita comparati illegitimi, natalibus à quo oportet se restitui curent, vt non solum sibi, sed etiam liberis, ac Nepotibus consulant, parique cum cæteris gradu incedere possint, neque tacere alijs garrientibus, grandiaque verba eructantibus, necesse sit, paruique æstiment, si quid in posterum inuidi obtrectatores de se loquantur. Claritas enim e Natiuitate, ac Nobilitas è politia orta, quum opes, ac diuitiæ earum sit præcipua basis, ac columen, & cum his augeantur, & minuantur, planeque à vulgo, auri possessione metiantur, quis non videt eas, non è natura, reique veritate, sed ex hominū opinione pendere? Constans est veritas, neq; eripi vlla ratione homini potest, si radices egerit: Opinio fortunam sequens, omnibus momentis mutatur & pro status nostri conuersione crescit, ac decrescit, ita vt vere de ea cum Iuuenale discere possimus: 40.

Si fortuna volet, fies de Consule Rhætor:
Si volet hæc eadem, fies de Rhætore Consul.

At iſta conuerſio locum non habet, vt natura & Veritas inter ſe concurrũt, conſentiuntque. Quod ſi parentum claritas, Politicaque nobilitas non in auro ſed in vera virtute, animique generoſitate priuilegij ſui fundamentum, ac honoris colomnam locarit, bone Deus quam firmiter ſtabit? ſemper creſcet: omnium oculos perſtringet? ab omnibus reuerebitur? Omni conditioni ac ordini admirationi erit? inuidia clam mordentem ſuperabit? ac ſolertis prudentiæ cura, auxilioque efficiet, ne vnquam egeat. Et quanquam non concedatur vt domi magnifice ſplendeſcat, carebit tamen obſoleti ſordibus tecti, ac inuidenda ſobrius Aula, tutus ſemper erit, aureæ mediocritatis pace, ac elegantia, veraque animi tranquillitate, ex hac pullulaſcente. Talis enim reperietur, ac cenſebitur, qualem ſe vita præbebit. 5. Ea autẽ exiſtimationem (quam omnes homines vehementur ambiunt) nemini extorquere poteſt, niſi virtutem ita exerceat, vt in ea animi generoſitas ac liberalitas, iudicio, ac mediocritate conſiſtẽs eluceat. Proinde ſi probos, iuſtoſque auos imitatus fueris, his dignus, comparanduſque eris: ſi improbos, iniuſtoſq; exprimere malueris (ferunt enim vtroſque omnes familiæ, omniaque ſtemmata, quoniam & humana natura) nil tibi claritatis, nec nobilitatis probis, iuſtique Maiores adferent, ſed cum improbis, iniuſtiſque, ſiue legitimus, ſiue illegitimus fueris, numeraberis. Nã vt inquit Sophocles: ὁ δὲ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει. hoc eſt: Nothus tantum valet, quantum legitimus.

Idem.

Legitima eſt natura Viris, quibus optima mens eſt.

Idem.

Omne quod bonum eſt genuinam, & legitimam habet naturam

Euripodes.

Ex nobis ſpurios naſci, non turpe putandum eſt,
Fac namque ingenio valeant, fac moribus ipſum.
Haud vnquam poterit, naturam inuertere nomen.

Idem in Andromache.

Arida profundam terram vicit ſatio: Spuriique multis legitimis meliores.

Idem in Euryſtæo, apud Stob. in ſer. 7.

Fruſtra mortales ſibi cauent à Nothis
Filiis generandis: quiſquis enim bonus fuerit.
Illius natura non corrumpitur nomine.

Idem in Andromeda.

Ego mihi filios aſciſcere Nothos non dubito.
Cum enim legitimis, nulla in re ſint inferiores.
Propter leges male audiunt, quas tu cauere debes.

Idem apud Stob.

ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον· ἡ φύσις δ' ἴση. I. nomine Nothi, non natura differunt.

Menander.

οὐδὲν γένος γὰρ οἶμαι διαφέρειν,
ἀλλ' εἰ δικαῖος ἐξετάσεις καὶ γνήσιος,
ὁ χρηστὸς ἐστὶν οὐδὲ πονηρὸς, καὶ νόθος.

Statius.

Vidi ego transfertos, alieno in robore ramos: X altius ire suis.
Plura de his infra capite: 14.

CAPVT DVODECIMVM.

1. *Qua ratione competat actio iniuriarum, siquis aliquem Bastardum, conuitiandi animo vocet.*
2. *Princeps vere, ac legitime Illegitimos restituit natalibus.*
3. *Competere etiam iniuriarum actionem contra eum, qui conuitiandi animo Bastardum appellat, à Principe natalibus non restitutum.*
4. *Contemnendæ potius, quam persequendæ, hæ iniuriarũ actiones, ac ridendi huiusmodi conuitiatores.*

APpellare aliquem Bastardum (qua de re quædam attigimus supra cap. 8) an in hunc actio competat iniuriarum, eleganter disputat Palæotus de Spurijs, & Illegit: cap. 64. asserens si falsa est exprobratio competere, vt etiam si à Principe natalibus sit restitutus. Non enim amplius est illegitimus, neque Bastardus, quem Princeps inter legitimos agnoscit, sed vere legitimus, *vt probat alciat de Duell. cap.* 10. Quæcunque enim lege turpia sunt (vt superiori scripsimus capite) contraria lege honesta fiunt: quæ natura, hæc cõstante, natura talia manent qualia sunt nec à lege emendari, vitiari, accusari, nec defendi in rei veritate possunt. Natura vero illegitimos non nouit. Lex (cum qua cum raro natura ex diametro pugnat) eos in medium protulit. Leges vero omnes in Principum, aut eorum qui absolutorum Principum sunt loco stant potestate, eas cudere, ac recudere, ferre ac abolere, in statu relinquere, aut pro parte, vel in vniuersum mutari soli possunt. Caput enim Rector, ac Primas est Reipublicæ, omniumque qui, ac quæ ea continentur, ideoque & Princeps, & Rex appellatur. Si in actionibus suis prudentiam adiutricem adhibet fœlices sunt subditi: Infœlices si affectus impotentes in consilium admittit. Hæc Principis potestas efficit, vt illegitimus fiat legitimus. Sua enim potestate legis seueritate, ac seruitute hominem liberans, suauissimæ matri naturæ, integrum, immaculatumque restituit.

1.

2.

tuit. Sublatæ enim lege, eiuſque cauſa, ceſſat, & illius effectus. Quare iniuriam Principi facit, priorem reſtituto, exprobrans cōditionem. Videtur enim quantum in ſe eſt, Principi velle adimere potentiam, ac efficaciam beneficij, reſtitutionis in integrum, ac proinde irridere eius authoritatem, Dignitatem, & poteſtatem. Hinc Actio iniuriarum, duplici cauſa in hunc competit. Primo quod Principis authoritatem, deinde quod reſtituti honorem lædat. Quare enim hic minus valebit Principis authoritas, ac potentia, quam cum ex Ignobili & plæbeo nobilem facit? Cum homicidam ſe aliqua ratione excuſantem, mortis pœna liberat. Cum æris alieni cauſa nexum creditorum ſeuitiæ eximit? conceſſoque bonorum ceſſ.onis beneficio, ne in corpus immitius agatur, ac vt tuto in publicum prodire poſſit, efficit? cum rebelles in gratiam, veteremque locum recipit? imo ad Dignitates & honores admittit? multiſque alijs in rebus diuino exemplo (cuius eſſe debet exemplar) beneficia ſua diſtribuens, legum, non naturæ ſe Dominum, Principemque commonſtrant. Quamobrē non immerito à IureC^is. Ius diſtinguitur in Diuinum & humanum. Diuinum vnicū eſt, & vniforme ſua natura: at hominum opinione, qua nil falſius nec mutabilius) varium ac multiforme. Ius humanum, rurſum diuidunt, in naturale, Gentium, ac Ciuile, quod & Poſitiuum Canoniſte vocant, varijſque de cauſis, pro rei, temporis, ac perſonarum conditione, mutatur, ac ſubinde omnino tollitur. In hoc viget abſolutorum Principum poteſtas ac authoritas, hac poteſtate, & authoritate, non minus leges Gentium, Ciuiles, ſeu Poſitiuæ, quam ipſi homines ſe ſubijciunt, horum Principum nutum, ac voluntatem, ex æquo, iuſtoque imperantium omnes reſpiciunt, ac ſecundum eam ſe ſuaque dirigunt ac moderantur, quod ſtatuunt pro oraculo habent, irridere & non parere nefas, crimenque læſæ Maieſtatis ducunt. Nunc mecum iudicate, ſi alicui è prædictis aut ſimilem ob cauſam à Principe reſtitutis prior conditio, ac fortuna exprobraretur, an non Principis ſaltem reſpectu in hunc iniuriarum actio inſtitui poterit? Mihi certe videtur, ac multis Pandectarum, Canonumque locis hanc ſententiam ſtabiliri poſſe certum eſt, quo ego breuitati ſtudens, vt multa alia, ac præcipue Doctorvm hac de re allegationes, omitto. *Vnum tantum Marcum Vertr. de Iur. liber. cap. 43. loquentem* audiamus: Leges nullæ, ſiue veteres, ſiue nouæ, cum ius legitimorum naturalibus largiuntur, parentum rationem habent, ſed omne eorum in eo ſitum eſt ſtudium, hæc omnis legum mens & cogitatio, vt filijs natiuitatis maculam abluant & notam iniuſtę procreationis tollant, vt filij qui non peccauerūt, ab alijs diſtinguantur, *vt patet in nouell. Conſt. 74. & 89.* Sed quid ſi illegitimum, aut Baſtardum nominem qui nondum à Principe legi eſt conciliatus, iniuriarum ne huic Actio contra me competet? Concludit Palæotus competere, idque hac ratione. Primum aut plurimum intereſſe ad publicam quietem, vt priuatorum hominum, ac etiam publica munia obeuntium, næui, vitia, ac maculæ, quæ Republicæ non nocent, celentur, minimeque publicentur, idque ne lites

3.

con-

controuersiæ,conuitia,odia,ac tandem rixæ,cædesque inter subditos oriantur. Deinde illiberale.imo inhumanum esse,errata hominum,libera voluntate cõmissorum publice detegere ac diuulgare, quanto igitur minus ea cum iniuriosa exprobratione palam fieri debent,quorum non sumus authores,nec causę in nostra potestate nec voluntate positę,sed connatę, ac non ex rei,naturæq; veritate,sed ex hominũ opinione, ac legibus inductę.Quis enim non hũc irrideat, ac imbecillę mentis iudicet, qui alteri exprobrat quod sit natus claudus,cæcus pætus,luscus,fuscus,simus,deformis,pumilio,gygas,inops,ignobilis,aut illegitimus?quũ nihil horũ in hominis esse potestate,omnes sciant.Certe memini me aliquando Viros duos,certa de causa,ac lite iurgãtes audire.Vterq;nobilis erat, sed vnus legitimo thoro, procreatus, ac in Ciuitate Principi Titulo Scoltæti seruiens,fortunarũ suarũ exhaustor ac dilapidator perpetuitate litigãdi, quod ex admirabili procedebat,animi morositate,& cõtumacia,ac proinde ęre alieno grauatus,vt liberos reliquerit inopes: alter erat illegitimus seu naturalis in eadẽ Ciuitate Principi operã dans Titulo Balliui,cuius iurisdictio, eo est loci, extra ciuitatẽ,quemadmodũ Scolteti,intra murorũ ambitũ concluditur.Pater eum natalibus restitui curarat,diuitẽ ei vxorẽ,cũ hac dignitate procurarat,honestoq; insuper patrimonio ornarat.Exprobrãdi animo, ac conuitiandi caput Scultetus Balliuũ rogabat:Meministi te inquit esse Bastardũ? Reddit balliuus: memini me ita natũ,inquit,sed Principis Cęsaris Caroli quinti,beneficio,ac potestate, me tibi in omnibus parem,ac ęqualẽ fero,nec me pudet ita vt Deus ac natura voluere natũ esse,sed te pudeat,quod multorũ miserorũ hominũ iustissimus debitor,nisi à Iudice coãctus soluere non didiceris,cũq; Vir nobilis estimari velis,cum nemine tamẽ pacem colere scias,nec te ęre alieno,è continuis litibus cõtracto, liberare possis, id tuis liberis maiori probro dedecore,ac dãno quam mihi,meisque natiuitas mea erit. Scoltetus rei veritate perstrictus, subito obticuit,ac inde omnibus relictis nemine salutato se proripuit, non sine magno astantium,hæcque mecum audientium risu.Accipe aliud exemplum,à Nicolao Machiauello historiæ Florẽtinæ lib.6.perscriptũ in hãc sententiã.Franciscus Sfortia,Iacobi Atẽnuli Sfortię filius nothus,suiq; tẽporis Italię dux bello clarissimus ac fœlicissimus,duxit in vxorẽ BlancãMariam,filiã nothã,ac hæredẽ, Phillippi Mariæ Ducis Mediolanensis,eoq; mortuo cũ Mediolanenses se in libertatẽ vendicantes,à Venetis oppugnarentur,exercitu contra eos parato, Franciscum SfortiamDucem constituunt,qui memorabili prœlio anno 1448. ad Carauaggium Castelium, Venetos superat. Cumque inter multos nobiles captos, repertus esset Prouisor (vt loquuntur) Veneti exercitus (legatum enim sic vocant) qui paulo ante Venetos ad pugnam animaturus, vniuerso audiente exercitu, Sfortiam, spurium, vilem, degenerem, ac Bastardum conuitiosis verbis appellarat, adductus ad eum in genua se conijcit, ac tremens,titubansque de petulantis linguæ intemperantia veniam petit, subridens Sfortia, ita hominem alloquitur: Miror te Senatus Veneti legatum,

limites officij,personæque tuæ egredi,ac grauitatem tantę Reipublicæ dignam, conseruare non potuisse, sed animi impotentiam, linguæ futilitate ostendere voluisse,male de me loquens qui nunquam te læserim. Quod enim ad natiuitatem meam attinet, recordari debuisses, nil mihi in ea iuris fuisse, minus impedire potuisse, ne pater meus Iacobus Sfortia, cum matre mea Luca, familiarius, ac tenerius viueret, ageretque. Proinde ex eorum congressu in me nec laudem,nec dedecus redundasse. Quare obiectaturus mihi animum vilem, degenerem, ac abiectnm, oculus coniecisses in res vniuerso vitæ meæ cursu, ductu meo gestas,quæ si contrarium mox tibi repræsentassent, animi tui impotentiam,linguæque intemperantiam, facile cohibuisses, nec te in hanc formidinem coniecisses. Hæc enim vera esse,vel Senatus Veneti,pridie vera virtute à me superati testimonio comprobare licet. A te vero nullam aliã expecto vindictam quam vt in posterum, linguæ potius moderandũ, quam indulgendum discas, ac rebus tuæ Reipublicæ, prudentius, fortiusque, prouidendum (Bone Prouisor) scias. Ita perstrictum, irrisumque futilis lingue legatũ,magno Sfortia timore liberat, dimittitque. Themistocles Imperator Atheniensium præclarissimus, Græciæque libertatis conseruator vnicus, cum illi illegitima exprobraretur natiuitas, idẽ quod Cicero Sallustio ignobilitatem illi exprobranti respondit,& vterque verissime:Meum genus (dicentes) à me incipiet, tuum in te definet, Plutarch: in Vita Themist: Timothæus alius præclarus Atheniensium Imperator,Cononis plæclarissimi Ducis filius nothus, cum ei conuitio daretur natiuitas respondit: maximã matri habeo gratiam, quod,per eam Cononis sũ filius,autor Athen.& Suidas. Carolus Martellus,Caroli Magni paternus auus,audiens hostem Aquitaniæ Ducem,illigitimã,sibi exprobrasse natiuitatem,nil aliud eius Legato respondit,quam vt Duci referret,huius illegitimi nomine audito, tremere Hispaniam ac Africam, colla sibi submittere Galliam,idemque ei mox faciendum. Sed hanc iniuriarum actionem multis

4\. casibus posse moderari,ac ad litium extinctionem seruire idem Palæotus dicto docet capite,ad quem qui hæc scire cupit,remitto. Præstat enim contemnere huiusmodi criminatores ac conuitiatores,quam cum ijs iure experiri,quod nil aliud à viris probis,grauibusque,dicacitate sua reportent,quam odiosi ac conuitiosi hominis nomen,præ tumida superbia,quid,ac qua ratione loquatur ignorantis, sed temere quicquid in buccam venerit sine iudicio ac consideratione, effutientis.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

1. *Quare liberi naturales ab intestato ad materna,non ad paterna bona admittantur.*
2. *Refutata eorum Opinio,qui contra IureC^os hac de re sentiunt.*

Omnia

3. *Omnia peccata bifariam Theologice & Politice esse consideranda.*

SAtis iam copiose superioribus capitibus, disseruisse videmur, pro susceptæ breuitatis instituto, qui olim fuerint, & hodie sunt, variarum Nationum Populorumq; in contrahendis coniugijs mores & leges, qualis omnium liberorum status, quid hisce de rebus veteres Romani statuerint, quid medij temporis eorum Respublica obseruarit, quis inter eos fuerit vsus Concubinatus, quæ consuetudo prohibiti, ac non prohibiti coitus. Postremo quæ fuerit horum omnium, eorumque liberorum, sub Cæsaribus conditio. Transeamus ad nostri temporis receptos mores, & quid hisce de rebus sentiant Europæi Christiani (quorum causa hic à me susceptus est labor) dispiciamus. Diuidi autem mihi videtur recte hæc res in quinq; partes posse. Primo quare extra matrimonij Leges nati, ad materna tantum ab intestato, non ad paterna admittantur bona. Deinde quod priuati hæreditate patris, familiæ nomen ferre, gentilitia signa in scutis gerere, eaque publicis, priuatisque locis affigere, ac vt Legitimi faciunt donare, curcunferreq; possunt, quoniam ab initio christianismi, id eis sit permissum, & nunquam prohibitum. Tertio quod ob paternorum bonorum ab intestato priuationem, nobilitatis, nec honoris eius iure, nec participatione spolientur. Quarto causam quare inter Germanos cum Naturalibus liberis durius agatur, adferemus. Quinto probare conabimur, necesse esse, vt vnusquisque Principis sui morem in hac de Naturalibus ac Illegitimis liberis opinionum varietatē vel inuitus sequatur, Optimum tamen esse, cum minimum à natura receditur. Quod ad primam partem attinet ea de causa liberi Naturales, ac Illegitimi ab intestato, ad materna admittuntur bona, quod ea semper sit certa, ac proinde à natura quam Ius Ciuile sequitur statutum, vt partus ventrem sequatur. Is autem proprium agnoscens fœtum, æquali cum cæteris liberis ratione, lege naturali, ad omnia sua bona admittit. Verum quum Ius Ciuile non sine causa subinde dubitet, quis verus ac Naturalis eiusmodi liberorum sit pater, eos ab intestato patri succedere noluit, sed in eorū potestatē reliquit testamento his prouidere, idque ad certam portionem, quam excedere licitum non foret. Cogebat enim Iuris Ciuilis authores, vt in hoc negotio à natura, ad certas leges constituendas confugerēt, sexus muliebris imbecillitas, ac ad vagam libidinem admirabilis procliuitas, quam aliqua ratione legum septo, reprimendam censebant. Cogitabant enim fœminam quæ semel (neglecta pudicitia, oblita conditionis eius, qui ex se esset proditurus, contemptoq; coniugij sacro vinculo) se vni per adulterium subiecisset viro, non admodum constanter sui copiam, & alijs recusaturam. E qua admissariorum varietate, de vero patre nil certi posset constare. Hanc præcipuam esse causam, quare illegitimi tantum ex intestato matri, non patri de iure succedant certissimum est, ac in honorem, reuerentiamq; Contractus Matrimonialis,

1.

2.

monialis, recte, iusteque est introductum, non ea de causa quam plærique homines absurdi iudicij somniauere, dicentes illegitimos, à paterna ab intestato repelli successione, ob fœditatem, ac turpitudinem, prohibiti à Deo coitus, ac peccati capitalis (vulgo mortale vocant) inde emergentis magnitudinē, quod in minima etiam commissum specie (quam Scortationem, ac Fornicationem Christiani appellant) æque apud Deum capitale est. Quæ ratio si vera est non minus à maternis ab intestato bonis, quam paternis excludi, illegitimi deberēt liberi, cum in vtroque parente, eadem sit peccati capitalis Vis ac magnitudo, eademque à Deo constituta vtrique sexui pœna. Adde quod si ob peccati à parentibus commissi enormitatem, à paternis illegitimi, ab intestato excludi deberent bonis, idem statui deberet, contra liberos omnes legitimo etiam thoro conceptos natosq;, quorum Parentes tempore conceptionis, in vno è septem capitalibus (ne dicam in pluribus) reperti essent peccatis, quum per se singula, ad perdendum hominē, & à Deo separandum (teste sacra pagina sufficiant. Peccatum enim gravitate, enormitateque æqualia, ac à Deo æterna morte punienda, eadem ratione humanis quoque deberent plecti legibus, cumque septem capitalia à Theologis numerentur, omniaque à Deo æternis pœnis vindicentur (si vni quis reus immoriatur) quare in solam Venerem humanæ leges erunt rigidissimæ, in Bacchum vero lenissimæ, ac mitissimæ? cæteras vero ferme contemnent, ridebunt, nisi grauissime limites suos transilientes, quæ licita aut illicita Venus produxit, demoliti fuerint, aut corruperint? Scio responderi posse peccata capitalia Theologice & Politice esse consideranda. Theologica Deum, qui maxime animū, mentem, hominisque interiores recessus dijudicat, punire, aut condonare. Politica à magistratu, (qui tantū externa aspicit) plecti, aut dimitti. Punire vero ea grauiter, quæ comune Republicæ statum labefactare videntur: dimittere, quæ quam minimū. Nil autem magis Reipublicæ interesse, quam ne successiones, hæreditatesque, ingenti, cura, labore, ac sollicitudine comparatæ conseruatæque, perturbentur, neque ad adulterinos partus deuoluantur. Ad hæc ego respondeo, idem non raro vsuuenire in matrimonijs, scatere ea adulterijs, Viros ab vna, mulieres ab altera parte fidem fallere, suppositios, aliundeque quæsitos liberos, maritis pro suis dare, ac obtrudere. Dices rursum, id inter plærosque negari non posse, sed vt tantę confusioni limes statueretur, coniugiorumque honori consuleretur, vnicuiq; marito, suæ vxoris curam, custodiamque leges demandasse, liberos vndecunque susceptos (si pro suis semel mariti admiserint, ac postea contrarium docere aperte non potuerint) pro Legitimis, vt haberent, alerent, educarent, dotarent, ac ad successionem ab intestato admitterent, coegisse, ac ex hoc esse natum iuris decretum, aut, vt loquuntur Regulam: Venter matrem: Nuptiæ patrem Constituunt: De ignotis enim non iudicare Ecclesiam, multo minus Leges Ciuiles noti iuris est. Enimvero qui extra, matrimonium sunt concepti, natique, cum hic nullius honoris causa, nec respectus habeatur, vulgoque concepti

non

non immerito timeri possint, à paterna ab intestato successione de iure sunt exclusi, non ob peccati libidinis, luxuriæ, ac scortationis enormitatem ac turpitudinem tantopere tamen, fateor, à sacris literis detestatam, ac magnis, immensisque minis oneratam. Postremo quam parum hoc argumentũ, constare, possit, ex eo etiam apparet, quod capitalium, ac venialium peccatorũ cognitio, ac differentia, distinctioque, veteribus Romanorum IureC tis. à Christiana religione alienis, plane fuerit nulla, & ignota. Ab intestato tamen Romæ Illegitimos primum non potuisse succedere, postea tantum pro parte, superioribus capitibus abunde demonstrauimus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

1. *Quare illegitimi ab intestato Patri non succedentes, in, & ad eius honores succedant.*
2. *Bonorum amißio ac paupertas nobilitatem non lædunt, nisi adueniant vitiosa prodigalitate.*
3. *Varia exempla Illegitimis paternos honores, ereptis bonis manere, ac ad amplißimas, eos Dignitates admitti.*

NVnc secundam ac tertiam partem examinemus, quare cũ illegitimis paterna succeßio ab intestato sit interdicta, quærelaq; inofficiosi eis erepta, tamen in, & ad honores paternos, more, longa maiorum consuetudine confirmato succedant, ac ad participationem cognominis paternæ familiæ, gentilitiorum insigniorum, omniumque nobilitatis decorum ac ornamentorum admittantur, de quibus plura supra. cap. 10. Huc vsq; certe puduit leges, naturam in hominis natiuitate oppugnare, illique ex aduerso obsistere. Cum enim in fauorem matrimonij à se constituti, seuero, illiberaliq; iudicio, paterna succeßione illegitimos pro maiori parte, etiam facto testamento spoliassent, nominis tamen paterni honorem, familiæ dignitatem, ac politicæ nobilitatis insignia, eis communicauere, posteris exẽplo futura, leges homini innocenti fortunæ bona, ipsamque vitam, politicum vero honorẽ (cuius pars est nostra de qua agimus nobilitas) verasque animi opes, Theologicã scilicet ac Philosophicam nobilitatem eripere minime posse. Sed quid si partum nemo agnoscat. Is terræ filius manebit, vt vulgo conceptus, nullo honore, nisi quem sibijpsi parauerit dignus. Ex patre, enim, ac nobisipsis, omnia nostra pendet Dignitas & Indignitas. Quemadmodum enim nullus ad indebiti solutionem cogi de iure potest recte si debitum agnoscat, aut confiteri cogatur: Sic nemo ad alendum, nutriendumque infantem adigi debet, nisi suum esse confiteatur, aut conuincatur. Quo casu apud Europeos hodie Christianos, si non eadem

ratione in bona) alimenta enim eis ptæbere, aut vnde ea comparent docere coguntur, si fortunæ ferant) saltem in honores paternos succedunt, habita tantum gradus sui ratione. Paupertas enim & Inopia, nemini Nobilitatem demunt (nisi vitiosa viuendi ratione, ac mera, stultaque prodigalitate, bona decoxerint) cum omnes homines non minus nobilem iudicent, filium Viri Principis natu quintum, aut decimum, quam natu maximum, qui tamem solus ad paterni Regni successionem, vocatur, ac admittitur. Si enim solæ opes, ac immensæ diuitiæ facerent, Fœneratores, Exactores, Raptores, ac similes, nobilissimi essent dicendi. Hæc cum ita apud nos se habeant, non video quare minus politicæ nobilitatis ac honoris, Naturalibus virorum nobilium liberis, quam Legitimis tribui debeant, quum signum nomina, arma, decoraque omnia, non solum patris sed & Auorum, maiorumque omnium eis sint relicta cum legitimis comunia, quas vnicas hodie esse nobilitatis notas, omnes, ij asseuerant, qui cæteros in harum rerum cognitione ac studij genere præcellere volunt, idque non minus quam olim Romani, politicam nobilitatem metiebantur, ex Imaginum, ac Statuarum, demortuorum auorum, in Atrijs secundum Ordinem collocatorum numero, quorum rebus gestis, ac claritate non minus naturales, quam Legitimi liberi spiritum sumebant, gloriabanturque, sibique eorum decora ac laudes asscribebant. Quarum rerum consideratione, moti Hispani, Itali, ac Gallofranci, Liberos naturales (legibus quod ad successionē attinet obedientes) amare, fouere, alere, ac honestissime enutrire non desinūt, parique non raro cum legitimis vt sint conditione efficiunt, siue opes, Dignitatē, siue authoritatem inspicias. Certe per vniuersam Europam (exceptis Germanis, qui è Germania nunquam sunt egressi) Illegitimos semper fuisse admissos in Sodalitates nobilium Equitum, quas Ordines vocant, notissimum est, quum hic tamen summus inter illustres etiam familias secundum Principem, semper habitus, sit honos & Dignitas. Pauca hac de re Belgij nostri sufficient exempla. Nam Gallofranci, Itali, ac Hispani eis abundant. Ordo Equitum Aurei Velleris, Burgundiæ Ducem, è Francorum Regum Valesia familia ortorum institutum, inter nonaginta & amplius capita, habet vnum, quod præcipit, ne ingressuris hunc Ordinem Viris Nobilibus, contra nobilitatis conditionē, mores, ac instituta, aliquid merito exprobrari possit. Varios tamen nobiliū familiarum illegitimos filios, aut ex illegitimis natos, huic Ordini fuisse asscriptos, Tabulæ sacris in Ædibus diuersis temporibus, varijs Belgarū Ciuitatibus donatæ docent, ac inter alia Bruxellæ Brabantiæ apud. D. Gudelam in summo Choro Tabulam inuenies Ioannis Lutzenburgij Domini de Haubordin, filij illegitimi VValrauij Lutzenburgij Comitis Fani. D. Pauli, fratris Lodowici Lutzenburgij Comitis Fani Diui Pauli Franciæ Connestabli eo tempore, in hunc Ordinem asciti. Reperies & Lodowicum Flandrum Pratæ Dominum, è filio notho Lodowici Malani Flandriæ Comitis ortum, ac à parte Matris, è

filia

filia notha Cornelij Burgundi, filij Naturalis Philippi Boni Belgarum, Burgundionumque Principis procreatum, à Carolo tamen quinto Cæsare in Ordinem Equitum Aurei Velleris Coöptatum. Carolus vero Pugnax: Cæsar Maxæmilianus primus, huiusque filius Philippus Castellæ Rex, liberos nothos memorati Philippi Boni cõditoris Ordinis Aurei Velleris, ac Regni Belgici, Anthonium Burgundum Mechliniæ in Choro Templi. D. Rumoldi: Philippum Burgundum, Middelburgi Zelandiæ, in eundem Ordinem asciuere, accessereque paulo post horum Fratres, Balduinus & Dauid Burgundus, neque hij alio in Templorum Tabulis ornati visuntur Titulo, quam hoc: Anthonie, Philippe, &c. Bastard de Bourgongne, quo facto diserte, ac aperte Principes sunt testati, se Naturales, ac Illegitimos liberos ex illicito coitu non susceptos, ob illegitimam natiuitatem, inter eos non agnoscere, quibus merito aliquid, contra nobilitatis conditionem ac naturam exprobrari possit, sed inter eos habere nobiles, qui omni nobilitatis macula, ac nota careant, maxime si debita, natalium accesserit restitutio. Nonne & nostro tempore vidimus Philippum secundum Hispaniarum Monarcham, Aurei velleris Torque ornasse, fratrem naturalem, Ioannem Austriacum ac Alexandrum Farnesium, è sorore illegitima natum. Obijciet fortasse aliquis tantorum Principum liberos nothos, patris, maiorumque claritate illustres facile excipi. Imo & alijs illegitimis è tam claris familijs non progenitis, vt paulo post docebimus, idem honos est communicatus. Certe primi Bergarum ad Scaldim Marchiones, Aurei Velleris honore ornatos scimus, quum tamen è Ioanne filio notho Iohannes tertij Brabantiæ Ducis ortos constet. Idem de VVittemia familia, oriunda è filio Notho Ioannis secundi Brabantiæ Ducis palam est. Quare ea quæ in Legalibus institutis, in vno atque altero exceptionem patiuntur, quamobrem idem in pluribus non admittent? maxime quum rei natura non læditur, sed legis tantum voluntas, maiorum vsus, & mos spectetur. Hic autem illegitimis omnia paterna, præter bonorum ab intestato aditionem concedit, & permittit. Postremo & illa superioris & nostri temporis exempla illegitimorum honori ac nobilitati astipulantur, quod nullus Virorum nec fœminarum Collegijs (capitula Christiani vocant) quæ in Nobilium tantum vsum sunt ædificata, natalibus restituti excludantur, ac quoties illud dictorum Collegiorum Præfecti, ac Seniores obstinato animo impedire sunt conati, toties publico Principis Belgarum iudicio condemnati, ad illegitimos natalibus restitutos acceptandos ac admittẽdos, publica sententia sunt adacti, qua de re Niuellæ, Mabugæ, Montibus Hannoniæ, Rijnburgi, Terleæ, Coninxfeldij, Lœsdunæ, ac alijs locis, varia extant exempla, antiqua, & recentia. Constare igitur iam satis arbitror, illegitimos licito iure, ciuili coitu susceptos, natosque, ac à Principe natalibus restitutos, patris, auorumque bonis, ab intestato de iure non natura excludi ad paternos vero honores, Dignitates, cognomen, armaque gentilitia, non minus à lege longa

4.

consuetudine confirmata, quam natura admitti, permanereq; eis nobilitatem ac claritatem cum legitimis integram ac communem. Cui enim sum Vitæ author, causa, ac instrumentum, quare huic (quum illi seueritas legum, ac mos tyrannicus maximam bonorum meorum partem eripuerit) honores meos inuidebo? Cætera quæ ad hunc tractatum adferri possent, require supra cap. 11. ac infra cap. 16.

CAPVT DECIMVM QVINTVN.

1. *Veteres Belgarum Principes, erga Illegitimos honorifici.*
2. *Altera causa quare Germani liberis Illegitimis, sint iniquiores.*

1. TAndem postremas partes, quartam, ac quintã breuiter transcurramus Quartam enim pro maxima parte supra cap. 5. executi sumus vbi lectorem remitto, hoc tantum addens, Germanos Superiores iniquam quæ hodie nonnullorum animis insidet contra illegitimos opinionẽ, Belgis inuexisse, qui ante eorum apud Belgas imperiũ, optimo erát, planeq; humano, erga liberos illegitimos animo, ac voluntate, quod abunde testantur Principum Belgarum, in dictos liberos beneficia, ac collati honores.
2. At Germanorum prædicta tyrannis, ac in proprios liberos inhumanus, illiberalisq; mos irrepsit, pro parte in Belgas tempore Cæsaris Maxæmiliani primi, qui passus est hanc contra illegitimos Germanicã in Belgio augeri opinionẽ, quod recordaretur Philippum Bonum, Regni Belgici Conditorem, consensu Ordinum Belgicarum dudum statuisse Burgundis ac Belgis post se Principẽ relinquere, alterum è filijs Nothis natu maximum, Cornelium aut Anthoniũ Burgundũ, quem magnũ hac de causa Bastardũ Belgæ vocabant si aliquo casu filius legitimus solus, ac vnicus Carolus cognominatus Pugnax, sine legitimis liberis è mundo discessisset, eamque in rem dictum Anthonium Burgundum (cæso Gandensi bello ad mourbecã Cornelio Burg: innupto) à summo Pontifice, ab Imperatore Frederico tertio, à sua potestate, natalibus restitui curarat. Dictus vero Anthonius, huius rei probe conscius, nuptias distulit, non solum ad mortem Caroli Pugnacis, fratris sui, sed donec videret vnicam eius hęredem Mariam Burgundam Cæsari Maxæmiliano primo nuptam, liberos peperisse. Tum diuinæ cædens sententiæ ac voluntati animum ad ducendam vxorem appulit, quę fuit Maria Viesuillia, è qua ei est natus filius Philippus, ac filiæ duæ. Hæredes vero dicti Cæsaris Maxæmiliani, eius insistentes rationibus, illegitimorum omnium liberorum, dicti Philippi Boni existimationem, quam honore in bonis, cum legitimis æqualem videbant, deprimere ad tempus, ac diminuere, sunt conati stirpemq; dicti Anthony Burgundi, summis vt prædecessores fecerant honoribus ornari noluerũt, neque ad maximas Dignitates,

tates, summasque Præfecturas euehere, sed in mediocritate consistere voluere, fortasse nequis successorum, stulta ductus ambitione, ad maiora quã deceret, adspiraret quanquã dictus Cæsar Maxæmilianus, cõpluribus relictus, vtriusq; sexus nothis liberis, omnibus liberaliter prouiderit, ac ad honores prouexerit, idemque fecerit, eius ex filio nepos ac successor, Cæsar Carolus quintus. Vnde autem veteribus Germanis tanta erga nothos liberos insederit inhumanitas, supra capite quinto perquisiuimus. Non tamen perpetuã hanc inter eos olim fuisse opinionẽ, ac morem, constat ex Cæsare Arnulfo qui nothus fuit, ac multis alijs, illigitimo thoro natis, Germanorum præclarissimis Proceribus. Nostro certe tempore multum de hac iniquitate remisere, ac multo humanius cũ his agere didicere, etsi adhuc non obscura apud plærosque, veteris Barbariei reluceant vestigia, quæ hic lubens prætermitto.

CAVPVT DECIMVM SEXTVM.

1. *Vnicuique Prouinciæ Principis sui leges & mores, esse amplectendos.*
2. *Bastardi nomen, honorem, non ignominiam adferre.*
3. *Germani exteris Regionibus assueti, aliter de Illigitimis sentiunt, quam qui numquam Prouincia sua excessere.*

QVoniam Belgarum Principes, è nobilissimo Austriacorũ Archiducum, stemmate orti, iustis nuptijs Hispaniarum Reges sint facti, ibi nati, educati, eorumque moribus, ac Legibus deserto Germanismo imbuti, ac assueti, stultum, ac ridiculum fuerit, Belgas pertinaciter Germanorum mores ac consuetudines sequi velle, Principis vero sui, ac nobilissimorum Regnorum, Hispaniæ, Galliæ, ac Italiæ mores, ac leges contẽnere, quum vel inuitis reluctatoribus, criminatoribusque, Principis nostri leges ac mores, Prouinciæ nostræ non inutiles, nec detrimentosæ, consultum sit amplecti, ac sequi, qui quos vult honorat, aut honore priuat, in altum euehit, aut deprimit, ignobiles facit, nobiles, claros, ac illustres, Natalium defectum supplet, ciuilibusque legibus pro libito, subditorumque bono, tranquillitate, ac commodo vtitur, mutando, interpretando, contrahendo, dilatando, abolendo, nouas ferendo ac siquid est simile. pro rei, temporis, ac personarum necessitate faciendo Hinc illud: Eius est legem interpræstari, cuius est condere, ac ferre, Naturam vero vel in minimo, mutare, infringereque nec petit, nec potest. Hæc ita sensim euentura, ac Principis nostri leges, moresque nobis tandem pro parte fore sequendos, præcipue ijs in rebus, vbi legum immoderata rigiditas, ac seueritas, non solum æquum iustumque, sed & ipsam naturam videtur oppug-

1.

nare luculenter apparuit ea in controuersia, quæ tempore Cęsaris Caroli quinti, ob pręcessionem ac ante ambulationem in publico faciendam, inter Margaritam Austriacam, Parmæ Ducis vxorem, dicti Cæsaris filiã notham, ac Christianam Damæ Regis Christierni secundi, ac Elyzabetæ sororis germanæ dicti Cæsaris Caroli filiam legitimam, Lombardiæ ac deinde Lotharingiæ Ducis vxorem, extitit, orta, pronuntiatumque è more, ac consuetudine, Hispanię, ac Italiæ sententia, dicti Cæsaris, eiusque consiliariorum, vt dicta Margarita Austriaca Cæsaris filia notha, Amitæ suę filiam legitimo thoro procreatm, pręcederet. Quo autem loco ac honore, apud Philippum secundum Hispaniarũ Monarcham, frater illi fuerit illegitimus Ioannes Austriacus, & commissa contra Amurathem Turcarũ Regem classis, nobilisque obtenta victoria, & concredita paulo post, tempore difficillimo, Belgarum Gubernatio, satis declarauit. Cęsar quoque Maxæmilianus primus, quanquam Philippi boni, vt diximus, illegitimis liberis, paulo fuisset, ob dictam superiori capite causam durior, suis tamen liberis nothis fuit æquissimus, parensque humanissimus. Cum enim multos in longa viduitate suscepisset, ac pro maxima parte filias, omnes viris illustribus vxores collocauit, filiumque Georgium Austriacum, Leodiensem: Leopoldum Cordubæ Præsulem habuit, vt in genealogia patet. Postremus Geldrię Dux Carolus, è familia Egmondana ortus, cum legitimis careret liberis, illegitimis vero abundaret, omnibus honeste, & laute prouidit, è quibus non pauci in hodiernum vsque diem, nobilibus per nuptias filijs sunt inserti. Nonne Heinricus, Alfonsi vndecimi Castellæ Regis illegitimus filius, Petrum fratrem legitimum, auxilio Castellanorum, Vita, ac Regno priuauit. Erat enim Rex Petrus ob sęuitiam ac tyrannidem omnibus exosus. An non Ioannes, Ferdinandi Portugalliæ Regis filius nothus, ab omnibus ordinibus mortuo patre, contra legitimam sororem Beatricem, Castellæ Regi nuptam, Rex Portugallię est declaratus? ac non obstantibus Castellanorum armis ad nostra vsque tempora mascula eius stirps cum laude regnauit? deficiens in Rege Sebastiano, qui innuptus in Africa pugnans perijt? succedente illi sororis natu maximæ Elizabetæ, filio Philippo secundo Catholico Hispanorum Monarcha? Ioannes Auennensis, natus ex incœsto Margaritæ Comitis Flandrię & Tutoris, cognatique sui Buscharti Auennensis, Canonici, ac PræPositi (vt loquuntur Christiani) Insulensis, sacris initati, factus est Comes Hannoniæ, eiusque posteri Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ Comites? Videmus aqud Francogallos, Longeuillæ Duces (originem trahentes, è Dunosij Comite, qui fuit Philippi Ducis Aureliani, ac Vertuzij, Regiæ stirpis Principis filius illegitimus) numerari inter Principes Regij sanguinis, quibus solis ad Franciæ Regnum aspirare licet, eosque hodie (exceptis Borbonijs) omnes alios Francorum Proceres, quam ij etiam illustri sint orti familia, præcedere? Idem apud Belgas visum fuit, tempore Philippi Boni, ac Caroli Pugnacis. Nulla enim erat tam illustris, antiqua

qua, nec nobilis familia, quæ se illegitimis Philippi boni liberis, præferre nec in incessu, nec concessu ausa fuisset, imo ne quidem extranei Nassauij. Postremo quam longe abfuerit nostrorum nasutulorum opinio, ab eius temporis nobilium sententia, vel ex eo apparet, quod Nothi Burgundi, è Philippo Bono nati, omissis Ducum, Comitnm Marchionum, Baronumque Titulis, alijs omnibus prętulisse Bastardi nomen, scribentes in armorum gentilitijs scutis publice, ac priuatim, hoc tantum modo: Cornelius, Anthonius, Philippus, Balduinus, Dauid, &c. Burgundię Bastardus. Ex quo luce clarius apparet, nomen Bastardi apud Francogallos non ignominiæ, Conuitij, contumelię, nec dedecoris, sed conditionis tantum esse vocem, seruantem prędecessorum suorum honorem, ac (vt loquũtur IureCti.) qualitatem. Quare non est mirum si Germanorũ, qui exteras videre, ac inuisere Regiones cupiũt aperiantur oculi. Moris enim pręiudicati inter suos iniquitatẽ ac inhumanitatem considerantes illegitimos liberos in honore habere, ac vt natura præcipit tractare, educareque discunt, reiecta Prouinciæ suæ falsa, barbaraque opinione. Exemplum habemus patrum memoriæ Reineri Comitis Nassauij, primi huius familiæ Aurantij Principis, qui Palamedi filio notho hæreditatem reliquit amplissimam, si recte eam administrare vxor permisisset. Eadem ratione omnes Nassauios apud Belgas liberos nothos nobilibus inseruisse familijs inuenies. Certe Heinricus Nassauij Comes filium reliquit nothum Alexim, Conroy Dominum cuius posteri, etiamnum hodie inter nobiles Namurcæos conspicui notique sunt. Guilihelmus Nassauius, Secessionis Belgicę author, summo semper loco filium nothum Iustinum Nassauium habuit. Comes Lodronius, cum apud Belgas Regi Philippo secundo, anno 1568. & sequentibus, cum peditum Germanorũ legione militaret, fratrem Illegitimum Legatum suum non alio quam Lodronij Comitis Titulo appellari voluit. Quo loco Petrus Ernestus Mansfeldij Comes, VValburgum filiam notham natalibus restitutam, vxorem Francisci Verdugij Frisiæ Rectoris, habuerit, notissimum est. Lazarus Suvvendius Vir nobilissimus, ac Germanorum peditum nostro tempore Præfectus famosissimus, fortissimusque, Nonne pręteritis omnibus propinquis, filium nothũ Ioannem Suvvendium, in solidum hęredem instituit? Georgius Fronsbergij Baro, apud Belgas non ita pridem durante secessione militans, cum ei ibi natus esset filius nothus, Annuum illi redditum seu censum, sex millium florenorum, adhuc viuens constituit. Sed adolescens obsidione Traiectensi ad Mosam, innuptus ante patrem obijt. Is vero cum tam honorifice, Leodij sepeliri curauit, vt si filius fuisset legitimus nec magnificentius, nec sumptuosius facere debuisset, nec potuisset. Obliuioni quoque non est tradendus Ericus Brunswikius, Luneburgi Dux, qui Cæsari Carolo quinto, eiusque filio Regi Philippo per vniuersam fere vitam militauit, ac

è nobili

è nobili hollanda è VVeldammijs orta, filium, ac filiam procreauit, quibus testamento, in singulos annos vltra viginti millia Belgicorum Florenorum reliquit. Filio non ita dudum nupsit clarissimo Genuensium Proceri familiæ Doriæ, nepoti ex fratre Ioannis Andreæ Doriæ seu Auriæ. Res prope infinita foret, si hoc loco Viros claros Principes Cæsares, Reges, ac illustribus factis insignes, illegitimo tamen thoro procreatos referre vellem. Historiæ omnium temporum his scatent exemplis, loquuntur eorum præclara gesta, ante oculos ponunt honores, Dignitates, existimationem, ac Nobilitatem quibus claruere, è quibus Lectori paucos, sed insigniores, ordinibus, distinctos, in fine huius libelli deliniabo.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Veteres Prouerbij explicatio. Illegitimos seu Naturales fere semper ad extrema tendere, seu bona, seu mala sint.

VEtus est apud Belgas prouerbium, vernacula eorum lingua tritissimum. Bastardos omninò bonos ac probos: aut Improbos malosque esse, mediam viam non agnoscere. An hic aliquid veri sit ac rationis, non iniucundum erit vestigare cum iam olim à Doctis & indoctis id sit factum. Vtrorumque rationes præcipuas adferemus lectorique iudicium relinquemus. Aiunt Docti non raro conspici, vt inter Illegitimos hi omnin Probi, alij Improbi conspiciantur: quidam plane homines frugi, alij nequam hi moderati ac continentes, alij prodigi ac incontinentes: nonnulli prudentes ac ingeniosi, alij stolidi ac stupidi: Pij ac mites: Impij, sæui, ac immites, adeoque volunt hoc prouerbium experientiam comprobrasse, vt rarissimi inter Illegitimos reperiantur (inueniuntur tamen, & quidem non pauci media gradiantes via, Ouidium sequentes, dicentem: *Inter vtrumque vola, nec te spectare Booten, nec Heliчen iubeo, strictumque Orionis ensem*) qui non in hanc vel illam inclinent partem. Rationē hanc esse volunt. Qui e furtiuo concipiuntur Venere, absolutæ conceptionis fœtus pro maxima parte conspiciuntur. Pater enim materque auidissimę in diu concupitos aut primum oblatos ruentes amplexus, ob summum audentissimumque, coeundi desiderium, abundantissime semine eiaculantur, spiritusque vitales, ac animales, plenissime subministrant, adeo vt omnia recentis fœtus membra, euadant absolutissima, & ad recipiendam animæ Essentiam, eiusque potentias, viresque efficacissima. Quare si non infœlix anima in tale corpus descēderit reperiens instrumēta omnia, ad intelligendum est agendū optissima, admirabiles, ac nonnunquam diuinos proferunt, exeruntque actiones. Virum videbis egregium, pulchrum, generosum, ac animosum, in aduersis erectum, sibi ipsi sufficientem, in capiendis

dis consilijs promptum, rebus exequendis diligentem, vigilantem, ac c[illegible] aurum necessitatis causa quęrentem, cæteris rebus omnibus honorem, bonam famam, ac claram nominis existimationem præferentem, liberales Disciplinas amplectentẽ, aut admirantẽ & in honore habentem, ambitioni nonnihil addictũ, voluptatibus clam ac secreto vtentẽ iniuriam non ferentem, se honorãtes honorantem, vt multis bene faciat, ac prosit varijs modis rationes quærentẽ, acutum, perspicacem, prouidum, memoriæ tenacis, boni iudicij. Omnia his plærunque aduersa contingunt qui infœlicem sortiti sunt in absoluto corpore animam. In pulchro enim elegantique corpore animum aliquando delitescere senties meticulosum ac timidum, generositate carentem, vilem, pusillanimen, fractum, aut furibundum, cerebrosumque, in aduersis abiectum, in necessitate deficientem, in capiendis consilijs vagum inconstantemq; exequendis tardum somnolentumque, nil auro potius ducentem, famam ac existimationem contemnentem, liberales Disciplinas irridentem, insatiabilis ambitionis, quique omnes sibi seruos videre cupiat, voluptati ac libidini palam promiscueque seruientem, nulli fidentem, nec se serio reconciliantem, nemini bene facientem nec facere cupientem sed omnia sibi soli parantem congerentemque, distorti, ac tetrici ingenij, praui iudicij, simulatorem, stupidum, suspiciosum, improuidum, obliuiosum, ac vt inquit Horatius:

Inuidus, iracundus, iners, Vinosus, amator. Vis enim spirituum abundanter per corpus sparsorum, homines hos quietos esse, nec in mediocritate consistere, limitesque sibijpsis ponere, non permittit, erumpunt summa vi varij affectus. Cor colore feruens, materiam suppeditat ad bonas, vel malas actiones. Iecur, non minus corde flagrans hominem ad libidinem concitat, pruritumq; excitat. Renes adipe immersi ardentesque semen, quod est tertiæ concoctionis excrementum, vniuerso corpori detractum, genitalibus membris suppeditant. Cerebrum harum bullientium officinarum fumis obsessum repletumque, affectuumque ex ijs orientium multitudine oppressum non permittit, vt mens, ac ratio domandis hisce belluis, officio suo fungantur, sed infœlix anima ad improbitatem, impietatemque se conuertens, Belgico Prouerbio locum facit. Hæc doctorum est ratio præcipua. At qui libris destituti, naturæ rationes non satis assequuntur, e sensu communi causam quærunt, ac ad Illegitimorum Liberorum educationem, causam Prouerbij referunt, hoc modo ratiocinantes: Si Illegitimi liberi inter honestos, ciuiles, ac politicos homines educentur, in bonis literis instituantur, aut si eo natura non feratur, Reipublicæ munia, aut Bellica studia edoceantur, neque ab ineunte ætate ijs exprobretur, Bastarde, Filij meretricis, Degener, Vile, Abiecte, similiaque conuitia à malesanis, ac dicacibus subinde obijci, cum quadam verborum amarulentia solita, præsertum à garrulis mulierculis non audiant, nec à domesticis pati cogantur, sed contra honesti compellati ad virtutem inflammentur, animus eis ad eam consectandam addatur, propositis varijs, sui simi-

lium exemplis, vt non solum legitimis fratribus pares, sed si fieri possit superiores virtute euadant prouocentur, opes eis nunquam defuturas si honorem, bonamque famam vænati fuerint. His ac similibus in pueritia, concitati admonitionibus in adolescentia exerciti exemplis, non in culina cum coquis, equisonibus, stabularijs, pueris à manibus ac pedibus prandeant, nec cœnent, nisi eorum eos moribus institutis, sordibus, ac indignis sermonibus imbui, instruique velis, sed in patris mensa cum verecundia, modestia, ac pudore sedere, edereque discant, non loqui nisi prouocati, tum paucis, ac ad rem respondere sciant. Si pater maioris sit dignitatis, extra eius familiam, apud nobilem aliquem educatur, eius ætatis, vt enim adire, salutareque posit, hoc scite, decoreque fiat, tum cum dignioribus è patris famulatu versetur ac edat. Non raro tamen cum patre, eiusque propinquis ac affinibus vocati vescentur, non vocati libere conuersentur. Ad hunc modum educati liberi nothi, ac postea in diuersas Regiones dimissi, clarorumque virorum consuetudine assueti, nisi plane infœlicis sint naturæ (quod tam legitimis quam illegitimis non raro vsuuenit) in Viros insignes, ac Reipublicæ vtiles eos euasuros, Vades ac sponsores fieri volunt. Hanc enim aiunt esse vim ac potentiam seminis, spirituumque vitalium, ac animalium, de quibus paulo ante locuti sumus. Contrarios autem futuros, si diuersa ratione (vt pro maiori fit parte) fuerint educati. Siue enim legitimus, siue Illegitimus fuerit filius qui inter ingenuos ingenue ac liberaliter educatur, ingenuum generosumque animum circumferet, ac præ se feret: Si inter homines viles, degeneres, ac seruos alatur, seruilem per omnem vitam, abiectum, ac degenerem ostendet animum. Ex duabus hisce opinionibus, Lector eam quam sibi placere, ac arridere senserit, amplectetur, aut ex vtraque tertiam conflabit, quod facile erit factu, ac mihi sumopere placet. Adde quod quæcunque de Illegitimis ab vtraque parte hic adferuntur, nullus vetare poterit, quin ad Legitimorum quoque, diuersam naturam, ac conditionem applicari possint. Philosophia multo profundius hæc introspiciens, rationes multo abstrusiores, ac ad communem naturam aptiores, in medium facile adferret. Sed quod non sint huius instituti, nec omnium palatui aptus cibus, ijs qui hoc studij genere delectantur, inquirenda, ac relinquenda duximus.

Totius

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Totius libelli Recapitulatio, ac Conclusio cum Obtestatione.

QVæ superioribus septemdecim capitibus sunt præscripta, sic breuiter accipito. Primi homines sine Regibus ac Legibus viuentes, vxoresque in commune habentes, nullum nouerant liberorum discrimen, sed cum Parentibus in commune educabantur. Successere Reges, condidere leges, coniugia instituere, tot vnicuique vxores, quot nutrire poterant concedentes. Hæc Lex ob incommoditatem, ab ipsis primum, tacito in communi consensu abrogata est hominibus, singulas vxores probantibus accipientibusque, idque ob dissidia ac morosas diuersarum vxorum rixas. Tandem à varijs populis, hic vsus confirmatus, à Romanis quoque certo ordine fuit circunscriptus, ac vnicuique Viro vna Vxor attributa, singulis fœminis singuli concessi mariti, antiquo more in hoc seruato vt Viris repudij relinqueretur libertas, ac siqua displicuisset, alterius ducendi licentia. Christiani Romanos hac in re, non per omnia secuti, Diuortium (nisi probatum esset adulterium, aut coëundi in iusta ætate impotentia) sustulere. Probato adulterio aut procreandi defectu, admisere ea conditione, vt in defectu liberum esset alteri coniungi: In adultero, nisi altero mortuo. Adulterium enim condonari potest, ac iterum coniungi qui erant separati. Generationis naturalis impotentia emendari non potest, & quoniam matrimonij finis, liberorum est procreatio, ideo hoc casu alteri nubendi, aut ducendi conceditur potestas. Qui plures Viris concessere vxores, illegitimos non nouere, quanquam eos quosdam dilexisse, alios abiecisse certum sit, non quod contra leges nati essent, sed cæco stimulatos iudicij ac rationis imbecillitate odio. Romani Legitimos à Naturalibus: hos à vulgo conceptos, vetitoque coitu natos distinxere, variasque leges singulis sanxere, quos imitati Christiani, à paternorum bonorum ab intestato successione omnes illegitimos exclusere, alimenta tamen necessaria, honores, Dignitates, cognomina; arma gentilitia, nobilitatem, vt alij Populi reliquere. Sunt igitur omnes illegitimi nobili patre procreati, licito coitu suscepti, natique, ac maxime Natalibus à Principi restituti vere nobiles, nec vlla in re ipsi, nec eorum successores, à legitimis liberis, quam solis diuitijs ac opibus (quod eis cum secundo, tertio, &c. natu filijs est commune) differunt, adeo vt si mascula generis, stemmatisque stirps in eos desinat, reparare, restituereque familia (concedente liberos ac opes Deo) de iure, ac natura possint, & proinde cum

ſecundo tertio, quartoque loco natus, legitimo thoro liberis comparari. Atque adeo hęc vera ſunt, vt cum aliquis filium nothum pro filio agnouerit, receperitque, nulla illi ratione prohibere poſsit, ne familiæ paternę nomē ac gentilitia in ſcuto arma vſurpet, ſed ea illi relinquere cum legitimis, vel inuitus cogitur. Quod enim natura nec leges (è quibus patria poteſtas, ortum, ac vim habet) homini eripiunt, pater filio auferre, nec poteſt, nec debet, maxime cum nullus mortalium, nullęque Reſpublicę, ex harum rerum conceſſione, detrimentum, incommodumque ſentiant. Hæc ex ſe natis inuidêre, vitioſæ peruerſæque naturæ, aut craſſæ inſcitię apertiſsimum eſt ſignum, fratribus, cognatis, ac affinibus è notho procreatis detrahere conari, ſtultæ faſtuoſæque ſuperbiæ, veriſsimum eſt indicium. Scio eſſe quibus iſta parum ſapient, ſed videanrt illi, quo modo naturam cum lege component, & ſine iniuria diſtinguent. Cōſiderent qua ratione veterum legiſſatorum, maiorumq; ſuorum mores proprie iudicio abrogent, ac quo iure innocenti partui cum bonis paternis, nomen, honorem, ac famam, contra Dei, naturæqne prę ſcriptum eripiant. Diſcāt alijs rationibus quam hactenus vſi ſunt, hanc ſibi tyrannidem ſtabiliendam, arrogent quantum velint, faſtum induant, æquales ſibi Narurales, natalibus reſtituto, velint, nolint habebunt. Sufficiat legitimis, quod legum non naturę beneficio ab inteſtato ſuccedant, quærelam inofficioſi habeant integraque præteriti teſtamenta irrita faciant, maiorem paternorum bonorum partem auferant, ac proinde illegitimis honorem ac claritatem paternam non inuideant, cum quibus (Deo ac natura volente) primis ſemen commune habent. Agnoſcant vnam eandemque ſecum, carnis, oſſium, ſanguinis, totiuſq; corporis pręcipuam materiam: ſin minus, abeant, valeant, nauem (vt ait Comicus) aſcendant, ac à batbaris Populis, rationis, naturæque leges perdiſcant. Sed hæc ego bruti ingenij hominibus, ipſa imperitia imperitioribus dicta tantum velim. Scio enim eſſe, ac experior, indies, millena hominum millia, rectius, ſaniuſque judicantia, inter quos quum te prudentiſsime lector, vnum eſſe non dubitem, his non offenſum iri confido ac proinde quæcunque hactenus dicta ſunt, cum certa obteſtatione ſcripta, narrataque velim. Non enim mihi hoc libello in animo fuit conuellere aut perturbare Rerumpublicarum gradus ac Ordines à legibus optime, ſanctiſsimeque ad iuuandam, reſecandamq; naturæ luxuriantem libertatem, conſtitutos aut longo vſu introductos, quos vocant Conſuetudines. Vnicuique enim Prouincię ſuę lege mores, ac conſuetudines ſartas tectas relinquēdas cenſeo, nec vlla ratione, niſi vt in melius commutentur, conuertendas conſulo, ſed cum id neceſſario erit faciendum, fiat paulatim, modeſte vt vix ſentiatur. Subita enim, ac violenta omnia cum durationē nō admittant, perturbant ac confuſionem, cum multorum extremo detrimento, inſignique calamitate, pro maiori parte inducunt, Rebuſpublicis quoque variarū, admirabiliumque conuerſionū, cauſæ ſunt, ac origines. Ego certe, vt amara conuitia, indeque naſcentes vno ſæpe verbo, capitales rixas tollerem, huius tractatus ſuſ-

cepi laborem. Experientia enim didici, quam variæ, & irreconciliabiles inter homines oriantur inimicitiæ, è malis intellecta, diiudicataque hominis natiuitate. Descendi autem quantum potui ad captum sensus communis vt à quouis intelligerer. Hinc philosophicas rationes vix attigi, Theologicas multo minus: Politicas primo generaliter ob oculos posui, deinde per partes breuissime necessaria quæque explicaui. Postremo paucis, sed efficacibus (vt existimo) exemplis (breuitati enim sumopere studui, ac hac de causa à Iuris, Doctorumque allegationibus quantũ potui abstinui) quid de legitimis ac Illegitimis sentiendum esset, ostendere conatus sum. Ea vero de causa hoc argumentum altius à me est repetitum, etsi succincte tractatum, vt exiguo Libello eorũ castigarem arrogantem imperitiam, qui solos legitimos obseruandos, colendosq; Illegitimos contemnendos censent. Denique vt retunderem fastum, qui in publicis non verentur hominum coronis exprobrare Nothis, id quod à Deo, ac natura sunt. Hi autem nil vituperatione dignum creant, nec producunt, nisi Deo imperfectionem, Naturæ defectum asscribere velis. Quod enim aliquãdo Monstra videmus, admirationem non exprobrationem meretur, vt etiã quum Natura ob materiæ admirabilem dispositionem, admirabiles producit effectus. Certe non considerant homines elati & tumidi, id quod sæpe diximus, nec vnquam satis inculcari potest ex ijs tantũ homini dedecus oriri, reprehensionem, laudem & honorem, quæ in eius libera potestate ac arbitrio Deus & natura constituere & relinquere, quod si nihil est, vt olim & hodie imperite nonnulli voluere, multo minus Illegitima natiuitas reprehensionem meretur. Quid enim iniustius, ac imperitius quam homini virtutẽ, pietatemq; ambienti, ac pro virili exprimenti, conuitium ob natiuitatem dicere? præbereque hac stultitia litibus, inimicitijs, ac cædibus causam. Nõ enim lubẽter generosi animi contumeliam ferunt, nec conuitia audiunt, ac proinde cum rem iudicio indignam manu vindicant, hinc inde in calimitatem incidunt. Honoris tamen sui, ac existimationis rationem habuisse probantur, ac laudantur. Odiosum ait Cicero genus hominum, officia exprobrantium, quæ meminisse debet qui accepit, non commemorare, minus exprobrare qui contulit. Odiosiores multo sunt, qui futili dicacitate ea homini exprobrant, quæ in eius potestatẽ, nõ sunt posita, ac vbi omni caret culpa. Quare vt prudẽtius agere, ac inter se humanius modestiusque viuere discant, considerent quæso homines quantũ differentea quæ natura & quæ lege sunt honesta aut inhonesta, bona aut mala, præclara aut ridicula, stabilia aut caduca, nobilia aut ignobilia, vitiosæ aut sana, legitima aut illegitima. Sed antequã de his iudicent, probe perspectam habeant Naturę, ac Legis conditionem. Quo facto, eos hunc meum paucorum dierum laborẽ, boni consulturos, ac obtestationem facile admissuros nil dubito. A nemine enim mercede conductus, vel prœmio inuitatus ad huius libelli omniumque eorum quę à me sunt edita scriptionem sum inductus nec pertractus, sed genio ac natura stimulante impulsus. Quare etiam parui facio si qui de Historia,

hoc Libelllo alijſque meis ſcriptis moroſius ſenſerint. Homo enim ingenuus ac liber quum ſim, quicquid longa continuoq; ſtudio, comparaſſe me exiſtimo, libere ac lubenter, omnibus communico: Nunc diuerſorum Ordinum Viros aliquot præclaros, illuſtreſque Illegitimo thoro natos, in medium adducamus, vt diuerſis huius libelli locis, facturos nos, polliciti ſumus.

Diuerſorum Ordinum Viri aliquot præclari, illegitimo thoro nati: Summi Pontifices Romani: Seu Papæ.

Dioniſius primus. Ioannes decimus. Innocentius Octauus.
Leo quintus. Clemens Septimus.

Cæſares.

Alexander Seuerus. Aurelianus. Conſtantinus Magnus.
Criſpus dicti Conſtantini filius. Galerius Maximianus.
Heliogabulus. Arnulfus Germanorum Imperator.

Reges.

Bacchus ſeu Liber, teſte Ouidio, quarto metamorphoſi ita de eo ſcribens:
Potuit de pellice natus.
Vertere Meönios, pelagoque immergere nautas.
Menelaus Proauus Alexandri Magni. Aelian. de Var. hiſtoria.
Habidis Tarteſiorum Rex, è primis ac filiæ ſtupro natus, ſed tantæ fœlicitatis ac magnitudinis, vt Deorum filius vocaretur: Res enim geſſit ingentes & admirandas. Iuſt. lib. 44.
Hercules / Alexander Magnus } Plutarch. in eorum Vita, ac in Themiſtocle.
Aridæus Alexandri Magni in Macedonia ſucceſſor. Athen.
Theſëus / Romulus } Plutarch. in eorum Vita.
Seruius Tullius Rex Romanorum, Plutarch de fort. Rom.
Medon / Teucer } Græcorum Reges. Homer: Sophocles.
Ferdinandus Rex Neapolitanus.
Guilihelmus Rex Angliæ. Inſulæ occupator.
Gauſalaricus / Giſericus } Reges Hiſpaniæ Gothi. Procopius.
Murgatus Rex Hiſpaniæ, poſt exactos Saracenos.
Heinricus Secundus Rex Caſtellæ.
Heinricus Rex Siciliæ.
Ioannes Rex Portugalliæ.

Iacobus Rex Cypri.
Raimirus, primus Rex Arragoniæ.
Tancredus Rex Neapolitanus.
Manfredus Rex Neapolitanus.
Theodoricus, Rex Inferioris Burgundiæ.

Viri Clari ac illustres.

Thæmistocles Imperator Atheniensium. Plutarch.
OEneus Pandionis filius, à quo vna Athenarum Tribus. Pausa: in Atticis.
Thimotheus Atheni. Imp. Cononis filius. Athen: Suidas.
Marcus Brutus Cæsaris percussor. Plut. Vnde illud Cæsaris: καὶ σοῦ τέκνον.
Carolus Martellus, Caroli Magni Auus Paternus.
Annibal Bentiuolus, Dux egregius.
Alexander Medices, primus Florentiæ Dux.
Fredericus Dux Vrbini.
Nicolaus tertius Marchio Ferrariæ.
Dauid / *Philippus* } *Burgundi. Antistites Traiecti ad Rhenum.*
Anthonius Burg. Beuere Dominus.
Balduinus Burg. Falasij Dominus.
Georgius Austricus Antistes Leodiensis.
Leopoldus Austriacus Cordubæ Antistes.
Ioannes Austriacus Belgarum Gubernator.
Ferdinandus Toletanus, Summus Melitensium Prior.
Ferdinandus Arimini Regulus, Gismondi filius floruit inter clarissimos Italiæ Belli Duces Anno, 1466.
Sanctus Bentiuola, Herculis filius, sanctissime Bouoniam rexit, donec Alexandri Bentiuolæ filius adoleuisset, cui mox Regnum restituit. floruit Anno, 1450.

Viri Docti.

Ioannes Andreas è sacerdote natus IureC.tus clarissimus.
Bartolus / *Iason* } *Iurecomsulti clarissimi.*
Cristopherus Longolius.
Coelius Calcagninus.
Erasmus Roterodamus, è sacerdote natus.
Pomponius Lætus.
Laurentius Cibo Cardinalis.
Petrus Longobardus, alias, Magister Sententiarum. / *Gratianus Compilator Decretorum.* / *Petrus Commestor* } *Tres Fratres, è Matris adulterio nati.*

Homerius

Homerus Poëtarum Pater. Aristo. lib. 3. de Poetica. Plutar. in Vita. Lucianus, in Homeri & Demosthenis laudatione.
Demostenes summus Oratorum. Lucia. Val. Max. lib. 3. cap. 4.
Bion Philosophus. Laert. in Vita.
Alexander Philosophus Milesius. Plutar. in conu. sept. sapientum.

In Sacris litteris Clari.

Ismahel, Abrahami ex Agar ancilla filius.
Iephtæ, Iudeorum Dux, & Iudex.
Goliath Dux Philistæorum, à Dauide cæsus.
Salomon Rex Sapientissimus, vt quidam volunt.
Albanus Martyr, ex incæstu patris cum filia natus.

Dan, Nephtali, Gad, Aser, } *Patriarchæ ac Authores quatuor Tribuum Iudaicarum, nati Patriarchæ Iacobo ex Ancillis, Zelpha, ac Balam. Gens. cap. 30. & 35.*

Qui vero Annales Oliuerij Marcani, quos Gallofrancica scripsit lingua, aliorumque Francorum ac Belgarum Chronica, ac quæ vocant Memoires, euoluere voluerit, clarissimorum præter leges natorum Elogia Virorum non pauca, resque ab his pace Belloque præclare ac fortiter gestas reperiet, meritoque apud Cæsares, Reges, ac Principes in summa non solum apud Francgallos, Hispanos, Italos, ac Belgas, sed etiam apud alias Nationes, eos fuisse existimatione iudicabit, eque patrum, Maiorumque suorum claritate, claros quoque ac nobiles semper fuisse habitos, ac reputatos, apertissime videbit.

Finis, Deo Laus.

Typis Henrici Swingenij.